





MERCVRII GALLOBELGICI SVCCENTVRIATI:

siue,

RERVM IN GALLIA ET BELGIO POTISSIMVM: HISPANIA QVOQVE, ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, Vngaria, Transyluania, vicinisque locis ab anno 1596. ad medium vsque Aprilis, præsentis anni 1603. gestarum,

HISTORICAE NARRATIONIS continuatæ;

TOMVS QVARTVS:

verè & fideliter conscriptus

à

GASPARE LORCHANO



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Gulielmi Lutzenkirchij. Anno 1603.



Ad Beneuolos Lectores.

HISTORIAM scribere, vt arduum semper; ita periculosum sæpè fuit: Et sanè quotiescumq; sæculi nostri mores considero: non miror optimo quemq; & placidissimo ingenio ab hac scribēdi laude abhorrere. Plerique enim lectores factionum adferunt studia: nec id quod factum vel gestum est, sed quod factum volunt, in legendo oculis venantur, & animo requirunt. Ita fit, vt si verè quis omnia, bona certè fide scripserit: tamen si illud non scripsit, quod alius non scribi tantum potuisse, sed potissimum scribi debuisse contendit, malè scripsisse iudicetur. Mala res, ita me Deus amet; & litterarum studijs, è quibus ciuilis prudentia hauritur, perniciosa? Nam quem quæso ad vitam adferat fructum historiarum cognitio; si hominum facta non è veritate, sed præconceptâ opinione æstimemus? Enimuerò cadauer iam est Historia, veritate carens: quam animam illius sapientes meritò dixerunt. Non quidem nego, multa incidere, de quibus fieri non potest vt omnes idem iudicēt. Sed quid? ideone ego, vt amicum ornem, aut inimicum

pun-

pungam, vltrò vim faciam veritati: & historiam scribere aggressus, velut oblitus mei instituti, conuicia de plaustro spargam? Nunquam profectò mihi placuerunt hij tales: credo nec ijs, qui de se modestè, de alijs omnibus honorificè sentiũt. Et ad hunc quidem Commentarium quod attinet: nihil aliud spectaui, quàm vt simplicem & fidam, quantum fieri potuit, rei cuiusq́; gestæ exhiberem narrationem. Nec offendere quemquam fuit animus: sed potius suam cuiq; laudem tribuendo, nihilq́; cuiquam derogando, nemini conquerendi ansam præbere. Nec de nostro nos quidquam affinximus: sed aliorũ Commentarijs partim nostrati, partim Gallica, partim Italica lingua conscriptis, auctoribus vsi sumus. Quem nostrum laborem si vobis non displicuisse animaduerterimus: enitemur, vt quæ post hac daturi sumus, exquisitiora sint, maioriq́; industria elaborata. Valete.

SYNOPSIS LIBRI II.

SYNOPSIS LIBRI III.

† 3 Catha-

Synopsis Libri IV.

Ræsa

SYNOPSIS LIBRI V.


Syno-

SYNOPSIS LIBRI VI.

1601. ESSEXius Comes Anglus rebellans capite luit.398 Persarum ad Cæsarem legatus.399 Militis partus. 400 Zamoscius magnus Poloniæ Cancellarius Carolo Duci bellum indicit.402 Poloni cæsi.403 Berca à Comite Mauritio obsessa.404 & capta.406 item Mursa 407. Ostendæ descriptio & obsidio 408. Transyluanorum comitia 410. Batorius Transyluaniam tentat 411. Clauseburgum à Cęsarianis occupatum 413. Michael Valachiæ Vaiuoda cæsus. 414. Canisia à nostris obsidetur 415. Alba regalis à Christianis capitur. 418. ad eam conflictus 421. Gallo filius, Hispano filia nati.403. Siluaducis à Mauritio obsessa 403. Colloquium Ratisbonæ inter Iesuitas & Lutheranos habitum 426. Hispani Hibernia eiecti 430. Batorij in Transyluania conatus 431.

SYNOPSIS LIBRI VII.

1602. OSTENDA periclitatur, 431. Comes Mauritius cum exercitu in Brabantiam proficiscitur 435. Grauiam obsidet 436. Admirans obsidionem soluere conatur 437. conditiones, quibus Grauia dedita est, 439, Bironij conspiratio 440. Bistricium, siue Nessa, à Basta receptum 449. Militum in Bistricianos perfidia. 451. Moyses Zecclerus à Basta profligatus 451. Batorius se dedit 452. Ali Bassa captus, ibidem. Albertus seditiosos proscribit 454. Eorum excursiones in vicina loca 456. Alba regalis à Turcis capitur 457. Pesta à Christianis expugnatur, ibid. Ostendæ morbus contagiosus grassatur 459 Ager Luxemburgensis vastatur, ibid. Hispanorum regis edictum contra Anglos & Hollandos mercatores 460. Motus Embdanus 461. Res Gallicanæ 463. Geneua tentata 464.



MERCVRII GAL-LOBELGICI SVCCEN-TVRIATI

E

TOMO QVARTO

LIBER I.

CONTINENS EA, QVAE A MENSE *Iunio anni* M.D.XCVI. *vsque ad annum* M.DXCVII. *memoratu digna euenerunt.*



ARVM, QVAE PROXIME quod effluxit sexennio memorabiles contigerunt, summam rerum conficere, Lector beneuole, tibique communicare constituimus, nullius partis studio, nullius odio incitati; sed simplicissimæ candidæque veritatis (quã meritò animam Historiæ dixeris) amore adducti: à qua si nonnullibi aberrare tibi videbimur (vt est procliuis in tanta hominum partim vanitate, partim sinistris iudicijs, partim etiam ipsarum rerum & consiliorum obscuritate, lapsus) rogamus quidvis potius, quàm voluntatem & conscientiam nostram accuses, sed potius tua scientia errantes dirigas ad rectam viam: hocque omne ad tuam vtilitatem & oblectationem à nobis elaboratum, bonam in partem accipias & interpreteris. Hęc prę- Anno 1596.

Anno 1596.

fari visum: iam telam superiorum narrationum pertexere aggredientibus, primum occurrit

Classis Anglicana (cuius apparatus, si meministi, SVPPLEMENTI nostri agmen clausit) quæ die tertio decimo mensis Iunij, adiunctis Hollandorũ viribus, è portu Pleimutensi soluit, ac nonnullas Hispaniç oras prætervecta, Gadeis appellit. Est hæc parua Insula, cum vrbe eiusdem nominis, Africæ obiecta, commodissimum habens portum. Stabant ibi in anchoris multæ regiæ naues, commeatu ac milite instructissimæ; nec non onerariæ quædam mercatorum, magnam vim preciosissimarum rerũ in Indias convecturæ. Prædæ inhiantes Angli remis velisque eò contendunt, ac tandem ventorum vi compulsi, ad eam oppidi partem, quæ Occidentẽ spectat, nõ sine periculo, anchoras iaciunt. Exscensionem molienteis & maris tempestas, & Hispanicarum triremium metus prohibuêre. In posterum diem dilata, reclamante multùm Essexio, qui terrestribus copijs summo cum imperio præfectus erat; multæ rei benè gerendæ Anglis ereptæ sunt occasiones. Subito enim eorum & necopinato adventu oppressi classiarij Hispani primò trepidare, & quod infrequentes essent, nil nisi fugam meditari; sed quum hostem cunctantem viderent, colligere se, in commune consulere, ac quibus se suaque tueri ac conseruare possent, rationes inire cœperunt. Calendis Iulij classem suam Angli in medium Hispanorum immittunt: sed acriter excepti, cum portus angustijs exclusi, quòd plures quinis nauibus simul pugnare nequirent, vadis etiam, æstu relabente, impediti, ad suam stationem se receperunt quo in conflictu nauis Hollandica, cui Delphin insigne, flammis correpta perijt. Hispani qui viribus & nu-

Expeditio Anglorum Gaditana.

Angli prædam auidi...

& numero multò se inferiores animaduerterent, quàm vt secundum impetum sustinere possent; incredibili labore quas possunt naueis in portum, regalem quem appellant, deducunt, Anglis, qui omnē fugæ exitum interclusum existimarent, ociosè spectantibus: nauem prætoriam, eximiæ magnitudinis, à Philippo rege denominatam, hostium prædæ relinquunt, fomite ita attemperato, vt quum hostis eam iam iam occupare vellet, puluis ignem conciperet, ac densissimo cum fumo & horrendo tonitru, magna vi, ceu telum neruo excussum, malum in aëra ferretur, atque incendium latè sparsum vicina quæque ambureret. Sed hæc res plus terroris Anglis attulit quàm damni; qui duas ex his nauibus (eodem enim stratagemate in alijs quoque Hispani erant vsi) integras abduxerunt. Intereamilite in terram exposito, Essexius vrbem oppugnare aggreditur; cui se nō procul ab oppido equites quingenti & sexcenti pedites in via obijciunt, qui ad famam Anglicanæ classis è proqinquis locis, oppido defendendo, confluxerant. In hos Essexius voluntarios, ductore Ludouico Nassouio, immittit: à quibus fusi ac fugati perturbatis ordinibus, in vrbem compelluntur. Permisti Angli Hispanis, dum eos insequuntur, vallum superant, portas occupant, & toto foro iam volitantes, paucis resistentibus, mox ad prædam se conuertunt. Præsidiarij ac ciues, qui supererant, in arcē confugiunt, tantisper ibi se defensuri, dum obsessis auxilia è locis adiacentibus submitterentur: sed quum pontem, qui continentē Insulæ iungit, ab Anglis iam occupatum, omnemque aditum interclusum cernerent, cum hoste paciscuntur, ac datis obsidibus centum ac viginti ducatorum millibus, vitam fortunasque, quas paucas se-

Anno 1596.

Gaditanam vrbem occupant.

Anno 1596. cum asportauerant, redimunt. Ita dimissi: obsidibus postea, donec ea pecunia solueretur, in Angliam abductis. Præter eas quas Anglorum imprudētia elapsas diximus naues, cæteræ, onerariæ præsertim, in magno versabantur periculo, vtpote quæ neque effugere poterant ob loci naturam, nec satis virium ad se defendendum habebant. Mercatores igitur ad quos eæ pertinebant, cum Essexio per certos homines agunt, atq; ita tandem transigunt, vt duos scutatorum miliones numerent, easque saluas abducant. Dum eunt qui mercatoribus in quas conuentum erat conditiones renuncient: ecce tibi, aliud mandatum à Duce Medinæ Sidoniæ affertur, ignem inijcere omnibus nauibus, & quidquid superesset flamma corrumpere, regia authoritate, qua ijs locis præerat, iubente. Id sine vlla mora factum: atque ita triginta duæ inæstimabilis precij naues conflagrârunt, Anglis nequicquam tā opimum sibi bolum è medijs veluti faucibus ereptum frementibus; nec non ægrè ferentibus Hispanis mercatoribus (ad hos enim maxima pars damni redundauit) qui iacturam aliquam facere, quàm omnia amittere maluissent. Direpta vrbe, ac fœdum in modum vastata, inter Anglos deliberatur, præstaretne præsidio eam firmatam tenere, vel incensam relinquere. Multis vtramque in partem allatis rationibus, cum dissensio orta esset inter præfectos, in illam tandem sentētiam itum est, deserendam vrbem esse, quòd commeatuum maxima parte absumpta, in longè dissito solo, & ab hostibus vndique circumsesso, defendi non possit. Die igitur 15. Iulij signum receptui dant Angli, ac prædam in naues comportant: domum redeuntes ab Hispanicis quibusdam Liburnicis à tergo inuadū-tur,

Naues Hispanicæ incensæ.

Angli Gades relinquunt.

tur, Hippagine Hollandica, cum parte aliqua prędę intercepta. Sic oras Hispaniarum & Lusitaniæ legentes, ab incolis metu desertas, in Angliam tandē redeunt, adulto iam mense Augusto, inuito admodum & repugnante Essexio, qui non solùm alios portus ijs in regionibus nauali apparatu nudare, verùm etiam Indicam classem, quam tum non procul abesse veris argumentis coniectabat, obseruare, &, si fortè, intercipere, & facile & consultissimum ducebat. Sed enim arcanæ sunt fatorum viæ: sæpeque quæ temeraria videntur, fortunatum habent consilia euentum; econtra sapienter ab hominibus cogitata, infœliciter nonnunquam cadunt. Equidem illud existimo, ęqualem duorum, præsertim in bellicis rebus, vbi bis peccare vix licet, potestatem, sæpè rebus præclarè gerendis fuisse impedimento. Sed in Belgicam classicum (quod ô vtinam conticescat aliquando!) nos vocat.

Anno 1596.

E Gallijs cum exercitu rediens victor Austriacus, Flandricorum oppidorum aliquod, confœderatis subiectum, obsessurus videbatur. Ostendæ igitur metuens Nassouius, Anglicano præsidio nudatæ; quindecim signa lectissimorum militum eò mittit, magnam vim commeatuum & bellici apparatus conuehi, ac operibus mirum in modum oppidum communiri iubet. Flandri enim, Brugenses præsertim, & quotidianis excursionibus vexati, & tributis hostilibus exhausti, opem ab Archiduce magno studio postulabant. Quos subleuandos ratus, 18. Iunij cum exercitu ad Ostendam peruenit, obsessuri specie: sed, vt postea apparuit, alia consilia animo voluens, repentè conuerso itinere, in Brabantiam redijt, quæque ad obsidionem necessaria, interea dum exercitus reficitur, procurare cœpit. In-

Hispani Ostendæ obsidionem minantur.

Anno 1596. pit. Interea Ordinum præsidia in vicinorum agros longè lateque excurrunt: Coloniensem præsertim diœcesin infestant ob non solutam Nuenariæ Comitissæ, quam postulabat, pecuniam. Austriacus diu hostibus elusis, dum modò hanc, modò illã obsidere velle vrbem videtur; tandem ad Hulstam castra ponit. Est id Flandriæ oppidum, loci naturâ & operibus egregiè munitum. Præerat ei cum imperio Georgius Eberhardus Comes Solmensis, qui triginta militum signa, ducibus Ernesto Nassouio & Piconio, secum habebat. Austriacus cum vniuerso exercitu Scaldi traiecto, duo millia peditũ, Burlotio ductore, præmittit, qui loca circumiecta occuparent, atque in primis Clinrapum, non validissimum quidem, opportunum tamen propugnaculum; quod à triginta militibus defensum, deditionem tandem fecit. Repertæ in eo duæ machinæ, quarum vsus Austriacis, dum castra muniunt, fuit peropportunus. Postridiè præsidiarij egressi, post multam cædem vtrimque, in vrbem reijciuntur, vulnerato Solmensi, cæso ex Austriacis Tisslingo. Burlotius propinquæ casæ & pomarij commoditatibus adiutus, locum eum capit, statimque milites communire iubet. Ibi ceterorum aduentum exspectantibus magna diu fuit commeatuum inopia, impeditis ab hoste itineribus. His tandem sex millia peditum cum parte aliqua commeatus subsidio missi; è quibus tamen multi ab oppidanis oppressi, & tormentorum telis, quæ vndique in eos spargebantur, confecti, in ipsa expeditione perierunt. Austriacus non minore animo, quàm cœperat, obsidionem continuare studens, vbi in castra venisset, conuocato concilio, quid optimum factu sit perquirit. Re deliberata, quum diu varijs sen-

Hulstam obsidens.

mentias esset certatum; Ronæus aggerem, qui, fossa prætenta, militum excubijs destinata, oppidum Morschanzæ propugnaculo connectebat, & liberū vltrò citroque commeatum præbebat, aggredi, eoque occupato, ipsum propugnaculum inuadere statuit. Ac primum lorica maioribus machinis cōuerberata, atque aditu patefacto, circiter quingentos ferentarios, impetum facere iubet. Ij fossam ingressi, excubitorum partem occidūt, partem in fugam agunt, ac pro se quisque munitiones excitant. Hæc nocte gesta. Sequenti die qui erat 15. Cal. Aug. post signum buccina datum tormenta maiora displodunter, agger quamuis fossa multisque propugnaculis munitus, tribus in locis inuaditur, atq; occupatur. Signa ibi obsessis tria erepta, & ex ijs ad ducentos desiderati. Iam Varaxius 11. tormentis Morschanzam assiduè verberabat, Præsidiarijs ex tam repentina iactura vehementi metu perculsis. Auxit hunc metum periculum, quod ab vrbe exclusi, commeatu facilè se prohiberi posse, moxque diruto vallo, summis viribus oppugnatum iri intelligerent. Tympanotribam ergò mittunt, vt cōditiones quibus dederentur referret. Pacti ergo vitam, relictis impedimentis, signis tamen erectis, egrediuntur octingenti circiter, eumque locum hosti tradunt. Quæ res vt Ronæo, cuius hæc potissimum consilio gesta esse diximus, magnam attulit laudem; ita in probrum & ignominiam præsidiariorum vertit; quum & deditio magna ex parte inuitis centurionibus esset facta, & auxilium in propinquo esset. Verùm laudis huius fructus Ronæo, qui non multò post tormentario globo ictus occubuit, non admodum fuit diuturnus. Huius propugnaculi expugnatio vt obsidētibus magna commodo-

Anno 1596.

agger expugnatus

& Morschanza

Ronæus cadit.

Anno 1596. moda; ita oppidanis magnas attulit difficultates, immò omnia penè ad victoriam momenta in ea posita videbantur. Iam enim liber vndique Hispanis erat commeatus. Propius ergo ad vrbem admotis machinis, tanto impetu mœnia pulsabant, vt jam aditus satis magnus ad inuadẽdum esset apertus. nec tamen obsessi quidquam quod ad defensionem sui pertineret, intermittebant. Nam & exterioribus conuulsis prostratisque munitionibus, nocturnis diurnisq; operis alias excitabant, cuniculos agebant, candentes globos ferreos è ligneis machinis, quæ singulari artificio ferreis vinculis continebantur, in medium hostium non sine damno immittebant, magno denique animo irruentes, & per loca diruta irrumpere conantes excipiebant. Ita dum ab vtrisque acerrimè pugnatur, vtrimque multi, nec gregarij tantùm milites, verùm etiam peritissimi cadunt duces. Oppidani tandem, omnibus munitionibus nudati, quum hostẽ quiduis potius facturũ, quam ab oppido re infecta discessurum perspicerẽt, nec Nassouium tantis, quantæ ad soluendam obsidionem requirerentur, copi-

Oppidum deditur. js instructum scirent: incolumitatem vitæ ac fortunarum pacti, discedunt, honestis quidem conditionibus, quæ tamen eorum multis, qui extrema omnia tentanda prius quàm oppidum dederetur, non satis placebant, ab Austriaco, collaudata eorũ virtute, dimissi.

Fœdus inter Gallum & Anglũ renouatũ. Initio mensis Septembris Bullionius magno cũ comitatu in Angliam proficiscitur, vt iuramento fœdus quod inter Angliæ & Galliæ reges erat initum sanciret. Eius fœderis leges hæ fuerunt: vt vetera conuenta, pacta sarta tecta conseruarentur, insuper nouum fœdus iam coiret, inque eius soci-

etate

etatem omnes reges, principes, respublicæ recipe- Anno
rentur, ad quos Hispanicæ potentiæ metus pertine- 1596.
ret: nec pax, nec induciæ cum Hispano, nisi de communi vtriusque regis consensu fiant: Angla quatuor milia peditum in Gallias mitteret, eisque stipendia solueret; insuper Gallo, si necesse videatur, nec regina abnuat, totidem alios conscribere liceret: de sumptuum factorum solutione obsidibus caueretur: aduersus peregrinos, si qui in Angliam belli faciendi causa descendant, vtrique alteris auxilia mitterent. Anglorum in Gallia militantium Galli, Gallorum in Anglia militantium Angli ordines ducerent; Galli in Angliæ intima non penetrarent, sed ad quinquaginta miliaria Anglicana in finibus subsisterent; apparatum bellicum ex vtriusque regno exportare, numerato precio, liceret: vterque alterius nationis mercatoribus saluum commeatum præstarent: Anglis ob religionem vim fieri suo in regno Gallus non pateretur. In hęc capita quum Bullionius regis sui nomine iurauisset; missus est Comes Sarisburius in Galliam, qui idem iuramentum reginæ suæ nomine Galliarum regi præstaret. Ex Anglia Bullionius in Hollandiã traiecit, ibique cum Ordinibus confœderatarum prouinciarum hæc ferè transegit: Reges Scotiæ, & Daniæ, Electores ac principes Germani, cæterique, quibus Hispanorum potentia formidini esset, ad fœderis societatem sollicitarentur; locus de Galliarum & Angliç regum voluntate constitueretur, vbi de ijs quæ ad Hispanum tam reprimendum, quàm inuadendum spectarêt, deliberaretur: ineunte vere Gallus exercitum in finibus Picardiæ & Artesiæ instructum haberet, Nassouius cum suis copijs alibi hostem distineret: Ordines regem mili-

& Hollandos.

Anno 1596. litibus, pecunia iuuarent: omnis belli moles in Belgicas prouincias, quas Hispanus tenebat, deriuaretur: rex vetera officia, pacta, conuenta, priuilegia rata haberet, ijsque Belgas mercatores vti frui sineret: familiam Auraicam commendatam sibi haberet; ad prædia, Hispanorum vi erepta, recuperanda, viduæ liberisque auxilia præstaret: commercia vtrimque libera essent, nec pro ijs maius quàm ciues vectigal Belgæ penderent: hostium naues vtrique ex æquo persequerentur, præda ijs, qui primi terræ appulerint, cederet: priuatorum opes ad soluenda publica debita vadari nemini liceret: nauigatio à neutra parte impediretur: naues inuitæ in nullum portum pertraherentur, nec merces aut vendere aut permutare cogerentur. Academiæ Lugdunensis nomine Bullionius rogatus fuit, vt honorum tituli, qui ab ea contribuerentur, apud Gallos quoque rati haberentur: quod à rege postea concessum est, illud tamen exceptum, vt qui in ea Academia Doctores pronunciati essent, ab Antecessorum officio in Gallijs abstinerent. Bullionius liberaliter vbique tractatus, ac honorificè tandem dimissus, ad regem suum est reuersus.

Daniæ rex regnum init. Vndetricesimo Augusti mensis die Christianus IIII. rex Daniæ & Noruegiæ solenniter Haffniæ inauguratus est, magna frequentia nobilitatis, & exterorum Legatorum; inter quos à Cardinali Austriaco missi fuère, qui equos aliquot generosos regi donârunt. Ordines etiam confœderati quamquam serò per legatos regi sunt gratulati, eique pulcherrimam omnibusque rebus instructissimam nauem dono miserunt; sex insuper generosissimas scatulati coloris equas. Legati honorificè excepti, singulique catena aurea magni ponderis

ris donati. Non multò post in Angliam à prædi- Anno
ctis Ordinibùs legati missi sunt, qui cum regina 1596.
varijs de rebus tractarent. Angla enim, quæ magnā
hactenus pecuniæ summam pro Belgis expende-
rat, eiusque partem aliquam sibi reddi superiori
tempore postulauerat: Ordines verò hanc eius
petitionem, magnos belli sumptus quos quotidie
facerent, excusantes, in aliud tempus reiecerant.
Regina verò cum vehementer instaret, nec verbis
sibi ac litteris, sed re ac numis satisfieri posse dice-
ret: eius placandæ, cuius auxilijs etiamnum satis
commodè carere non poterant, inierunt rationes.
Legati, impetrato ad exponenda mandata die, pri-
mùm superiorum temporum officia, rebus valdè
afflictis sibi præstita, benignè commemorant, deq;
ijs reginæ gratias officiosè agant: deinde quibus in
periculis ab Austriaco summis viribus oppugnati
versentur exponunt; quibus cum pares esse vix
possint, demisse rogant, ne post tot prudēter auer-
sa pericula, post tot magno animo exantlatos la-
bores, tot fortiter deuictas miserias, insolentissi-
mi hostis prædæ ac libidini relinquantur; cui, vi-
ctis Belgis, facilè sit futurum in reliquum vniuer-
sum orbem, maximè verò in vicinas regiones, cum
armis regni fines proferre, in immensum ex hac
victoria auctis eius opibus: reginam certè quantò
propior sit hosti, tanto propius à periculo abfutu-
ram. Ad hæc regina liberaliter respondet, ac primū
grata esse sibi ostendit tam auxilia ad Gaditanam
expeditionem missa, quàm legati sui Comitis Lin-
colnij, qui paulò antè ad Hassię Landgrauium pro-
fectus fuerat, honorificam tractationem. Ad cæte-
ra quod attineret, non latere eos quā liberaliter cum
ipsis egerit, promissa loco solutionis accipiendo.

Hollandi Legates in Angliam mittunt.

Angla ad Legatos responsum.

Illud

Anno 1596. Illud secum cogitarent, quantos sumptus ipsa fecerit, tanta auxilia iam vltra decem annos eis subministrando. Rebus propè perditis vnam se inuentam quæ potentissimi regis odium in se suscipere, quàm afflictis deesse maluerit. Proinde æquum sibi videri, vt rebus iã melioribus, tot egregijs partis victorijs, de satisfaciendo, si non omni, saltem aliqua ex parte cogitarent. Neque enim illum Philosophorum, quem vocant, lapidem penes se esse, neque Peruanam aliquam regionem tenere, vnde immensa vis auri & argenti in suum regnum, vt in Hispaniam, effundatur. Vnum sibi esse thesaurum beneuolentiam & tributa subditorum, quos prægrauare nollet. Facultates ipsis non deesse demonstrare auxilia regi Galliarum præstita. Alia ergo oratione vterentur quàm illa, quæ gratiarum tantùm actionem contineret. Ad illud quod de Gallicis auxilijs regina dixerat à Legatis responsum: Illud ex fœdere se fecisse, eamque rem ad communem fœderatorum vtilitatem pertinere: vt ita bellum in longinquas regiones auerteretur, hostiumque vires vndique distentę infringerentur. Nec regina factum sibi displicere dixit: ceterùm qui cum Legatis agerent è suis nominauit præcipuæ auctoritatis viros. Cum his Legati sæpius collocuti, primùm difficultates quibuscum prouinciæ Belgicæ etiam nunc colluctentur, exponunt; quibus oppressis, tot munitissimis oppidis captis, tot portubus occupatis, tam denique in immensum auctis vectigalibus, an quidquam sit quod victoriarum eius cursum sistere possit? Anglis præsertim, vt & omnibus vicinis, metuendam esse tam potētis hostis vicinitatem, vtpote quorum regnum iam diu insidijs & vi oppugnet. Ad hæc reginæ quæstor ita respon-

respondit: maximas reginam facere in Gallicum & Hibernicum bella expensas, præter eos sumptus qui in superiori classe ornanda sint collocati. Quod verò promissa ex superiorum temporum contractu Legati tantoperè vrgeant auxilia, caussam nullam sibi videri, siquidem apertis verbis, quamdiu illa suppeditari debeant, reginæ permissum sit voluntati. Et quamquam cum Hispanis pacem facere consultum sibi non videatur: illud tamen æquum non esse, vt regina in infinitum auxilia ipsis præstare teneatur. His vltrò citroque habitis sermonibus, Ordinum Legati conditiones quasdam solutionis proponunt; eas tamen Angli, quòd parum idoneæ viderentur, reijciunt. Per eos dies frequens fama fuit de classe Hispanica, quæ in altum vela factura dicebatur. Regina ergò quæ se peti existimabat, quæ ad resistendum pertinerent omnia prouidere cœpit; Legatos, re in commodius tempus dilata, honorificè dimittit; ita vt de expensarum magnitudine & mora solutionis conquereretur quidem, beneuolentiam tamen ostenderet, nec auxiliorum spem præcideret.

Anno 1596.

Initio mensis Septembris, Bironius ad limites Picardiæ defendendos missus, Comitatum Sampauli peruadit, Imbercortum ac Ferennam, aliaq; loca nonnulla diripit. Ad eum reprimendum Varrabonius cum quingentis equitibus ac peditatus aliqua parte Hesdino profectus, in insidias præcipitauit, cumque alijs quibusdam captus est. Bironius hac parta victoria, Sampaulum oppidum aggreditur, muros quatuor machinis pulsat. Præsidiarijs metu aufugientibus, ciues deditionem faciũt, munitiones omnes demoliri iussi. Dum Galli Artesiã peruagãtur, omnibusque belli calamitatibus affligunt

Sampauli à Gallis occupatum.

Anno 1596. gun: : Austriacus ab Hulstæ expugnatione cum exercitu reuersus, Arscotanum & Aumalium in Atrebatensium fines mittit. Bironius cognito hostium aduentu, cum præda in Galliam se recipere studet, frustrà tergum prementibus Hispanis, viasque obsidentibus: à quibus non semel prælio lacessitus, suis se locis continebat, donec traiecto ad Auxiam flumine, ad suos penetrauit. Confirmatis copijs, in Artesiam regreditur, ac rectà in Atrebates ducit. Ibi cum Arscotanis inito prælio, vtrinque non pauci sunt desiderati. Non multò post vniuersam penè Hannoniam infestat, magnamq; prædam ex eo agro abducit; tota Gallici belli mole in eas regiones incumbente. Rex Galliarum indicto omnium Ordinum conuentu, Rothomagum eos venire iubet. Qui quum frequentes adessent, hanc in sententiam ad eos verba fecisse dicitur: cupere se duobus titulis insigniri, vt scilicet & Liberator, & Restaurator Gallici regni perhibeatur. Ea de re cum eis se consilia communicaturum. Simul declarat quàm afflictam ac penè desperatam vniuersam Galliam regno admotus offenderit, cuius iam pars aliqua Dei benignitate, senatorum consilijs ac precibus, procerum studijs & laboribus sanata sit, & ad huc inuicta stet. Non eam ob causam hoc cõcilium à se coactum, vt decreta à se facta approbarent tantùm: quin potius in commune consulerent: eorum consilijs lubenter se vsurum, & ad ipsorum voluntatem suam sententiam accommodaturum. Quod etsi parum è regis dignitate esse canescentis præsertim, ac toties victoris, videatur: tamen & patriæ iuuandæ, & titulorum, quos dixerit, consequendorum desiderio se tanto flagrare, vt omnia huic rei posthabenda sibi arbitretur. Inde

Gallorum excursiones

Rothomagi comitia: & regis ad suos oratio.

Ga-

Cancellarius exorsus, prolixè & Galliarum miserias, & regis singulare erga Rempublicam studium declarauit: eoque tandem orationem conuertit, vt agriculturam mercaturamq́; , quæ duæ artes maximas ad Rempublicam adferrent vtilitates, reuocandas, & veluti postliminio restituendas esse diceret. Eo in cōuētu decreta quędā ad regni vtilitatē facta. Anno 1596.

Hispaniæ rex, vt cladem Gadibus ab Anglis acceptam vlcisceretur, statim quàm primum Indica classis appulit, magnis sumptibus maritimam expeditionem adornare cœpit; classiq́ue vniuersæ Martinum Badillam præfecit. Ea ad promontoriū, quod Finē terræ vocant, delata, vi tempestatis fędè vexata ac disiecta est, nauesq́; complures absorptæ. *Classis Hispanica vi tempestatis disiecta.*

Agriam Hungariæ oppidum circa hæc tempora Amurathes Turcarum tyrannus obsederat. Pręsidiarij, vrbe relicta, in arcem se recipiunt; qua & ipsa vehementer oppugnata, machinisq́ue concussa, Turcarum fidei ita sese permittunt, vt abiecta (heu scelus!) Christiana religione, mores eorū & leges profiteri non dubitârint. Maximilianus quidē Austriacus & Transyluanus, vt obsessis auxilium ferrent, copias magno studio collegerant; sed continuis pluuijs, atq; inde itinerum difficultatibus impediti, ad Agriam iam ab hostibus occupatam, serò nimis peruenerunt. Mox ergo in conspectu Turcarum positis castris, quotidie leues faciunt excursiones: sed 21. Octobris die res ad iustum pręlium protracta est. Christiani enim magno cū impetu in Turcarum cuneos, quà confertissimi erant, irruentes, disiectis ordinibus, vniuersam aciem perrumpūt, fugientibus machinas eripiunt: inde prædæ intenti relictis signis castra peruagantur. Cicala Mamalucus, quū palabūdos videret, recētib᷒ copijs in eos illa- *Agria à Turcis capta.* *Christiani victores cadunt.*

Anno 1596. illatus, præda graues sternit, fugat, cædit: atque ita pulcherrimam è Christianorum manibus victoriã extorquet. Multa millia vtrimque hoc in conflictu cecidisse dicuntur: Turcarum tamen cæsorum maior fuit numerus. Hac parta victoria, multo suorũ sanguine, Turcarum Tyrannus Constantinopolim rediit, ibique voluptatibus, quibus valdè deditus ferebatur, indulgens, Christianis respirandi, seseq; recolligendi spacium dedit.

Edictum regis Hispaniarum cõtra negociatores antlicos.

Iisdem temporibus magna tempestas mercatorum quorundam fortunis impendere videbatur. Hispaniæ enim rex, multis acceptis detrimentis, cũ ærarium exhauriri, atque infinitas pecunias ad res vel mediocres gerendas vix satis esse sibi, videret: constituendi ærarii negocium senatorum nonnullis committit. Ii rationibus diligenter excussis vsurarum magnitudine regias opes valdè grauatas atque attritas animaduertunt. Solet enim Rex, qui multis in prouinciis in bella sumptus facit, à locupletioribus mercatoribus pecunias mutuò accipere; easque cum graui plerumque vsura è reditibus suis exsoluere: quæ res vt accipienti plerumque necessaria; ita erogantibus nonnunquam fructuosa, semper quidem periculosa; vtrisque verò damnosa sæpius esse solet. Nam & quod creditum est, præterquam quod magna eius portio præroditur, Regi expensum sæpè perit: & mercatores, qui & ipsi alienam magna ex parte tractant pecuniam, vbi semel solutio fuerit impedita, non raro bonis omnibus euertuntur. Rex igitur cum magnæ essent ærarii angustiæ, nec mercatores, quibus ante multum debebatur, quidquam amplius in conficienda pecunia facturi viderentur: Syngraphis repudiatis, receptisque hypothecis, quæ cum collybistis (quos

(quos Aulicos negociatores vulgò appellant) acta erant, irrita fecit: deque hoc suo facto scriptum promulgari iussit, hanc ferè in sententiam: Animaduertere se, tantam diuitiarum vim, quantam è tam multis, tamque opulentis regnis, summa Pontificis liberalitate, ac munificis subditorum tributis, & ad Catholicam religionem propugnandam, & oppugnandos hæreticos colligi par sit, ad eam iam recidisse inopiam, vt dissipatis opibus, absumpta pecunia, reditibus oppignoratis, regale patrimoniũ magna sui parte appareat imminutũ: Hanc verò egestatẽ inde proficisci, ꝙ temporum necessitate coactus, ad sumptus necessarios magnam pecuniæ vim à mercatoribus accipere, proque ea grauissimas vsuras dependere hactenus sit solitus; quarum magnitudo ita regias exhauserit opes, vix vt quidquam reliquum esse videatur, quo præsentibus necessitatibus subueniri queat. Ceterùm, inquit, cum ea quæ laudatissimæ memoriæ pater noster, maximo nobis commendauit opere, nisi huic rei medicina afferatur, omnibus nudata præsidijs relinquantur, Catholica scilicet religio, & populi salus; ad officium nostrum pertinere existimauimus, eorum reprimere cõatus, ac flagitia, qui malis artibus ad diuitias corrodendas grassantur, ac veluti hirudines nostras opes exsugunt. Nam & agricolæ, abiecto rerum rusticarum studio, nostris in regnis iam negociantur, argentariamque faciunt, suo quidem cum emolumento, nostro verò maximo cum damno. Hinc enim fit, vt magna vis auri atque argenti, quam Indiarum regiones in nostra regna quotannis effundunt, ad exteros, hæreticos, rebelles, hostesque nostros efferatur: cuius illi præsidio adiuti, vires nostras, Anno 1596.

Anno 1596. quas ad eos domandos, quàm possumus maximas, adhibemus, eludunt, suasque opes è nostris detrimentis stabiliunt, & augent. Huic igitur incommodo vt remedium aliquod adhiberemus; quàm maximè ex vsu nostro fore putauimus, si regales nostri reditus, graui illa fœnebri pecunia, & vsuris, quibus hactenus fuêre grauati, liberi, ærario nostro inferrêtur. Quocirca hypothecas omneis, & si quid aliud prædictis negociatoribus assignatum, pignoriúe datum est, in nostrum vsum reuocamus, nostrisque ministris plenè & integrè restitui volumus. Hoc mandato icti negociatores aulici, quum diu frustrà per libellos supplices apud regem egissent; causam omnem rerum spiritualium iudicibus, quin & ipsius regis conscientiæ permiserunt: vtque eò faciliùs priorum debitorum solutionem extorquerent, quum in magnis rei nummariæ difficultatibus versari regem animaduerterent; etiam octo myriadum summam adijcere promiserunt; tantumque hac ratione effecerunt, vt & modò commemoratum decretum rescissum, & aliud editum sit, quo & famæ ipsorum, & commodorum rationibus fuit consultum.


Collybistis placatur Hispaniæ rex.

MER=

MERCVRII GALLOBELGICI SVCCENTVRIATI

LIBER II.

CONTINENS EA, QVAE AB ANNO M.D.XCVII. *vsque ad annum* M.D.XCVIII. *memoratu digna euenerunt.*



DVLTA HYEME AVSTRIacus Dertolam, vnam ex insulis Zelandicis, tentare statuit, iam antè pecunia corruptis nonnullis: Sed detecta conspiratione, auctoribusque punitis, aliam occasionem rei benè gerendæ captandam ratus; copias non contemnendas Turnhoutum (is Brabantiæ vicus est) misit, quæ; frigore concretis aquis, in hostilem agrum aliquà irrumperent. Vniuersis copijs præerat Varaxius, diuturno vsu militiæ & prudentia clarus. Hic exercitus dum ad Turnhoutum desidet; stipendiaque tardius aliquantò soluuntur; pagos vicinos multis damnis affecerat; Antwerpiensibus etiam hortorum, molarum, & quidquid nancisci poterant, deprædationibus, valdè erant molesti. Scribit ergo ad Antwerpienses Austriacus, ad stipendia militibus soluenda triginta scutatorum millia numerarent: ita facilè in officio contineri posse. Eius summæ parte aliqua

Anno 1597. *Hispanorũ ad Turnhoutum clades.*

Anno 1597. repræsentata, commeatibusque impensa; in castra miles palabundus rediјt, anni tempestate securus. Cognitis hostium consilijs, Nassouius præuertendũ ratus, mira celeritate ad sex millia lectissimorum militum è vicinis locis colligit, sibique ad 22. Ianua. Dordraci & ad Montem Gertrudis præstò esse iubet: qui omnes prædictis locis, eadem penè hora, centum & quinquaginta nauibus aduecti, conuenêre. Exposito in terram milite, & assumptis maioris generis duobus tormentis, duabusque machinis campestribus, iter ingreditur, noctem diei continuans; sed vt in locis paludosis, atque asperrimo anni tempore, parum viæ eo die confici potuit. Verùm omnibus superatis difficultatibus, & in campum patentem ac liberum eductis copijs, aciem instruxit. Peditatum vniuersum in octo manipulos diuisit. Dextrum cornu Angli tuebantur; sinistrum Scoti: medium prætoriani, ductore Notio, tenebant. Anglis Brederodius; Scotis Heraugerius imperabat: subsidiarias cohortes, Zelandos, Lacordius ducebat, adiunctis classiarijs vnà cum machinis, plaustris, & reliquis impedimentis. Aciem hanc equitatus præcedebat, sex turmis distinctus. Equitibus arma, non lanceæ, sed scorpiones, (ita enim genus illud minorum tormentorum quæ CARABINOS hodie vocant, appellare nobis placet) Dextro cornui præerant Hohenlous & Solmensis Comites. Agmen Mauricius claudebat. Hoc ordine sub signis noctu progressi, secunda vigilia ad pagum Rauels perueniunt. Ibi tantisper commorati, dum peditatus consequeretur, rectà Turnhoutum ducũt. Sed Varaxius, comperto hostium aduentu, iam castra, & qualescumq; illas munitiones deseruerat, & præ-

missis

missis Herentalam impedimentis, eòdem secum suis copijs recipere studebat, dispositis passim insidijs, quæ insequentes remorarentur: Nassouius, vbi castra deserta cognouit, ne elaberetur sibi hostis veritus, è suis præmittit, qui pontem, media in via occuparent; extremumque agmen carperent, ac velitationibus distinerent, dum vniuersus exercitus aduentaret. Verùm vbi animaduertit, hostiles copias iam longius progressas esse, quàm vt à peditatu eis noceri posset: solo equitatu hostem inuadere decreuit. Iussis ergo ad pugnam se comparare equitum magistris, illa tantùm consultatio supererat, quomodo in loca ad equestre prælium minus iniqua hostis pertrahi posset: qui si suis se locis continuisset, facilè equitum vim elusurus videbatur, vtpote in solo & syluis arbustisque, & paludibus impedito. Dum leuia vtrimque prælia conferuntur, & Varaxius, quantum poteſt, integris ordinibus progreditur: Hohenlous & Solmensis, circuitis lateribus, primam hostium aciem anteuertunt. Varaxius enim copias suas in tres acies ita distribuerat, vt dexteram, equitum quinque signa, sinistram concædes, & flumen tuerentur. Vbi locis æquis constitêre, à Mauricio datur pugnæ signum. Non tulerunt primam impressionem Varaxiani equites, sed veluti locum idoneum capturi, ordines deseruêre. Ita in nuda primæ aciei peditum qui Germani erant, latera Nassouiani equites inuecti, magnam stragem dederunt. Eodem penè momento Verus Sidneius, Baxius, vltimam aciem Neapolitanorum perruperunt ac disiecerunt. Restabat media, in qua Lamottani & Burlotiani milites, veterani plerique omnes. Sed nec hi diu restiterunt, sed in fugam effusi, passim cæsi aut capti

Anno 1597.

Anno 1597. sunt. Peditibus profligatis, Hispani equites quibus difficilis esset ad fugam exitus, quasi prælium redintegraturi, sese recolligunt, & ad buccinæ signũ, magna cum alacritate illati, Nassouianos, solutis ordinibus, prædæ iam intentos petunt. Trepidatũ hîc aliquandiu; & proximus quisque, fugientibus similes ad suos sese recipere. Causa tumultus cognita, Mauricius captiuos, quorum nõ mediocris erat numerus, quàm primum discedere à se iubet; & quatuor equitum turmas, quas ad omnem euẽtum paratas in subsidijs esse iusserat, frustrà requirit. Nam & hæ ipsæ ad conflictum prouolauerant: quod, qui eas ducebat, Barquerus Anglus, clausa galea, Imperatoris mandatum minus rectè percepisset. Hoc in tumultu non pauci è captiuis sunt interempti: quod metus esset, ne resumptis animis, cum ceteris, impressionem facere molientibus, sese coniungerent. Verùm illi vix tentata pugna, multis suorum desideratis, diffugêre, & quà quisque potuit, euadere conati sunt. Nassouianorum qui tumultum ad suos ordines primi pertulerunt, ne pro timidis & ignauis haberentur, ideò retrogressi videri volebant, vt pedites gradum accelerare iuberent: vitare tamen aliqui non potuerunt, quin dicterijs fugam exprobrantium incesserentur. Ex Hispanis hoc in conflictu supra duo millia desiderati dicuntur, præter captiuos.

Varaxius Comes cæsus. Cecidit & ipse Varaxius primo statim conflictu: cuius cadauer, permissu Mauricij, Liram, atq; inde Machliniam, vbi tum vxor eius cum numerosa vtriusque sexus prole erat, deductum est, ibique humatum. Ex parte aduersa pauci cæsi sunt; inter quos Donquius fuit, equitun præfectus, qui accepto lethali vulnere, paucis post diebus exspirauit.

Parta

Anno 1597.

Parta tam insigni solo cum equitatu victoria (pedites enim, quod tardiùs aduenissent, nullam pugnæ partem capessiuêre) Mauricius sub vesperam exercitum Turnhoutum reducit, & castellum, admotis machinis, oppugnatum, deditumque præsidio firmat. Inde litteras ad Austriacum mittit, in quibus lytro captiuos redimendi conditionem ei offerebat. Erepta sunt Hispanis signa militaria peditũ duodequadraginta: equestre vexillũ vnũ, Alphonsi Dragoni: quæ Hagam Comitis perlata sunt, ibiq; suspensa. Patrato prælio, quũ qui habitant illis in locis rustici arma cæsorum collecta, in eius loci templum congessissent; præsidiarij Diestani, vt ad se ea veherentur, mandârunt. Bredani verò, vt testatiorem suam facerent victoriam, eadẽ sex plaustris imposita, Bredam abripuêre. Ita ab Hispanis, inopinato hostium aduentu oppressis, nec ordines satis tuentibus, infeliciter in Brabantia pugnatum:

At meliore in Gallia successu ijdem sunt vsi: Dorlantio præerat Hernandus Portocarera: vir quidem exiguæ staturæ, sed magni animi, militiæque gnarus. Is Gallorum quorundam consilijs adiutus, Ambianum, præcipuum Picardiæ oppidum, singulari strategemata in suam potestatem redegit. Die 11. Martij duodeuiginti milites rustico habitu inductos, mane ad portas adesse iussit, quidq; ab ijs dici vellet, edocuit: ipse cum cohortibus aliquot post rudera collapsi templi non procul ab vrbe, in insidijs latebat. Nec tamen res ita celari poterat, quin rumor hostis propinqui in vrbem permanaret. Personati illi rustici, veluti diuersis itineribus venientes, à statione quæ ad portas excubabat, ecquid de Hispanorum copijs scirent, rogan-

Ambianum ab Hispanis strategemate occupatur.

Anno 1597. gantur. Respondent vno ore omnes, quod edocti fuerant, quodq; è re maximè videbatur. Pars plaustrum fœno onustum ductabant, pars culeos iuglandium plenos humeris ferebant. Eorum vnus quum, veluti fortè fortuna sacco soluto nuces effudisset, iamque currus portas ita occupasset, vt claudi non possent: excubitores vrbanos nucibus legendis intentos armis, quę sub vestibus occultata gerebant, inuadunt, quosdam obtruncant, reliquos in fugam conijciunt. Mox signo dato excitus Portocarera, cum suis ex insidijs prorumpit: vrbemq; sub signis ingressus, munitiora loca capit, præsidijsque firmat, Sampauli Comes, penes quē tum erat Picardiæ administratio, quum in ciuibus nec virium satis, nec voluntatis ad resistendum videret, fuga elapsus, cum alijs nonnullis, periculo sese subduxit. Ad prædam inde conuersi Hispani milites, victoriam parum ciuiliter exercent; ciues exarmant, præter paucos sibi addictos; metuq; obsidionis, suburbia & pagos vicinos incendunt: omniaque ad obsidionem tolerandam necessaria, statim magna cum diligentia procurant. Sunt qui cladem hanc ciuium vel imprudentiæ, vel pertinaciæ, imputandam putent; vtpote qui toties à rege admoniti, insidias sibi fieri, rogatique, vt præsidio sese communirent, alia atque alia caussati, tam prudenti consilio vti noluerunt: cuius temeritatis grauissimas pœnas, capti ac spoliati, dedēre. Fuit hæc iactura Galliæ eò acerbior, quod paulò antè rex, qui proxima æstate exercitum in Artesię & Hannoniæ agrum ducere constituerat, magnam vim commeatuum, vnà cum quinquaginta tormentis ęneis eò præmiserat, vt inde ad omnem vsum expediri possent. Nihil ergò cunctandum sibi ra-

bi ratus, Sampauli Comitem, cum Bironio, secundo statim post vrbem captam die, obsidionis initium facere iubet: atque etiam sibi aliquid contra hostilia oppida tentandum ratus, Atrebates proficiscitur, deq; nocte pyrobolo admoto, portas effringere, & scalis muros superare aggreditur: sed irrito conatu. Oppidani enim præsidiarijs coniuncti, armis arreptis, hostes iam muros scandentes propellunt ac deijciunt. Ad Ambiani igitur obsidionem reuersi Galli, magnis operibus castra communiunt, nobilitate vicina edicto conuenire iussa; omniq́ue ad vrbem intercluso aditu, quadraginta quinque machinis mœnia quatere incipiũt. Die XVII. Iulij obsessi magna vi in castra Gallorũ erumpunt, & non sine cæde, vtrimq́ue facta, reijciuntur. Nec verò obsidentes quidquam quod ad oppugnationem faceret, intermittebant, sed cuniculis actis, fossisq́ue perductis, muros subruere incipiebant. Debilitauit Hispanorum animos non parum ducis sui Portocareræ cædes, qui die III. mensis Septembris, glande tormentaria traiectus, occubuit: in cuius locum suffectus est Marchio Montanegrus, Italus, cuius ille opera fideli in capienda vrbe antè fuerat vsus: Sed freti auxiliorum spe, quæ aduentare dicebantur, Somonæ alueum præterlabentis obstruunt, vt circumiacentia loca inundata facilem nauibus, quibus auxilia & commeatus subueherentur, aditum præberent: quod tamen consilium qui ad obsidionem soluendam venerant, aut non intellexerunt, aut certè neglexerunt. Cum octingentis equitibus præmissi Busquoius, Burlotius, & alij XXIX. Augusti in regias copias incidunt. Acri conflictu edito, Martem iratum habuêre Hispani: è quibus triginta supra cen-

Anno 1597.

Atrebates frustra à Gallis tentata.

Ambianum à Gallis obsidetur.

Anno 1597. tum occisi, centum & viginti capti, equi ducenti abducti victoribus prædæ cesserunt. Re infeliciter gesta, Austriacus quantas potest copias contrahit, veteranos omnes euocat, præsidijs nouos milites imponit, ex Italia adductos. Ita confecto ad xv. milia peditum, & III. milia equitum exercitu, Ambianum contendit comitantibus Petro Ernesto Mansfeldio, Francisco Mendoza, Aumalio, Arscotano, Burano, & alijs. Ei in itinere se Gallus obiecit; diuque in armis vtraque acies stetit: sed eminus tantum tormentis pugnatum est. Vergente ad occasum sole, Austriacus Somanam ponte iungi iubet, ex illa parte obsessis opem ferre tentans. Pulsi à Gallis Hispani, Vinacurtum petunt, & loca vicina ferro flammaque vastant. Abeuntes Gallus insequutus, Atrebatium fines ingreditur, cLademque pari clade rependit. Obsessi auxiliorum spe destituti, de conditionibus agere incipiunt, non difficili Gallo, qui ne vrbem aliquam in confinio positam Austriacus obsideret, metuebat. Paciscuntur ergo, vt nisi inter sex dierum spacium auxilio bis mille virorum iuuarentur, vrbs regi dederetur; ea conditione vt præsidiarijs omnibus, saluis impedimentis, abire liceret: ciues etiam qui cum Hispanis contra regem in armis stetissent, in gratiam reciperentur. Ad diem igitur constitutum, quum auxilia nuspiam comparerent, vrbs Gallis restituta est, & Hispani præsidiarij, pedites circiter mille & octingenti equites sexcenti, Dorlantium deducti: Gallus, ciuium volũtati partim diffisus, partim ne quid tale in posterum accideret, prouidere cupiens, castellum in ea ædificandum curat; quo veluti habenis & exterorum, & ciuium conatus cõpescerentur. Fuit hæc obsidio inter paucas memora-

& capitur.

morabilis: nec armis tantùm, verùm etiam ingenijs & machinationibus, ad faciendas & disturbandas munitiones, summoperè fuit certatum. Austriacus tamen, ne frustrà cœpta esset ea expeditio, Monbullinum, locum naturâ & opere munitissimum, medio penè inter Caletum & Bononiam maritimam spacio situ, deditione capit, quem frustra Busquoius antea, nō paucis suorum desideratis, & in maxilla accepto vulnere, insidijs fuerat aggressus. Recuperato Ambiano, Bullionius Luxemburgensem agrum peruadit, loca nonnulla occupat, ac firmat, eo consilio, vt viam sibi & commeatum ad Belgicas prouincias muniret.

Anno 1597.

Monbullinum capiũt Hispani.

Germania interim non Turcicó tantùm bello, verùm etiam domesticis seditionibus, Austria præsertim, cōflagrabat. Plebecula enim, continuis tributis grauari se & exhauriri caussata, primū secretas coitiones facere, mox animaduersa idem sentientium multitudine, in apertam seditionem erumpere, atq; arma accipere cœpit, ductore sartore quodam, Georgio Brunnero. Tripartitis igitur ordinibus vicatim peruagantes omnes in sua verba adigunt, quidquid in arcibus aut locis occupatis repertum, describunt, in eos etiam, qui vel leuissimum aliquid furto vel vi abstulisse conuictus esset, seuerissimè animaduertunt. Quæ tamen esculenta vel poculenta inuenta; in commeatus distributa & absumpta; confectis tamē indicibus, eo, vt credibile est, consilio, vt si fortè res sine bello transigeretur, dominis earum rerum de damno satisfieri posset. Eos qui sacramentum dixissent, edere cogebant omnia grauamina, quibus à Dominis contra ius fasque premi se existimârunt: Eademque

Rustici in Austria tumultuantur.

Anno 1597.

Eorum que-rimoniæ.

demque in litteras relata & consignata ad supremum magistratum, Imperatoriam scilicet Maiestatem, mittere decreuerant. Primum autem valdè querebantur, à regulis sese immodicis tributis, alijsque seruitutibus ita grauari, vt nec facultatibus sufficiant, nec suorum quidquam operum facere possint. Trientem omnium prouentuum dominis esse persoluendum: nihilominus tamen fortunas reliquas suas à militibus exedi. Tributa in bellum Turcicum, vsitata illa quidem, non modò conferre, verùm etiam sub ductu regulorum suorum, militiam sequi, vitamq; patriæ impendere paratos esse. Verùm vt hæc postulata æquitatis aliquid habere videbantur: ita facta ipsorum ab omni humanitate, & ea quæ magistratibus debetur obseruantia, valdè abhorrebant. Nec enim cótenti minas iacere, arma ostentare, eorumque metu sedibus suis dominos eijcere: nonnullis etiam magna dignitate viris manus & vincula inijcere non dubitârunt. Ad eorum furorem vel pacifica tractatione sistendum, vel armis compescendum, nomine Cæsariæ Maiestatis missi sunt, qui cum ijs agerent: iamque res eò perducta fuerat, vt si caueretur, sibi non fraudi fore quod rebellassent, ijsq; rebus, de quibus conquererentur, medicinam adhibitum iri, ab armis discedere promitterent: sed vel responso non quale voluerant accepto, vel promissis non satis confisi, quod iam militem cótra se duci accepissent, nō modò in malè cœpta rebellione perstiterunt, verùm etiam quotidiè plures ad se aggregando, vicos & arces occupãdo, vlterius sunt progressi. Non tamen eadē fuit omniũ pertinacia, idemq; furor. Qui enim supra Bohemicam syluã habitant, quamq̃ & ipsi tumultu omnia miscu-

miscuissent, admoniti tamen vt dum ad veniam Anno
receptus esset resipiscerent;armis positis,& ad sua 1597.
quisque reuersi,quiescendum sibi statuerunt. Cis-Danubiani verò etsi spem fecerant, nihil amplius molituros: seditionem tamen multò maioribus quàm anteà viribus,redintegrârunt. Eorum circiter quingentos Colnitsius, ad Graueneccam concîdit; pagum Straslem incendit; in quo incendio multi cum liberis & vxoribus periêre. Hac clade partim fracti, partim maiora mala veriti; partim etiam Cæsareorum Legatorum verbis deliniti; & culpam suam professi & deprecati sunt; nihil etiam posthac moturos,iureiurando sese obstrinxerunt. Non diu post, nullis prouocati iniurijs, sed fatali quadam insania abrepti,ad múlta millia iterum concurrunt;tormenta & quidquid ad bellicũ apparatum pertinet,conquirunt: Pulcam,Austriæ vicum dedi sibi postulant: Lillefeldam, Monachorum conuentum, spoliant: Sampeltæ oppido *Sampelta* exercitum admouent: oppidanos monent, ne a- *oppugnatur* micos,& nihil hostile cogitantes,excludant. Non contra Cæsaream Maiestatem, supremum magistratum, arma se ferre: eò tantùm spectare, vt iustitia sarta tecta conseruetur. Oppidani vt moram aliquam interponerent,deliberaturos se, cõuocatis ciuibus, quid facto opus sit, respondent. Paulò post redeunt Legati, ijsdem cum mandatis: quibus illud tantùm responsum est: Non satis conuenire inter ciues ea de re,qua de ageretur:ceterùm melius facturos, si armis positis, domum properarent. Hoc responso irritati, vi oppugnare oppidum decreuerunt: contra quam interea oppidani diligẽter se cõparauerant. Dum ad mœnia

desidens

Anno 1597.

desident seditiosi: nocte intempesta in eas cum paucis equitibus inuectus Comes Thurinus, castra tumultus & terroris impleuit. Pauefacti igitur, magnam adesse hostium multitudinem arbitrati, ante lucem vasa colligunt, ac fugientibus similes discedunt. Tandem prudentiores intellecto errore suo, vt culpam quodammodo expiarent, seditionum auctores comprehenderunt; quorum vnus, ne viuus in hostium potestatem perueniret, cultro in ventrem adacto, sibi ipse mortem consciuit: reliqui diuersis suppliciorum generibus affecti, temeritatis vel potius impietatis suæ graues quidem, sed meritas pœnas luerunt. Hic fuit exitus periculosæ seditionis. Secundùm hæc res satis tranquillæ fuêre.

Rustici rebelles ad pœnitentiã redeunt.

Steenvicum Hispani xxvi. Martij noctu tentârunt. Nam collectis octingentis militibus, fossas ea parte, quę septentriones spectat, quãto possũt silentio traijciunt, & per vallum aduersum, reuulsis vallorum ordinibus, enituntur: sed ab excubitoribus, dum ceteri sese armant, fortiter sustinentur, ac multis cum vulneribus repelluntur.

Steenuick tentatum.

Nec melior fortuna Ordinum militibus in tentanda Venlona affulsit. Est id Gelriæ oppidum, Mosæ adsitum, non inamœnum, multisque commoditationibus insigne; nec vllo tum militum præsidio firmabatur, ciuibus qui plerique omnes bellicosi sunt, excubias agentibus. Eò Mauricius Nassouius vnum & alterum ablegârat: quibus operam insignem, Austriaco nauare se velle simulantibus, liber aditus in vrbem exitusque patebat. Ibi clauem sibi faciendam curant, qua superiorem portarum partem recludere, ac cataractam pendulam vel demittere, vel suspendere atque alligare po-

Venlona tentata.

re poterant. Vbi de rei gerendæ ordine est conuẽtum: Matthias Heldius & Schalcus, notæ fortitudinis viri, cum sexaginta militibus, naui se includunt, ac summo mane ad oppidum appellunt. Dũ portæ recludũtur, qui superiorem portarum partem occupauerant, è superiori loco signum dant ijs, qui in naui erant, qui mox egressi, vigiles conficiunt. Quum autem magna esset ad portas multitudo, quod serius aliquantò, quàm pro more, essent apertę, siue fortè fortuna, siue insidiarum indicia quædam ad oppidanum magistratum permanârint; plures etiam affluerent, quos strepitus exciuerat: Nassouiani tandem, quod difficulter se, madefacto puluere defenderent, nec Angli aliâ naui aduecti, auxilia accelerarent, in naues repulsi sunt, octo è suis desideratis; inter quos fuerũt prędicti militum tribuni; dum strenui simul ducis & militis munus explent, atque sine armatura medijs hostibus sese immiscent, occisi. Ita non Marti tantùm, verùm etiam Lauernæ cottidiana poenè sacra fiebant: quorum tamen vterque cultoribus suis, quam solent, mercedem retribuêre: Anno 1597.

Inter hos (etsi non in sago, sed in toga) familiã ducere eum, de quo nunc aliquid dicemus, qui existimabit, non fortassis errauerit. Georgius quidã Hanouer, aurifabri filius, nescio vnde haustis quibusdam artis Chymicæ periculis, in multorum principum aulis se vt auri faciundi peritum, venditabat; sed vt facilius inueniret fidem, ex illustri Baronum familia natum se ferebat. Et verò erat ea forma, ingenio, statura corporis, atque oris dignitate, vt facilè nobilioris generis fidem faceret Ita igitur ad summam impudentiam & ore & animo obfirmatis: in aulã Vittembergicam venit: *Alchymistæ fraus, & suspendium.*

quod

Anno 1597. quod Principem à subtilioribus illis studijs non abhorrere intellexisset. Edito artis, nescio quibus artibus, specimine, ita se insinuauit, vt à Principe multa impetrârit; cum primis magnam ferri vim, quod in aurum transmutaturum se, modò necessaria suppeditarentur, receperat. Interea equos emere, multos ministros sibi adsciscere, atque in omnibus rebus vt Baronem sese ferre. Verùm metuens ne propediem impostura detegeretur: fugæ captato tépore, clàm, insalutato hospite, sese subduxit, cumque auro suo disparuit. Princeps turpiter deceptum se à perditissimo nebulone animaduertens, vehementer indignari, atque in omnes regiones mittere qui hominem peruestigarent, & deprehensum adducerent. Interim è ferro illo Chymico patibulum conflari iubet. Comprehensus & superioris vitæ ludibria fassus, primum duobus digitis, vt periurus, truncatur, inde veste è bracteis illis siue laminis, quæ aurum mentiuntur confecta, addito elogio, suspenditur: & ne consueto ministerio priuaretur, additus ei fuit comesstabuli magister. En metamorphosin!

Galliæ rex Pontifici maximo obedięntiam præstat.

Die 16. Aprilis, Dux Luxemburgius Galliarum regis nomine, ad præstandam Apostolicæ sedi obedientiam, Romam magna cum pompa est ingressus, honorificeque ab ijs quos Pontifex ij obuiam miserat, in palatium, exquisito, & regio cultu exornatum, deductus. Postridiè idem audientiam impetrauit: tumque in magna splendidissimorum hominum corona, Gallus quidam nobilis Mauritius Bressius, Gratianopolitanus, hunc in modum perorauit:

Si quis est, Pater sanctißime, qui regiæ Legationis aduen-

aduentum tarditatis esse insimulandum existimet; Anno
quod tanto post regis Christianißimi cum sede Apo- 1597
stolica in gratiam reditum, nunc demum ad eam ac- Legati Ora-
cedere sustinuimus, adscribat ad sententiam suam, tio.
non modò nostrum, verùm etiam Sereniß. Regis iu-
dicium, factum id seriùs ingenuè profitentis, & ini-
quißimo animo patientis. Cui quamuis nihil esset vt
optatius, ita longius, quàm hoc memoris, & ex Beati-
tudinis tuæ nutu pendentis animi fungi officio, cũ Pon-
tificiæ dignitatis sanctimoniæ, tum tuis erga Franciã
meritis immortalibus, à se omnium maximè Regũm
debito; frustra tamen omnia expertos præstare id
maturius, per magnam multiplicis grauisq; belli mo-
lem vimqúe, non licuit. Sunt namq; infera superis,
humana & terrena cœlestibus valdè disparia. Ete-
nim beatæ mentes fruuntur liberè & sine vllis impe-
dimentis æuo. Stellæ æthereiq; orbes, cursus & conuer-
siones suas, omnis expertes offensionis, constantißimè
seculis innumerabilibus conficiunt. Verùm homines
magnis sæpenumerò rerum difficultatibus & angustijs
vrgentur: habentqúe plurima suis propositis & cona-
tibus obstantia. Neque hac naturæ lege est quisquam
mortalium solutus. Quo minus rationi est consenta-
neum, si quæ res parum alicui ex sententia processe-
rit, ei euentum crimini ducere; & ex vi, voluntatem;
ex necessitate, animi sensus interpretari: cùm neque
vis, neque casus, sed culpa duntaxat præstari debeat.
Quæ Regem vsq; adeò vacare, vt ei omnia optimi &
obedientißimi filij officia constent, testificantur præ-
terita. Imprimis autem longa missarum ad Te, Ponti-
ficesqúe superiores, Legationum series. Quarum tres

Anno 1597. *prima, de consensu & voluntate Regis, velut cuiusdã filij, errore suo agnito, patris animum per internuntios explorantis, & mitigare ac molire conantis, sunt profecta. Sequentes, disertè & expressè à Rege missa sunt. Harum principem obijt, qui & præsentem. Hunc subsecutus est, Illustris. ac Reuerendiß. Cardinalis Gondius. Cuius annuam admißionis exspectationem, æqua ferentis mente, insignis, & ad omnem posteritatis memoriam memoranda fuit patientia. Tertius fuit excellentißimus Marchio Pisani. Post illos illustrißimus Dux Niuernensium à Rege missus est. Quorum omnium Oratorum, nemo redijt exorator. Et, quem tanta vnquam fuisse Regem constantia auditum est, qui tam frequenter repulsus, non penitus animo concidisset? Cui (tantos præsertim, tamque elatos gerenti spiritus) toties ingeminata supplicum precum repudiatio, non suasisset, vnà cum spe consequẽdi reditus in gratiã, eius quoq; consectãdi, omnem abijcere voluntatẽ? Rex tamen nihilo ad supplicandũ segnior effectus, instare, vrgere, obsecrare, perseuerãter perstitit. At quo tempore? Eo nempè, quo cum frequenti repulsa Procerũ Francorum animis, conflictari necesse habuit; suadẽtiũ, proprio consilio rebus Galliæ prospicere. Verũ spe reconciliationis, ostensa ab Illustrißimo Cardinali Gondio, recreatus, cõstãter suasibus eorum obstitit. Quintum q; misit, Iacobum Dauiũ Ebroicensem Episcopum. Quo, vna cum Arnoldo Ossato, Rhedonensium Episcopo (vtroq; viro præstantißimo, & de Gallia præclarè merito) pro Rege Serenißimo deprecante; paterni amoris tui viscera, ad misericordiã sunt commota. Tũ enim demũ abs Te, abs Te in-*

inquam, Pater Opt. Max. Regi semianimi, salus optatissima; Galliæ in lacrymis, sordibus, tenebrisq; iacenti, lux dulcissima, cũ veste candida, fuit reddita. Cuius beneficij tui, quantam, Deus bone, Rex præ se tulit, & perlato nuncio, lætitiã: & perlecto diplomate, reuerentiã! Ex eo, quasi vice versa, commutatisq; partib⁹ Tua Sanctitas Regem officijs anteuertere, & cumulare gestiens, ad eũ legauit Illustrißimum & Reuerendißimum Cardinalem Florentiæ, summæ, vti est cognitũ, animi æquitatis, moderationis, iustitiæ, temperãtiæ, lenitatis, prudẽtiæ, humanitatis principem, quo nemo gratior legari potuit. At quẽ se erga eum Rex Christianißimus gesßit? Ius ei abs Te datũ, Senatuscõsulto honorificentißimo quamprimũ ornandũ; eius in Galliã introitũ, virorũ primariorũ occursu excipiẽdũ, & cohonestandũ curauit. Tandemq; ipse vnà cũ principibus, & frequenti nobilitate, nouo more, regibusq; nostris insolito, eidẽ multa millıaria processit obuiam. Cuius amplitudinẽ, quàm comiter, quã humanè, quã amicè cõplexus sit, lacrymis vbertim & affatim ab oculis manãtibus, & præ ingenti gaudio, instar riuuli profluentibus, ita vt amplexu vix diuelli potuerit, quis dignè cõmemorauerit? Tacemus intròductum in vrbẽ Regiã, regifico apparatu legatũ. Silemus hospitio acceptũ, & diebus cõplurib⁹ humanißimè habitũ: quibus certatim à cũctis ordinibus, ad eũ, tãquam non Romano à solio missũ, sed ex ipso cœlo demissum, cõcursa maximo vẽtũ est. Tãtum dicimus, tuis Regẽ diplomatis, & Sãctißimis Legati monitis, prõptißimè & lubẽtißimè satisfecisse, satisq; esse facturũ omnib⁹. Quæ ideò cõmemorauimus, vt pateat, vana & conficta esse ea, qua

Anno 1597.

Anno 1597. *quæ à quibusdam Gallico nomini iniquioribus, coactâ dilationem nostram in culpam conuertentibus, iactata sunt. Quare quoniam præterita Sanctitati Tuæ probatissima esse confidimus, superest, vt ad agendas ei gratias accedamus. In quo præstando, quæsumus à Tua, Pater S. Prudentia, vt, si pro Tuis singularibus et mirificis erga Regem regnumque Galliæ beneficijs parum tibi cumulatè agemus gratias, non tam id regis culpa factum existimes, quàm tuorũ meritorum magnitudine & præstantia; quibus nullum se vnquam flumen ingenij, nulla dicendi vis atque copia, nulla ornatissima orationis facultas, aut scribendo, aut orando æquauerit. Tibi namque Rex tantum debet, quantum hominem homini debêre, præterquam tibi, natura & conditio rerum non patitur: tum quod ab vna sanctitate tua tribui potuit, tũ quod ex eo est rerũ genere quo nihil mortalib⁹ dari maius, nihil præstabilius potest. Nam qua, homine digna, humanitate es; qua nomini Tuo cõueniẽti, clemẽtia; qua paterni affectus charitate: vt quondã periclitãtibus in mari Apostolis, Christus Saluator, sic Regi naufrago salutarẽ dexteram porrexisti, eumque à iactatione & fluctibus ad portum, à desperatione ad spem, ab exitio ad salutem reuocasti. Haud equidem opere exiguo, nec paruo labore. Nam quæ vnquam obsidione cincta ciuitas, tot dolis, cuniculis, tormentisque tentata est, quot Sanctitas Tua artibus, machinationibusque, quo minus & Regi opitularetur, & regno, est oppugnata? Sed cùm longè alius sit parentis, quàm alieni animus (quemadmodum Salomonis iudicio compertum est) omnia vicisti & superasti obstacula. Nam nec metu, nec spe, nec promissis,*

nec precibus, Te à Regis, regniq́; salute depelli passus Anno
es. Nullas pro Francia simultates, nullas offensiones, 1597.
nullum cuiusquam malam gratiam, nulla odia, nullum discrimen, Tibi defugiendum esse duxisti. Porrò quæ tua fuit solicitudo? quæ anxietas? cum tu, simul ac id consilij sedit animo, nihil aliud dies & noctes, nisi de seruando Rege Franciæ cogitares? cum omnes curas vigiliasq́; tuas, in salute Regni defigeres et collocares? Quid referemus tuum abs Te corpus castißimum, quotidianis propè ieiunijs maceratum? Quid supplicationibus ad sacrosanctas Basilicas, immenso nudis pedibus itinere, vexatum? Quid noctes insomnes? Quid preces ardentißimas, cœlestis opis flagitatrices? Quid profluuia, fontesq́; vberes lacrymarum? Denique tua omnis actio, & ratio, Tua consilia omnia, totusq́; postmodum Pontificatus, quid fuit aliud, quàm constans & perpetua Galliarum salutis procuratio, & propugnatio? Quæ quanto optatis nostris, & Regia postulatione serior contigit: tanto cautior, & ab omni maledicorū reprehensione, morsuq́; calumniæ est munitior. Quod enim factum temporis, gratiæ nonnemo forsitan assignâsset, id peractum tardius, Tui de constanti Regis pietate, perspecta & spectata longa die, iudicij pondus obtinet. Certè hæc gratia reconciliatio tam tempestiuè cecidit, vt ea & Regem, & regnum ipsius in officio continuerit, Romanæq́; Sedi peropportuna, inquè ipso articulo conseruauerit. Hoc enim prudentia Tua peruidit, Regis optimi, & fidei Catholicæ studiosißimi precibus repudiatis, quantum maximum Christianæ rei, alienißimis temporibus, impendere periculum. Agi enim vnà cum salute Principis, Regni Franciæ obe-

Anno 1597. dientiam, vna cum Regno Franciæ, totius Christianæ Reip. dignitatem. Quis enim tam rudis est, tam rerum ignarus omnium, qui non intelligat, neque rem Christianam, Regno Franciæ; nec Regnum Franciæ, Rege Christianissimo; nec Regem Catholicæ religionis cupidissimum, Catholicæ Ecclesiæ carere iam diutius potuisse? Hanc tuæ sanctimoniæ Deus palmam; hanc tuo Pontificatui coronam, non ciue vita donato, ciuicam, sed Rege Regnoq; seruato, Regiam, iampridem reseruauerat, vt Regem in piorum & fidelium hominum consortium aggregares, & eo pacto exoriens in Ecclesia schisma teterrimum, & periculosissimum cohiberes. O Regi felicissimum, fortunatissimumq; diem! Diem Galliæ optatissimum! Diem lætissimum Italiæ! Diem orbi Christiano faustissimum! Diem Sanctitati Tuæ gloriosissimum! Diem vel ipsis Angelis celebratissimum! cum præsente infinita hominum multitudine, spectante & plaudente cuncta nobilitate; Clero, & amplissimo Cardinalium consilio comprobante & collaudante, Errico quarto, Franciæ & Nauarræ Regi, hæreditarius Christianissimi titulus, summa voluntate tua, concessus est! Nam quæ res vnquam, prô Deus immortalis! non solum Romæ, verùm etiam in terris omnibus est gesta maior? quæ gloriosior? quæ commendatior hominum memoriæ sempiternæ? Illa tu die, Pater Sanctissime, quem tibi tota illuxisse vita lætiorem, beatioremq; recordaris? Quam omnes anteactæ ætatis tuæ gratulationem expectatissimæ illi luci antefers? An quâ in purpuratorum Patrum Senatum cooptatus es? vel quâ Pontifex Max. renunciatus? at illa, non tua in alios, sed aliorum in Te sunt bene-

benefacta. Hoc autem à Sanctitate Tua benignitate est in Franciam collatum beneficium. Illa tibi cum innumeris extitêre communia. Hoc autem gloriosissimum facinus vel tuum est, & proprium, vel saltem te principe, & duce, cæteris comitibus tuis, gestum. Cuius tantam esse magnitudinem Rex fatetur, vt ea vix cuiusquam mente & cogitatione capi posse videatur. Itaque ingentes, Deo primùm Optim. Max. bonorum omnium largitori; deinde Tibi, secundum eum benignissimo, Rex agit gratias. Et quamuis gratiā referre Tibi tantam nequeat, quantam debet, habet tamen, quantam maximam ipsius animus complecti potest, tantiq; promeriti memoriam, dum anima spirabit, sua beneuolentia & reuerentia colet perpetua. Et quoniam vos, illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinales, Clarissima aulæ Romanæ lumina firmissima & solidissima Ecclesiæ Christianæ columina, Summo Pontifici, pro salute Regni Gallici anxiè laboranti, deq; eo conseruando & restaurando deliberanti, non magis vos assessores, quā assensores & suffragatores præbuistis: ea re, vobis Maiestas Regia grata, & vestri memor beneficij, vt de ea quisq; est optimè meritus, ita gratias agit maximas, nec vlli aut loco, aut tēpori deerit, quin quoad eius facere poterit, vobis (quos obseruātia tāq̄ patres prosequitur, beneuolētia et amore tāq̄ fratres amplectitur) quā cumulatissimè referat & reponat. Quāquā eorū quoq;, Pōtifex Beatissime, q̄ ab hisce illustriss. et Reuerēdiss. Cardinalibus præclarè dicta & cōsulta sūt nomine, Tibi Rex Christianissimus præcipuā debet gratiā, qui eos tales, vel creando, vel præstando, vel cōseruando, præfeceris, vt cū

Anno 1597.

Anno 1597. *ab ijs consilium exquireres, illi tibi grauißimi & gratißimi authores ad instituendam, fidelißimi socij ad instruendam, acerrimi propugnatores ad exequendã gratia cum Rege, Regnoq; Christianißimo reconciliationem, fuerint. Quibus dum Rex agit gratias, dum eorum laudes per nos celebrat, in Te, Pater Opt. Max. gratus est, Te laudibus in cœlum euehit; vel eo maximè, quod ijs antistibus, qui Tua Sanctitati in hoc exequendo negotio strenuam operam nauauerunt, Senatum Pontificium decoraueris. Non enim temerè, sed attenta deliberatione aut eos, aut quemquam omniũ ad summos honorum gradus extulisti: vt prudentia, & sapientia Tua cuncta, temeritati acceptum sit ferendum nihil. Non enim consociatur casus cum consilio, nec locum in illis, quæ certa ratione gesta sunt, fors habet vllum. Tu autem quantum operæ, studij, industria in patribus legendis adhibes? Admirata sunt gẽtes perquamdiu, quid esset, quare cum Summi Pontifices simul ad Pontificatum inire, Cardinalatum in propinquos suos conferre consueuissent; Tu, qui duos haberes, dilectione & charitate tua dignißimos, & omni virtutum genere cumulatißimos; tacere tamen eos, nouo instituto, propè biennium, passus fueris: donec tandem intellectum est, id ea re factum à Sanctitate Tua fuisse, vt, cum plurima, et insignia, in hoc celeberrimo totius orbis theatro, virtutis specimina edidissent, non Te sanguini, nec propinquitati purpuram dedisse, sed excellentißimæ eorum virtuti debitam reddidisse, mortales omnes cognoscerent. Longum esset cæteros sigillatim percurrere, quibus vel sedula & abstinens ducentis ad se cuncta pecuniæ, fisci administra-*

stratio;vel eximia iuris vtriusque scientia,vel anna- Anno
libus prodita Christianarum rerum monumenta; vel 1597.
alia denique eximia & singularia ornamenta, gale-
rum impetrauerunt purpureum. Quid memoremus in
creandis & sacrandis Episcopis, vt manum Tuam in-
hibeas, nec vlli prius imponas, quàm eum probatißi-
mis & laudatißimis praeditum esse moribus: doctrina
autem instructum cum pura & fideli, tum eximia co-
gnoueris? Quid? quod ne ad leuiora quidem munia, sub-
limitatis Tuae fastigium demisisse Te piguit? & vigi-
lantiam tuam omnes maximas, minimasq; Ecclesia-
sticae rei partes complecti, & peruadere sensimus:
Quae quanquam magna sunt & praestabilia, multò ta-
men maximum et praestantißimum, Tuorumque pul-
cherrimorum operum caput est, ac veluti absolutio, il-
la nunquam laudata satis, ab Ecclesiastica Censura
absolutio, et in beatißimam Ciuitatem Dei, Regis ad-
scriptio, & Regis, qui studio & zelo ad pietatem ar-
dentißimo rapiatur. Verè vt tibi in Christo gloriari
liceat, quòd talem in Christo filium sustuleris, et pro-
genueris; Vtq; Rex Christianißimus, à quocunque Ro-
mano Pontifice absolutionis beneficium accepisset, se-
cum praeclarè actum arbitraretur. Quòd verò abs Te
tali, ac tanto Pontifice, obtinuerit, pleno gaudet ac
solido gaudio. Ita tu, Pater Sanctißime, est quod lae-
teris, Te hanc gratiam ei potißimum Regi tribuisse,
qui praeter virtutes, absolutionem meritas, multis a-
lijs nominibus, eisq; magnis, egregius conspicitur. Quo
loco possemus commemorare magnum eius animum
et excelsum, promptum et acre ingenium, firmam et
diuturnam memoriam, corporis bonam valetudinem,

Anno 1597. *velocitatem, vires, dignitatem, æstus, algoris, inediæ, sitis, vigiliarum, ac laborum tolerantiam. Possemus etiā de eius integritate, candore, bonitate, dictorum conuentorumq; veritate atq; constantia, grato in benè merentes animo, beneficentia, comitate, affabilitate, clementia incredibili, dicere. Possemus & rei militaris artes, fortitudinem, celeritatem, felicitatem, prælia, victorias, & plurimas & maximas, cū paruis opibus res præclarè gestas, enarrare: Sed nos aliò cum temporis ad dicendū tribui consueti angustia; tum Regis, nullā prius pietatis commendatione laudem ambientis, voluntas; tum demq; hodierna celebritas, & Tua, Pater Sanctißime, vocat expectatio. Parendum igitur, & breuibus Regis pietas exponenda. Quæ ex ijs, quæ à nobis dicentur, hoc est, ipsa rerum veritate, potius, quàm ex maleuolorum vocibus spectanda est. Certo enim est certius, Lutetiam, cum arctißima obsidione premeretur, vltrò spopondisse Regi, se deditionem facturā, si ipse Catholicam fidem profiteretur: Illustrißimum quoque Ducem Mannium in eandem sæpe sententiam locutum. Hic lubet quærere, quotusquisque tam obfirmato esse animo videatur, vt eum non præmium, quod proponi potest amplißimum fuerit permoturum, Regni maximi & opulentißimi sine sanguine & sudore adeptio? Regi enim, nihil amplius fuisset opus vigilijs: non interdiu noctuq; ducendi exercitus, non acię demicandum, non expugnandæ vrbes, non subigendæ labore plurimo prouinciæ, vnico prolato verbo, Sum Catholicus, pacificè regnare poterat. Sed cum educationis vitio orthodoxæ fidei rudis esset; nec inter tantos armorum strepitus*

& tu-

& tumultus, Dei ad se vocantis vocem exaudiret, Anno
distinctéq; perciperet: factu optimum statuerat, ni- 1597.
hil nisi Pontifice auctore aggredi, remque eius arbi-
tratu integram seruare. Decreuerat itaque ex li-
quidissimis & limpidissimis, nec vllo tempore arescen-
tibus Ecclesiæ Romanæ fontibus, veritatem nostræ fi-
dei haurire: & iter ad beatitudinem tendens & fe-
rens, ex certissimo Papæ oraculo, tam veri rectique
nuncio, quàm fallere & falli nescio, repetere ac edi-
scere. Isq; tot legationum, quarum antè meminimi-
mus, fuit sensus. Nec aliud tam multis depreca-
toribus, sacrique oraculi consultoribus quæsitum. Quæ
cum tardius succedere animaduerteret (quòd diuina,
opinor, ira, peccatis nostris exacerbata, nondum
deferbuerat) nihil prius aggressus est, quàm quod v-
num supererat, doctissimos Theologos, & Episcopos
consulere, eisq; se erudiendum tradere. A quibus per
multos menses edoctus, Catholicum se esse, & pro-
fessus est, & perseuerauit. Non enim Catholicum si-
mulare, vt Regno potiretur, voluit; (infidelis enim, i-
gnobilis, minimeque generosi id esse animi semper
duxit) sed rerum potitus (cùm quidem nulla reside-
re amplius poterat simulationis, vel causa, vel suspi-
cio) veram religionem, ad quam animo iam dudum
propendebat, amplexus est. Equidem non leue hoc
animi in primis pij religiosique argumentum esse iu-
dico, ipsum eo fuisse animo, vt non auro, non pur-
pura, non diademate, terrarumve orbis imperio,
venalem duceret religionem.

Neque regnandi gratia (quæ omnium maxima est
illecebra) ab ea, quam sibi opinionis errore finxerat,

pie-

Anno 1597. *pietate recederet. an ergo Deum, priusquam benè nosceit, tam timidè, tamq;, vt ita dicam, superstitiosè cultum voluit, nunc praeceptis Catholicae religionis informatus, sacris nostris initiatus, clarissima verbi Dei luce illuminatus, & collustratus, non cupidissimè colet? non ardentissimè venerabitur & adorabit? Ille verò statuit timorem Domini sapientiae esse initium: omnia benè & laudabiliter instituta vitae, omnis humanae beatitudinis basin & fundamentum esse pietatem. Quae secum dies, noctesq; reputans, Dei cultu, & assidua domi forisq; beatarum mẽtium veneratione, posteriora ducit omnia. O praeclarum & visendum spectaculum, quod diu Gallia expetitum, multis antè Pontificibus maximis optatum, Te demum sedentè contigit! Intueri Erricum IIII Franciae & Nauarrae Regem Christianissimum; quotidiè in sacrosanctis Templis, Catholica ritu Ecclesiae, geminas ad coelum palmas tendentem! vota pro se, pro incolumitate gentis Gallicae, Deo, diuisq; & coelestibus omnibus nuncupantem! prosperis rerum successibus, supplicationes per Episcopos superis decernentem; decretas, maxima veneratione, pedibus obeuntem, Monachis, Presbyteris, Sacerdotibus, Episcopis honores maximos tribuẽtem; seseq; diuini amoris inuitamentum, pietatis incitamentum, vniuerso Francorum populo exhibentẽ! Quo nihil nec Catholicis gratius & acceptius, nec haereticis grauius aut acerbius, nostra contingere poterat tempestate. Age verò quanti redimas, Pater Sanctissime, vel Anglos, vel Scotos, vel Danos, vel Germaniae regulos, vel pagos Heluetiorum, Tibi per Legatos suos obedientiam augustissima hac in Basilica spondentes,*

& de-

& deferentes, de se paria profiteri? Sanè si benè pie- Anno 1597.
tatem Tuam noui: tum Te iam satis diu vixisse, quan-
quam nobis abs Te in eo (pace hoc dicam Tua) dissen-
tientibus, perhiberes. Te igitur (cui Deus largitus est,
vt talem tantumque Regem ad Christi ouile aggre-
gares, eumque sinu exciperes Ecclesiæ) quanta denique,
quamque incredibili, cum hæc audias, videas, contem-
pleris, perfrui lætitia existimamus? Synceriorem hanc
& solidiorem, nulloque infuscatam metu, Regia effi-
cit prouidentia. Quæ, vt fidem Catholicam in Regno
Franciæ constabiliret in posterum, ne, si quid ei huma-
nitus accideret, in eius anima periclitaretur Religio,
Principem Condæum, sanguine proximum, & in spem
Regni educatum, ex hæreticorum, à quibus detineba-
tur; seminario auulsum, in Christi vinea plantauit: &
ex labrusca sterili in generosissimæ & fœcundissimæ
vitis palmitem inseuit. Nec eo contentus, ipsum agri-
colæ sedulo & experienti, Marchioni Pisani, excolen-
dum, & omni penitùs reuulsa & recisa hæresi, veræ
religionis gemma inoculandum, tradidit: vt fiat, in-
star arborum, repetita sæpius insitione, mitior. Et nunc
culturæ assiduitate, & Catholicæ disciplinæ irrigatio-
ne continua, excrescit, & in altum tollitur, quasi pul-
cherrima quædam planta, propter aquæ riuum, pin-
gues agros placidè perlabentem, & leni tractu lam-
bentem, consita. Hoc permota exemplo Princeps Con-
dæa mater, nomen in Catholicis nunc nuper professa
suum, facta est, quasi quoddam pietatis filij corollari-
um. Verùm Regis pietas omnium mortalium, præser-
timque Illustrissimi & Reuerendissimi Legati tui, o-
culos testes habet, vt de ea plura dicere sit superuaca-
neum.

Anno 1597. neum. Quanquam quid Legati absentis ea in re memi-nimus, cuius tute ipse præsens, vnà cum hoc toto terrarum orbe augustissima corona, testis es locupletissimus? Nam quo pietatem suam Rex testatiorem facere potuit, quàm ad beatitudinem tuam, præstandæ obedientiæ gratia, legando? & legando Excellentissimũ Principem, Franciscum Luxemburgum, Ducem Pinei, Parem Franciæ, & vtriusq; ordinis equitẽ torquatũ? In quo ex omni nobilitate vno deligendo, atq; ad hoc muneris delegendo Maiestas Regia Beatitudinis Tuæ promereri gratiã studuit. Nam si pietatis fuit habenda ratio, religiosissimũ cõperies; si meritorũ, dignissimum; si stemmatum, nobilissimum. Religiosissimũ arguit suscepta ad Sixtum V. magno capitis, vt tũ res erant, discrimine, cõseruandæ in Francia religionis ergò, legatio: dignissimum, infinita quadã ipsius, & primi, & præ cæteris, prò Rege reconciliando molitio: nobilissimum, genus ea ex gente ductum, quæ Regibus, et Imperatoribus edẽdis claruit; simulq; maximorũ & potentissimorũ Europæ Regũ propinquitas. Per eũ igitur Rex Christianissimus Apostolicos pedes Tuos deosculatur. Te, non tanquã communẽ omniũ parẽtem duntaxat, vt cæteri: sed (quando se in Christo genuisti) vt proprium veneratur. Te, Pontificem Maximum, Te, supremũ Sacerdotẽ, Te, Beati Petri Apostoli successorẽ dignissimũ: Te, Christi vicarium vigilãtissimũ; Te, cunctorũ Christianorũ caput, Te, non vrbis, sed orbis, & Ecclesiæ vniuersæ agnoscit, profitetur, prædicat Episcopũ; eoq; nomine Tibi, sediq; Apostolicæ debitã præstat obedientiã. Tibi gentes, quibus præest, Tibi suas prouincias, Tibi sua Regna sacrat. Pro cuius celsi-

ſtudine, ſalute, incolumitate, ſanguinem, ſpiritumq́, profundere nunquā grauabitur. A quo propoſito, fideq́ue Catholica, & Apoſtolici ſolij obedientia, cui ſe in præſentia obſtringit, certū ipſi conſtitutūq́, eſt nunquā recedere. Tua igitur Beatitas (quæ ipſius, vt parentis optimi, ſunt partes) tam pium, tā eius cupidū, & ſtudioſum, tam Sedi Romanæ deditū, et addictum Regē, Regnumq́, foueat, amet, arctiſſimè complectatur: memor, quā diu Chriſtianorū Regum æquis lancibus Imperia librabuntur, & Regum ipſorum fore, & totius Chriſtianæ rei, diſceptatores & arbitros Sūmos Pontifices. Sin autem propendere et inclinari in lancē alterā libra cœperit. Sed præſtat feſto fauſtoq́, die, fauſtam orationem, ominatione fauſta concludere.

Anno 1597.

Totiſa, Vngariæ propugnaculū à Turcis 13. Iulij anno ſupra ſeſquimilleſimum nonageſimo quarto, occupatum, 10. Maij huius anni in noſtrorum rediję poteſtatem. Totius verò rei geſtæ ſeries ſic ſe habet: Bernſtenius, Palfius, Peza, viri fortes, & rei militaris periti, quum de ea arce inuadenda conſilium cepiſſent, milites & reliquum apparatum nauibus imponunt, & Comorrâ ſecundo flumine delapſi, Almaſiæ exponunt: ſed vi ventorum & imbrium frequentia impediti, eam noctem per quietem ibi agunt, vt & ſequentem diem: ita prudenter diſpoſitis vigilijs, vt nulla indicia ab hoſtibus potuerint deprehendi. De media nocte inde profecti, primò tres linguæ Turcicæ peritos, portis adequitare iubent: poſt hos inſtrumentum pyrabolum, currui eum in vſum facto impoſitum, vehebatur, appoſitis qui ſciēter id portis admouerēt, & maturè ignē ſubijcerent; alijs etiā qui ſcalas & reli-

Totiſa à noſtris recuperata.

Anno 1597. & reliquum apparatum ferrent. Ceteri à tergo sequi, àtque in omnem euentum animos intentos habere iussi. Velites tres, quos præmissos diximus, Turcæ excubitores inclamant, cuiates sint, rogant. Edocti illi, Iaurinenses se esse simulant: Buda venire: Solimanno Garbasiæ, Iaurini præfecto commeat⁹, ab Achmete Aga, iussu eius coëmptos, aduehere; de via fessos paulisper quiescere velle. Hoc responso contenti; mandant ne mane prius discedant, quàm arcis præfectum (Begam) conuenissent. Facturos se promittunt: illud etiam addunt, litteras se ad eundem scriptas habere: eas se mane oblaturos. Durante hoc colloquio, Bernstenius pyrabolum rotis actum, propelli iubet: quod vigiles conspicati, Quid, inquiunt, vos currum portis obseratis, in pontem subducitis? Respondent illi, Facere se hoc metu Haiduccorum. Commodiorē hunc sibi fore ad defensionem locum. Inter hæc admota machina, & igne subdito, horrendo cum tonitru portæ dissiliunt, pons pensilis dissipatur. Mox ponte fossis iniecto, per aperta introrumpũt; alij alibi per scalas muros scandunt, superant. Custodes arcis, qui primo impetu non oppressi quà quisque poterat, saluti suæ consulit: è decem qui in fossas subiectas se deiecerant, quatuor ab Hussanis excubias agẽtibus comprehensi, vnus dorsum casu fregerat: reliqui per arundineta tenebris adiuti, elapsi. Qui restiterant, turri inclusi qua poterant ratione oppugnantium impetum aliquamdiu sustinuerunt, sed circumuenti tandem & multitudine oppressi; ad vnum omnes vel capti sunt, vel interemti. Præsidio arci imposito, & è proximis locis commeatibus apportatis, & captiuis, inter quos Bega cum vxore ac liberis erat, abductis, gratiæ Deo

tię Deo pro tam luculenta victoria aciȩ: cuius pręcipua laus, post Deum, Bernstenio tribuebatur. Anno 1597.

Mense Iulio Hagam-Comitis à Serenissimo Poloniæ rege ad Ordines Belgij confœderati venit Legatus, Paulus Diabinus, ex nobili familia. Attulit is literas eiusdem regis nomine, hoc exemplo scriptas: *Polonica ad Ordines Belgij confœderati. Legatio.*

Illustres, generosi, nobiles, famati viri, cum primis dilecti: Multis & magnis de caussis, præsertim verò ex consideratione status vniuersi Christiani orbis, impulsi sumus Generosum Paulum Diabinum ad vos ablegare, ex quo ea, quæ nomine nostro relaturus est, benignè & amicè intelligeretis. De quo etsi confidimus, idem tamen a vobis quam diligentissimè contendere voluimus, regia nostra gratia vos prosequentes. Datæ VVarsouiæ 19. Maij, &c.

Lectis his litteris, 22. Iulij apud Ordines audiētiam impetrauit. Introductus Legatus, primùm latinis verbis exposuit; regem suum & plerosque alios rogatos, eniti vellent, vt cum Hispaniarum rege, quem natura Dominum ipsis dederit, in gratiam redirent. Eum esse Christiani orbis statum, rebus Turcarum incursu vehementer afflictis, qui non modo concordiam omnium principum, verùm etiam societatem armorum flagitet. Magnam esse Hispani potentiam, atque adeò maiorem, quā quæ ab Ordinibus infringi, vel etiā sustineri queat. Ne ergo in ruinam & exitium, cum tam potēti rege toties congressi, seipsos tandem præcipitarent. Regum esse, imperare; subditorum, parēre. Patēre adhuc ad gratiam fores. Regem Hispanum, singulari clementia & mansuetudine præditum, non offensas modò omnes & iniurias condonare;

Anno 1597. verùm etiam prolixa & paterna beneuolentia cõplecti eos & fouere paratum. Proinde ad obediẽtiam redirent; ne Hiſpanorum arma, quæ melius in Turcas conuerterentur, in ſe porrò cõcitarent. Hac ratione & vniuerſis Chriſtianis gratificaturos;& ſe maximis difficultatibus ac periculis exẽpturos. Hæc Legati oratio etſi nonnullis ſuperba viſa eſt: Ordines tamen, pro tempore gratias regi pro tam benignæ voluntatis teſtificatione egerũt: ceterùm de quibus Legatus differuiſſet, habita deliberatione, reſponſuros. Re in conſilio diſceptata, delecti ſunt qui hæc ad Legatum reſponſa perferrent: Primùm: gratiſſimam ſibi eſſe regis tam beneuolam animi propenſionem, omnia fauſta Ordinibus à Deo precantis, pacemque tanto ſtudio promouere conantis: ceterùm vehementer admodum dolere, quod regi, quò minus Hiſpanorum armis & opibus Turcarum Tyrannus oppugnetur, per Ordines ſtare videatur. Quibus enim (inquiũt) de cauſis bellum hoc ſuſceptum, quo euentu poſtea geſtum ſit, notius eſt, quàm vt hîc debeat explicari: neq; illud verò pluribus verbis diſceptandum videtur, quæ Regum, & qualia in ſubditos ſint imperia, quod ius Regni. Belgarum enim prouinciæ non Regibus, ſed Ducibus vel Comitibus ab antiquiſſimis vſque temporibus paruerunt; quibus non infinita, ſed ſuis limitibus circumſcripta, commiſſa fuit poteſtas: illudq; ſemper diligenter fuit obſeruatum, vt principes non ſua ipſorum licentia, ſed quod populus in ſe dediſſet, iure vterentur. Quum verò Hiſpanorum Rex immani tyrannide iam diu regiones has afflixerit, libertatem oppreſſerit, priuilegia violârit: infinitam hominum innocentium multitudinem varijs ſuppliciorum

Ordinum Reſponſio.

Anno 1597.

orum generibus, exstinxerit, Legatos qui tyrannidem deprecarentur, in Hispaniam missos, contra ius gentium, morte affecerit, noua tributa & vectigalia, sine Ordinum consensu, imposuerit, ciues innumerabiles fortunis exutos patria exegerit: eccui mirum videatur post diuturnam patientiā armā nobis fuisse induta, quibus libertatem à maioribus traditam, sub ductu legitimi Principis, tuaremur. Quæ depellendę tyrannidis remedia vt iustè & necessariò, ita serius aliquantò sunt adhibita, quàm rei magnitudo postulabat: atque haud scimus an vlla alia gens si vel centesimam earum miseriarum partem, in quibus tanto tempore ab Hispanis depressi iacuimus, sensisset; tantam moram ac cunctationem fuerit interpositura. Etsi verò Ordines, pro ea quæ Principi debetur, reuerentia, ac opera fideli, nihil vnquam eorum prætermiserunt, quæ ad ciuile hoc bellum sedandum, pacemque restituendam pertinent; eamque ad rem Imperatoris, Galliæ, & Angliæ regum intercessionibus vsi sunt: confici tamen nihil vnquam potuit. Quum ergò spes æquæ pacis nulla reliqua esset, idque tantum animaduerterent vt pacificationis prætextu fœdera prouinciarum rumperentur, eæque inter se committerentur: ad extrema tandem remedia descendere sunt coacti. Quod ergo à multis alijs populis & nationibus factitatum meminerant, omnium Ordinum consensu decretū factū est, quo HISPANIARVM REX quidquid iuris in prouincias, has obtinebat, amisisse, fuit proclamatus. Post hæc complures prouinciæ Ducem Andegauensem, Galliarum regis fratrem sibi principem adsciuerūt: quo mortuo, belli administratio penes illustrissimum

Anno 1597. Aurantiæ principem fuit: quem quum aperto Marte non possent, domi suæ per sicarios tolli, Hispani curârunt, existimantes tam fido ac perito rectore destitutam Rempublicá, facilè impelli ac subuerti posse. sed tantum abest, vt ex tam turpiter illata morte eum, quem sperauerant, ceperint fructum; vt singulari Dei benignitate, heroica Mauricij, tanto patre dignissimi filij, fortitudine, prudentia, vigilantia, quæ Hispanicum iugum excusserunt, regiones non modò præclarè hactenus defensæ, verùm etiam earundem pomeria aucta sint & prolata. Ad voluntaté Hispaniarum regis quod attinet: (quam factis metiri, rationi est consentaneum) illud magnoperè verendum, ne ille maiori studio in Monarchiam acquirendam, ceterosq́; Christianos principes sub prætextu religionis, sibi subiugandos, quàm Turcicúm bellum incumbat. Ecquam enim causam habuit Angliam tantis viribus oppugnandi? quam ob causam Gallicis se tumultibus immiscuit? cui coronam, cui sceptrum illud parabat? Iuliacensem verò & Cliuensem Ducatus, cur à legitimis hæredibus ablatos velit; quã causam dicere possit? Quæ enim paucis antè mensibus Thalassiarchi Aragonij ad Imperatorem postulata fuerint, satis liquet. Alia multa omittimus, è quibus planum est, omnia eius consilia meram spectare tyrannidem, & aliorum Principum subuersioné. Longè enim errant, qui pacis tractationem Hispanis cordi esse arbitrantur: cuius dulcissimo nomine ad technas & fraudes suas abutuntur: vt scilicet eos, quos vi nequeũt, subdolis promissis circumuentos, illaqueent & euertant; vtq́ oppressis his regionibus, sublatis priuilegijs & institutis, atque omninò constabilita tyrãnide, nos

vici-

vicinos modo Principes, verùm etiam regna procul dissita suo imperio adiungant, Quod quum serenissima Angliæ regina, quæ est singularis eius prudentia atque solertia, perspicuè animaduertisset: non modò defendendas has prouincias sibi existimauit, verùm etiam æquum in fœdus suscepit; in cuius societatem etiam Galliarum rex voluit adscribi. Quocirca facilè intelligit Legatus, quàm non expediat Ordinibus, hoc rerum statu, Regis consilio vti; atque vllam pacis admittere tractationem: idque vt rex bonam in partem interpretetur, atque plus vniuersæ Christianæ Reipublicæ salutem, quàm Hispanicam amicitiam apud se ponderis habere patiatur, maximoperè rogant. Quod ad studium regis & beneuolentiam conseruandam pertinere videbitur; dabunt operam Ordines, vt nemo quidquam à se prætermissum meritò conqueri possit. Anno 1597.

Hoc responso accepto, Legatus honorificè habitus, & quacumque ierat, Ordinum impensis, hospitaliter tractatus, in Angliam inde discessit. Ibi mandata exponere iussus, primum valdè conquestus est, vetera Polonorum in Anglia priuilegia, non modò non aucta, verùm etiam imminuta esse: contra ius gentium commercia cum Hispanis à regina prohiberi; mercatorum bona in fiscum redigi. His rebus modū statui, ablata restitui, versus occidentem nauigantibus liberum commeatum præberi, ab Angla regem suum postulare. Ad hanc orationem Angla Legati verbis, vt videbatur nonnihil exasperata, è vestigio hisce planè verbis respondit: *Legatus Polonus in Angliam proficiscitur.*

Anno 1597. Ad eum Anglæ Responsio.

O quàm decepta sum! Legationem exspectabam; tu querelam adfers. Ex litteris regis tui Legatum te esse intelligo; tua tamen oratio fetialem te arguit. Per totam vitam nostram eiusmodi orationem nunquam audiuit. Non possum satis mirari tantam istam audaciam & temeritatem. Regem tuum, si præsens esset, non credo eiusmodi verbu vsurum. Quod si tamẽ tale aliquid tibi Rex mandauit (de quo valdè dubito) ideo factum existimo, quod adhuc iuuenis, neq; ordinaria successione sanguinis, sed electione ad regnum promotus, non adeò accuratè intelligit conditionem & naturam eiusmodi negociorum, quæ nobis cum prædecessoribus eius antehac intercesserunt, ac fortassè cum successoribus intercedent. Ad te quod attinet: multos quidem libros legisse nobis videris, verùm eos in quibus res politicæ tractantur, ne attigisse quidem. Quod enim ius gentium toties in sermonibus tuis vsurpas, scire debes, exorto inter reges bello aperto, licere vni parti ad alteram missa auxilia vel subsidia intercipere. & prouidere ne damni quidquam inde sibi existat. Hoc nos dicimus naturæ ac gentium iuri esse consentaneum. Quod nouam regis tui cum Austriaca familia affinitatem & agnationem iactas, ac tanti faciendam putas, meminisse debes ex eadem domo quosdam Poloniæ regnum affectâsse, atque regi tuo è manibus eripere voluisse. De ceteris, quæ responsionem flagitant, cum nec huius temporis nec loci sint, consiliarij nostri, quos ad eam rem deputabimus, tecũ colloquentur. Vale interim, & acquiesce.

Lega-

Legatus, inito posteà, cum delectis consiliarijs colloquio, primum ne Legationis suæ terminos transgressus videretur, orationem suam litteris consignatam tradit; deque eo quod asperius aliquanto locutus argueretur, se purgat. Illi reginæ suæ nomine ita respondent: Aduentum Legati reginæ longè accidisse gratissimum, vtpote qui missus sit ab eo, quem fratris loco hactenus semper amârit, eiusq; commodis studuerit omnibus in rebus. Cui rei argumento sint induciæ primùm, pax postea, reginæ potissimum intercessione à Turca impetrata; qua hodieque non inutiliter Poloni vtantur: qui tamen pro eo beneficio gratias ageret, neminem hactenus venisse. Molestam ei fuisse Legati orationem: patienter tamen audiuisse; & regiè ad eam respondisse. De quibus accusaretur, extra omnem culpam esse: neque Legato succensere, quem ea tantùm, quæ in mandatis habuerit, exposuisse intelligat: quamquam tale aliquid ab eo rege minimè sibi duxerit exspectandum. Ad querelas & res repetitas quod attineret, existima re se pleraque ad regem non ex rei veritate, sed hominum studijs & opinione, esse delata. Liberã enim esse Polonis in Anglica terra negociationẽ. Anseaticarum ciuitatũ priuilegijs Eduardo sexto regnãte, ꝙ multis in rebus ab officio discessissent, multũ fuisse derogatum; illud tamen postea permissum, vt æquo cum regni ciuibus iureq; vterẽtur. Quare non esse vt communẽ conditionẽ recusẽt, vel præcipuã aliq̃ postulent: nisi fortè existiment bono pastori potiorẽ esse debere curã alieni gregis, q̃ sui: aut nutricem illam laudandam putent, quæ abiecto suo, partum foueat alienum. Nauigationem vt impediat, frumento præsertim & belli-

Anno 1597.

Anno 1597. bellico apparatu hostes iuuantium, multas, magnasque causas habere: neque obstare Anseaticorum Priuilegia, in quibus apertis verbis hæc clausula esset concepta, & à posterioribus regibus sæpè repetita, ne ad regni hostes commeare liceret. Neque verò noui hanc rem esse exempli: Nam & Sueciæ & Poloniæ reges superioribus temporibus, multorum Anglorum naues ad se pertraxisse, mercesque impositas in fiscum redegisse, quod Moscouitis, cum quibus tum bellum gerebatur, aduecturi eas dicerentur. Legatus admonitus, ecquid quod contra diceret haberet, nihil sibi his de rebus iniunctum respondit, neque vt disputaret, sed vt mandata exponeret, & responsa acciperet venisse: Ità paulò post honorificè dimissus, ad suos est reuersus.

Classis Anglica expeditionem adornat. Suprà diximus, classem ab Hispaniarum rege fuisse inflammatam, quam in Anglorum fines immitteret, cladem acceptam vlturus. Hac de re certior facta Angla, naues omnes contrahit & armat, non tantùm ad resistendum Hispanis, verùm etiã ad Indicas naues intercipiendas, atque si hoc minus succederet, Terceram insulam occupandam. Classem hanc, Hollandorum viribus adiunctis, è portu Plimuthensi egressam, primùm ventus vehemens & aduersus, inde fœda tempestas excepit, atque ita afflixit, vt post multos labores & pericula, vnde venerat, redire coacta fuerit. Dilapso milite, Essexius Thalassiarchus nouas copias colligit: sed quum infirmiorem se animaduerteret, quã vt Hispanicam classem, quæ in portu Ferroliensi stabat, viribus oppugnare posset, rem consilio & astu tractare decreuerat. Naues igitur aliquot ornat, quas ardentes in medium Hispanicarum nauium

um immitteret; flammis proxima quæque corre- Anno
pturas: quo ſtrategemate non ſemel anteà felici- 1597.
ter vſi fuerant Angli. Sed & hoc conſilium fortuna & tempeſtas diſcuſſit: qua aduerſa diu iactati portum tandem deſertum comperiunt. Ratus igitur Eſſexius Hiſpanicam claſſem Indicis nauibus, quæ argento & auro onuſtæ tum venturæ dicebãtur, ſubſidio miſſam: quàm citatiſſimo eam curſu inſequitur, & exeunte menſe Septembri ad Azoras inſulas appellit. Naues ibi ſuas pro præſentibus opibus refectas, ad Hiſpanorum reditum obſeruandum in omnes partes dimittit: ſed nullis acceptis indicijs, verſus Inſulam S. Michaëlis curſum dirigi iubet. Id mandatum ab omnibus nauibus, quæ toto æquore diſperſæ volitabant, minus potuit cognoſci: è quibus vna, cui Iris pro inſigni, à ſuis diſiecta, in mediam penè hoſtium claſſem, ex occidentali India venientem, incurrit: ſed periculum conſpicata, ceteris nuncium claſſis aduẽtantis pertulit; ſerum quidem illud. Terceram enim iam tenebant Hiſpani, ac prius quàm Angli eos aſſequi poſſent, naues exonerauerant, arcis præſidio, quæ ad portum eſt, tuti. Spe ſua fruſtratus Eſſexius, ad Inſulam S. Michaëlis ſecundum curſum intendit, & exſcenſione facta damno, quã maximo poſſet, hoſtes afficere: ſed portui diffiſus, ne prædæ intentus nauium interea iacturam faceret metuens, impletis aqua recenti dolijs, feſtinabundus inde in altum vela fecit. Expeditionis huius, quamquam fruſtrà ſuſceptæ, duces, viri omnes fortes, & rei naualis periti, domum reuerſi, quum ab aduerſarijs rerum malè geſtarum arguerentur, non ex euentu conſilia iudicanda reſpondent: ſibi multas vigilatas noctes, magna ſu-

Anno 1597.

perata pericula, cum inopia, & tantum non fame ac siti, sæpius certatum, infinitos exantlatos labores: facile esse domi desidentibus aliorum industriam eleuare, & facta in inuidiam adducere: quorum tamen virtutem imitari nec velint, nec possint.

Pestis immaniter grassatur.

Hac æstate per vniuersam Germaniam pestis grassata est, tanta morbi sæuitia, vt correpti sæpè intra vnius diei spacium exanimarentur; ac multi, metu desertis oppidis, in loca deserta commigrârint. Hanc grauissimam, sed hominum sceleribus multò minorem pœnam, crebri terræmotus aliaque prodigia sine dubio portenderunt. Nam & Viennæ sanguine pluit: & tanta inundatio fluminum complures regiones obtexit, quantam vix vlla proximorum sęculorum memoria meminisset. Spectra etiam, & alia nonnulla, à quibusdam visa, iactabantur: quorum fidei etsi nihil derogamus, tamen quum fabulis propiora videantur, lubenter silentio præterimus.

Imperator pacem inter Ordines & Hispanos tractat.

Quanto studio res in Belgio turbatas Imperatoria Maiestas hactenus sedare studuerit, sed parum secundo, prô dolor, euentu: nemini est ignotum. Tamen nec sic quidē re planè desperata, communicatis cum Imperij principibus aliquot cônsilijs, denuò Legationem ad Belgij Ordines confederatos mittere decreuit: qui ea de re per internuncios certiores facti, quod vererentur ne ciues in spem pacis erecti, rerum præsentium & diuturni belli tædio non animis tantùm relanguescerēt, verùm etiam tributa negarent: litteris Legatorum aduentum deprecantur. Imperator tamen & qui Principum in eam Legationem consenserāt, nihil ea re moti, Carolum Nucelliū ad ordinem cōuentū

mit-

mittunt. Is attulit binas eodem pænè exemplo, vnas Imperatoris, alteras principum iussu scriptas epistolas: Mirari se cur legatos audire recusēt: quibus ne hostes quidem aditum negent. Potuisse ordines multis iu rebus Imperatoris Imperijq; Principum beneuolentiam perspicere: neque quidquā ex se ortum quod diffidentię causam aliquam prębere possit. Ordinum Legatis apud se semper non aditum tantū, verùm etiam aures patuisse: neque id beneficij porrò negare velle. Hanc recusationē tantò sibi molestiorem fuisse, quantò minus tale quidquam sperauerint. Ceterùm rectius facturos ordines, si Legatis, quibus diem ac tempus dici postulent, auditis, toti orbi testatū faciant, per se non stetisse, quo minus tàm noxiū bellum cum fida & æquissima pace fuerit commutatum. His in conuentu lectis literis, audita etiam Legati oratione, Ordines vtrisque, & ipsi scripto respondent: Primùm, magni se facere singularem curam & caritatem, qua Belgicas prouincias sint complexi. Non negare se legatis suis ab Imperatoria Maiestate ceterisque Principibus non audientiam modò, verùm etiam omnia officiorum genera fuisse præstita; quæ eadem Imperatorijs Legatis tantò magis præstare parati sint, quantò maiori cum fiducia in tātis calamitatibus ad Imperij opes & auxilia semper respexerint. Quod verò nullā cū Hispanis pacis tractationē sibi ineundā putent, multas & graues esse causas. Eiurato enim Hispaniarū regis imperio cū Angliæ primū, deinde Galliæ regib⁹ foedus fecisse; quibus inuitis vel dissentientibus ad eiusmodi tractationes descendere nō possint, nec si possint, velint. Nā pręterquā q̄ irritos ferè omnes pacificandi conatus, prudentiores iam antè facile in-

Anno 1597.

Ordinum Responsio.

Anno 1597. lè intelligant;illud se longo iam rerum vsu deprehendisse,non pacem, sed prouinciarum & vrbium auulsionem isto nomine ab Hispanis semper fuisse quæsitam.Diffidentiæ suspicionem non tantùm nullam habere : verùm etiam in suæ Maiestatis æquanimitate, & procerum Imperij fauore,non exiguam spem collocare :quorum maiestatem non comiter tantùm obseruare , & ea ,qua par,est reuerentia prosequi nunquam sint destituri. Rogant denique, vt tam apertum ac liberum responsum,ab ipsa necessitate expressum, in bonã accipiant partem. Legatus, cui pro laboribus gratiæ actæ,& hospitij sumptus persoluti, 15. Augusti Antwerpiam inde est profectus.

Alpa à Mauricio Nassonio recepta. Hispanis bello Gallico impeditis, Hollandi,ne occasioni deessent,adulta iam æstate expeditionẽ decernunt. Conscripto igitur exercitu, apparatuque in naues imposito,Mauricius Nassouius Alpã oppidulum ex itinere aggreditur, & deditione receptum præsidio munit:inde ad Bercam castra ponit,Coloniensis Episcopatus oppidum, loci natura atque operibus,prę sidio etiam tum benè munitum. *Berca obsessa:* Castris bifariam diuisis quindecim Frisiorũ, tredecim Anglorum, decem Hollandorum signa, adiunctis quinque equitum turmis , superiorem vrbis partem claudere iubet: Hohenlous, Solmæus, Scoti , & reliqui eam partẽ quę Xantonas, Cliuiæ oppidum, spectat, oppugnare iussi . Medium locum Mauricij tentoria occupabant. Initio obsidionis Ludouico Nassouio,quum incautiùs mœnibus adequitasset , crus pila traiectũ fuit: vulnus tamen breui sanatum . Perductis breui ab vtraque vrbis parte ad Rhenum munitionibus,nec contra oppidanorum tantùm eruptiones, verùm etiam, si qui

si qui obsessis opem ferre conarentur, diligenter omnibus prouisis: primùm turres & editiora loca, è quibus obsessi continuè in castra iaculantes, non leuia damna inferebant, tormentis pulsant, & propugnatoribus adeò infesta reddunt, vt vix quisquam conscendere ea amplius auderet. Nec multò post, vi tormentorum muris perfractis ac suffossis, præsidiarij, qui se ad omnia pericula subeunda promptos ostenderant, trepidare cœperunt: quod muris hostē iam adesse, & corona oppidum inuadere paratum viderent. Missis ergo qui de deditione agerent, post longam disceptationem, in has conditiones est conuētum: vt præsidiarij sub signis explicatis, cum omnibus suis armis & fortunis vrbe excederent, tribus proximis mensibus cis Mosam contra Ordines arma non ferrent; ciues omnibus suis priuilegijs & libertate vterentur. Gelriam inde profecti, intromitti petierunt: sed à ciuibus exclusi, præsidiariorum ope portis occupatis, seditiosè tumultuari, & stipendia flagitare cœperunt; Hermannum Comitem Bergensem cum alijs quibusdam, compescere eos adnixum, vrbe expellunt, quosdam custodia includūt: quæ res, vt Mauricij conatus non parum adiuuit, ita Hispanorum ducibus præter alia incommoda ad opem obsessis ferendam, vel operæ precium aliquod faciundum, magno fuit impedimento.

Anno 1597.

& dedita

Intra decimum diem expugnata Berca, dirutis castrorum munitionibus, ac refectis oppidi muris præsidioque imposito, Mursæ exercitum admouet Mauricius: Mediolanam, paulò supra Bercam, quę à Camillo, Italo quodam, nomen habebat, à præsidio relictam, complanari iubet. Camillus hic, militum tribunus, Mursæ oppidi præfecturam diu gess-

Mursæ obsessio.

Anno 1597. gesserat: atque inde ad Gallicam expeditionem euocatus,& in Galliæ finibus morbo absumptus, morari inter homines desijt: Ambitionem eius Inscriptio, in prædicto loco reperta, testatur. Ea sic se habet:

Castellum Camilli relictum.

Mediolana me fecit. Mediolanam supra Rhenum fundaui. Vbi morior nescio. Ego Camillus Sachinus hanc inexpugnabilem arcem cum virtute animi & propria pecunia fundaui. Anno MDLXXXVII. militans sub Alexandro Farnesio, in seruitio Regis Catholici: in quo loco Attila Gothorum rex fundamenta vrbis Asciburgi destruxit, olim fundati ab Vlysse, & à Publ. Ennio Consule Romano restaurati.

Sed quã inexpugnabilis hæc arx fuerit, euentus satis declarauit. Nostra quidem ætas abundè docuit nihil opere aut manu factum esse, quod non idem opere ac manu expugnari & subuerti possit. Admoto, vt diximus, ad Mursam exercitu: præsidiàrij suorum aliquot emissis, primùm alacriter prælium ineunt; sed multitudine oppressi, retrocedere coguntur. Oppugnatio quo minus statim omnibus viribus inchoata fuerit, continuæ pluuiæ fecerunt. Quum tamen nihilo segnius omnia quæ ad obsidionem pertinebant, administrarentur: Andreas de Miranda, Hispanus, arci præfectus, tormentarij maximè pulueris penuria coactus, tympanotribam mittit, qui trium dierum inducias impetraret: intra quod spacium si auxilia non mitterentur, oppidum se traditurum. Induciæ negatæ: ceterùm conditiones propositæ, vt præsidia

dia

diarij salui & incolumes, curribus quadraginta ad eum vsum à Mauricio concessis, cum omnibus suis deducerentur: in quas tandem, quam nulla auxiliorum spes esset, consenserunt. Ita menstruo spacio trinis arcibus oppidisque, atque in ijs quinquaginta quatuor machinis æneis, inter quæ vndecim muris deijciendis idonea, receptis, Mauricius securiorem suis Rheni fecit nauigationem: qui Mursæ rebus constituendis dies paucos consumpsit. Anno 1597.

Grolla obsidetur.

Die Septembris octauo per pontem Rheno impositum copias traducit: inde Luppia traiecto, modicis itineribus ad Grollam peruenit. Id oppidum valido præsidio tenebat Ioannes Limburgensis Comes: eoque difficilior videbatur futura oppugnatio, Sed militum industria, omnibusque belli artibus tantum breui perfecit Mauricius, vt magnis in angustijs præsidiarij versarentur. Nam præterquam quod omnia ad vrbem itinera erant interclusa, cuniculi etiam diuersis in locis subter vrbis munitiones iam erant perducti, è fossis aqua deriuata, incēdij etiam tāta vis exorta est, vt bona pars ædium conflagrârit, ac nisi magna militum industria fuisset restinctum, quidquid in oppido reliquum erat, in cineres subsessurum videbatur: neque tamen quidquam obsessi, quod fortissimorum erat militum, omittebant: sed frustrà omnia experti, deditionem honestis conditionibus faciunt; & ad duodecim peditum signa, duas equitum turmas egressi, ad Rhenum incolumes, inde ad suos sunt deducti: Rebus & hic ex animi sententia confectis; MAVRICIVS Brefordam, validum ijs in locis oppidum, ducit; & misso

cadu-

Anno 1597. caduceatore, quod nõ omnes idem de loci defensione sentire audiuisset, dedi sibi possit. Damianus Gardorte Capitaneus cum suis præsidiarijs Deo & Hispanorum regi se fidem oppidumque seruaturum, respondet, loco confisus. Nam ob circumiectas vndique paludes, impedita itinera, ac viarum eo anni tempore difficultates, ægrè patefieri vllus aditus posse videbatur. Sed omnes difficultates & Ducis solertia, & incredibilis militum industria discussit. Adduxerat Mauricius pontes quosdam, eum in vsum noua arte confectos. Trabes binæ decempedali longitudine, vel etiam lõgiores, asseribus abiegnis suprà & infrà contignãtur, quarum ea est latitudo, quæ quinos homines iuxtà stantes admittat: Extremis partibus vtriusq; lateris binæ rotulæ subijciuntur. Quod medium est inter duas contignationes cauum, subere suffarcinatur & expletur. Vtrimque funes dependẽt, quibus propulsam rotis machinam, quacumque volunt, facile milites trahunt. Huic parti fibulis ferreis per bina vtrimque foramina immissis, aliã adnectunt, atque inde rursus aliam, prout loci natura requirit. Hoc pontis genere, alijsque operibus, locis palustribus superatis, tormenta ad muros diuerberandos magna cum omnium admiratione sunt perducta. Hic obsessos nimia confidẽtia ac pertinacia in extremum pœnè exitium præcipitauit. Iussi enim, pro more, iterùm deditionẽ facere, viginti quatuor horarum spacium ad rem deliberandam, per cõtemptum, petierunt. Interea detonantibus machinis, milites qui in fossis excubabant, quum mœnia defensoribus nudata animaduerterent, magna cum alacritate in proximum vallum enituntur: quod conspicati oppidani, i

Nouum genus pontiũ.

ni, in arcem trepidè se recipiunt; ibi sine vlla conditione dedere se coacti. In deditos nulla sæuitia animaduersum: grauis tamen mulcta pecuniaria tā militibus, quàm ciuibus irrogata. Oppidum sequenti nocte fortuitum incendium vehementer deformauit, ac penè consumsit: quamobrem ciuibus casu hoc grauiter afflictis, mulcta remissa. Anno 1597.

Quum nemo victoriarum cursum interpellaret: Mauricius ad reliqua etiam loca ab hostibus liberanda animum adiecit: quæ non adeò multa, nec ea quidem valdè munita restabant. Paucis ergo ad refectionem militi datis diebus, Enschedam eodē die, qui 18. erat mensis Septembris, & cingit, & capit. Inde Oldenselam profectus, post quatuor dierum oppugnationem ad deditionem compellit, licet à valido præsidio teneretur. Ex itinere signa aliquot ad Otmarsiam cogendam mittit: quæ & ipsa in victoris potestatem venit. Restabat Linga, oppidum ijs in locis non ignobile, cum arce aduersus omnem vim egregiè communita. Nam pręter quatuor è terra congestos aggeres, duplex vallum & fossa muros oppidi ambit: Arcem, vt & subiectam regionem, Hispaniarum regis nomine tenebat Fridericus Comes Bergēsis, adiunctis pręsidiarijs circiter octingentis, & copioso omnis generis importato commeatu. Initio obsidionis facto, crebrę dimicationes, & vario plerumque cum euentu sunt factæ: ac multoties alacriter in Nassouianos illati obsessi, non minori fortitudine reiecti sunt, & in vrbem compulsi. Tandem obsidentium pertinacia & operibus victi, postquam strenuè se defendissent, atq; multos hostium occidissent, non paucos etiam è suis, dum Mars iam hunc, iam pignorat illum, amisissent, multa iam nocte, intel-

Enscheda. Oldenfela, Otmarsia Mauricio dedita.

Linga obsidetur, & capitur.

Anno 1597. lecto periculo,cum hoste pasciscuntur ijsdem penè conditionibus,quibus supradicti. Arcis custodia Martino Colbenio est commissa.Toto hoc districtu pacato,hostibusque erepto; Mauricius exercitum,multa iam hyeme non mediocriter vexatum,in hiberna duxit. Insignis fuit hæc victoria, & apud exteros etiam multorum sermonibus celebrata,qua Mauricius,breui temporis spacio, nouem oppida, arces quinque,Comitatus tres,ac totidem Dynastias Ordinũ imperio adiecit: septem fluuios,quatuor pontibus,tres vado traiecit: non legatos tantùm multorum regum ac principum, verùm etiam præter magnum nobilitatis numerum,quæ ex vicinis locis vndique confluxerat.duos Duces,nouem Comites, ad castra visenda profectos,tantæ victoriæ velut testes habuit atque inspectores.

Christianus IIII.Daniæ rex,vt & ipse Christianæ reipublicę ardens suum eam adiuuandi studiũ probaret:splendidam,primum ad Angliæ reginã, inde ad Ordines confederatos,misit Legationem: cuius principes fuêre Arnoldus Vitfeldius,&Christianus Barnicouius,hic senator, ille regni Cancellarius. Ad reginam introducti,post ea, quæ in eiusmodi congressibus primò fieri solent,mandata sui regis exponunt: Se de federe antiquo inter Danos & Anglos renouãdo missos,regẽ,patris sui exẽplo,pacis promouendæ cupidum, reginã amicè monere,vt cogitet,præstaret ne dubia belli & ancipitia periculorum subire, quàm pacem cum hostibus facere;q̃ ad rẽ,ita tamen vt religioni satis caueatur,operam suam promittat.Subditorum suorũ nauigationẽ ne impediri pateretur, rogare, aut saltem nominibus exprimeret,quas merces in Hispani-

Hispaniam importare mercatoribus liceret: cum primis autem Noruegis, quorum omnis quęstus è lignis fit, trabes, tignos, asseres distrahere permitteret: quæq; ad piscationes pertinerent: querelas ac controuersias, delectis ad id hominibus idoneis, decidi iuberet Legatis regina humaniter respődit: Gratissimã sibi esse regis erga se volũtatẽ & studiũ Antiqua fœdera religiose, vt hactenus ita porrò colere & tueri velle. Pacis & naturâ & sexu cupidissimã se esse, præsertim in tam præcipiti ætate: modò ab ea omnis fraus abesset. De ceteris ita conuẽtũ, vt ne Danis cannaben, rudentes, funes, puluerẽ pyriũ, nitrũ, tormenta, malos, picẽ, frumẽtũ deniqꝫ cuiuscuq; generis, aut farinã, in Hispanias portare liceret: ceteris facilè assensũ. Legatos receptis ab eis q̃ proximus rex gestauerat, equestris ordinis Anglici ornamẽtis, regina magna verborũ humanitate, donis etiã abeũtes est ꝓsecuta: q traiecto mari, in Selãdiã, & mox Hagã Comitis se cõtulerũt. Ibi 29 Octob. litteras regis Ordinib⁹ exhibuerũt, & mãdata scriptis & voce in hũc modũ exposuerũt: Missos se nõ tãtũ vt regis nomine Ordinibus gratularẽtur, eiusq; summæ erga eos beneuolẽtiæ essent interpretes: verũ etiã ijsdẽ in memoriam reuocarẽt quã cõtractus & fœdera, q̃ inter Daniæ & Belgicarũ ꝓuinciarũ ciues ab antiqs vsq; tẽporibus intercesserint; tũ prasertim summã ac firmissimã amicitiã quæ olim laudatissimæ memoriæ, Friderico IIII. Daniæ regi &c. cũ Gulielmo Aurasino Principe fuerit: q dum viuerẽt, fratrum loco se dilexerint, eumq; amorẽ mutuis officijs sint testati: Nec verò minore beneuolentia vniuersas Belgij confœderatas prouincias complexum prædictum regem, magno studio earum commoda semper promouisse

Anno 1597.

Anno 1597. præsertim verò exorto primùm, deinde recrudescente tam pernicioso bello, omnem mouisse lapidem, vt sedatis motibus, vniuersæ Christianæ Reipublicæ pax & tranquillitas restitueretur; ac nisi immatura morte fuisset præreptus, procul dubio rem ad optatum exitum perducturum fuisse. Patris hanc, inquiunt, voluntatem sequutus filius, rex noster clementissimus, pietatemq́ue æmulans, nihil itidem prius aut antiquius habet, atque etiā porrò habebit, quam vt DD. Ordinibus, & vniuersis harum prouinciarum ciuibus, fidem suam, beneuolentiam, studium & amorem omnibus in rebus declaret, ac probet; nullumq́ue officiorum genus erga eos prætermittat. Quum ergo tam diuturno bello premi, atque tot, quæ bellum fert, calamitatibus has regiones vexari intelligat: dici nō potest quantoperè earum incommodis angatur: præsertim è quibus magna in totum Christianum orbem damna redundent. Hoc affectu impulsus, nos huc ablegauit, eum in finē, vt exploraremus, placeret ne Ordinibus, rege alijsq́ue Principibus sequestris, pacis aliquam conficiendæ rationem inire; ea spe fore, vt rex Hispaniarum non difficilem se præbeat, sed ad æquas conditiones descendat. Hoc verò rex vnicè deprecatur, ne existiment Ordines, quidquam facturum, suasurum, vel admissurum, quo qui nunc est Religionis status labefactari, aut ciuium libertas, priuilegia, salus denique conuelli possit. Natus enim est in ea religione, atque educatus, quam etiam ad finem vsque vitæ, Dei beneficio, constantissimè tueri atq; propugnare decreuit. Sed quum Christiani Principis officium vel præcipuum sit, dissidia componere, & ad concordiam constituendam omnia sua con-

silia

filia referre: his de rebus Ordines commonefaciendos, eorumque ſententiam amanter ſibi exquirendam putauit: nihil dubitans hæc vt ex animo beneuolo profecta ſint, ita quoque bonam in partem acceptum iri. Reliqua Legationis capita nauigandi libertatem, & res quorundam priuatas, concernebant. Ad hæc ita reſponderunt Ordines: Principio, ex Legatorum aduentu non mediocre gaudium cepiſſe, à quibus de regis in antiquo fœdere conſeruando voluntate, certiores ſint facti: nec minus gratam ſibi fuiſſe eius, quæ quondam inter Fridericum IIII. Daniæ regem & Gulielmũ Auraſinum Principem, iam in Chriſto vtrumque quieſcentem fuerit, amicitiæ mentionem. Ac quãquam de regis erga ſe voluntate nihil vnquam dubitârint: non poſſe tamen non vehementer lætari hac tam beneuola eius etiam porrò continuandæ teſtificatione. ſe quidem enixè operam daturos, vt regi viciſſim omni officiorum genere ſatisfaciãt: à cuius patre, optimè de ſe merito, multis & magnis beneficijs ſint affecti; & cuius ipſius plenum beneuolentiæ animum perſpiciant vel ea hac ipſa Legatione. Quod enim afflictis cõdoleat, Chriſtiano Principe dignæ miſericordiæ ſe tribuere; quod malis omnibus cupiat ſubleuatos, ſtudio atque amori. Ceterùm cum Hiſpanis pacis vllam tractationem ſuſcipere non poſſe. Non nunc primùm iſtis artibus ad incautos homines diripiendos vti: neque repentinam illam in conditionibus ferendis, hoſtis antea tam ſuperbi liberalitatem eſſe gratuitam. Ludouicum Requiſentium, magnum Commendatorẽ Caſtiliç, anno 1575. Champignio & Aldegondio internuncijs, de pace cum Ordinibus, & Auraſino Principe tractâſſe: intereà verò

Anno 1597.

Reſponſio Ordinum

Anno 1597. verò non solùm discordiæ inter Hollandos & Selandos semina seuisse, sed etiam Lugdunum obsessum summis viribus oppugnâsse: à qua tamen obsidione, mirabili Dei consilio ac virtute fugatus, re infecta, discesserit. Quem verò fructum Bredana tractatio attulit? nisi quod Ordines segniores facti, & paci intenti hoste interea ad vim quam diligentissimè se comparante, multa oppida & arces amiserunt. Gandauensem pacificationem, vt ab initio statim impedire conati sunt Hispani; ita postea infringere multis modis non dubitârunt. Eam enim quum Hispaniæ rex aliter habere ratam nollet, nisi Catholica religio omnibus in locis restitueretur; Hollandi verò & Selandi id facere recusarent: Ioannes Austriacus qui ceterarum prouinciarum Ordinibus Hollandos opprimendi auctor fuerat, quum hoc impetrare non posset, non clandestinis tantùm machinationibus, verùm etiam vi aperta omnium regionum oppida tentauit. Paulò post Sellæus pacificationis studium simulans, Machliniæ in conuentu vniuersorum Ordinum id modò egit, vt corrupto Bursio, prædictam vrbem ad Hispanorum adiunxerit factionem. Conuentu Louanij, deinde Coloniæ iterum habito, & pace nequicquam tentata: interea non vrbes tantùm ab Hispanis per vim occupatæ, sed etiam integræ regiones sunt auulsæ. Desperata tandem pace, maior prouinciarum pars Andegauensis Ducis imperio se subiecerunt; eierata Hispani obedientia, ob multiplicem eius tyrannidem, ac plus quàm hostiles actiones. Hic iterum longum catalogum attexunt omnium eorum, quæ ab Hispanis in Belgio facta in crimen & inuidiam quoquo modo

possunt

possunt vocari: quæ eadem suprà à nobis in responsione, quæ Polonorum regis Legato data est, posita, repetere hîc nō necessarium existimamus. Quod si hæc omnia (inquiunt) secus haberent: nostræ tamen potestatis non est, non modo pacem vllam, verùm etiam pacis tractationem admittere: quod in eo fœdere quod cum Galliæ & Angliæ regibus est percussum, cautum sit, ne vna pars sine alterius consensu cum hoste pacificatur. Regiam ergò Maiestatem rogamus atque obsecramus, vt persuasum sibi habeat, pacis studio nobis nihil esse antiquius: sed cum Hispanis quo minus vllam de ea tractationem institui finamus grauissimis causis impelli. Ad cetera capita humaniter responderunt: & Legatos honorificè tractatos, liberaliter dimiserunt. Anno 1597.

De amissione Pappæ, Totisæ, Palottæ, Sammartini, Iaurini, præcedentibus libris diximus. Recepta ergò Totisa, ad Pappam oppugnandam Christianorum Duces animum adiecerunt. Collectis igitur infra Aldenburgum ad viginti quatuor hominum millibus, Maximilianus Austriacus, Nadastium & Colonitsium ad itinera exploranda præmittit: qui quum in ducentos Ianitsaros incidissent, octoginta eorum cæsis, reliquos, in quibus duos Agas, captiuos ad Archiducem, qui iam ad exercitum peruenerat, adduxerunt. Die 13. mensis Augusti obsidionis factum est initium, quæ tanto studio est continuata, vt breui ad hostium munitiones sit peruentum: quibus tormentorum vi conuulsis, milites aliquot immissi, Morspurgio & Roswurmo Ducibus, sed non sine vulneribus sunt reiecti: vterque Pappa à Christianis recepta.

Anno 1597. plagam in conflictu accepit; sed hic lethalem. Ad famam aduentantis Turcarum exercitus, qui obsessis subsidio missus ferebatur, iterum cœpta est oppugnatio, tanta militum alacritate, vt, quamuis acriter se defendẽtibus Turcis, oppidum sit captũ. Præsidiarij in arcem se receperũt, in qua quadringenti è Christianis captiui asseruabantur. Horum vitæ vt parceretur, Turcis permissum, vt cum omnibus fortunis suis incolumes abirent. Interea Galli in arcem irrumpunt, omniaque ferre, agere, rapere incipiunt. Ad hos igitur continendos. Ederus militum tribunus, cum alijs duobus signis arcem custodire iussus. Turcæ, Gallorum vim metuentes, confusis ordinibus, arce egrediuntur: quorum loculis excussis, auri aliquid apud eos repertum. Galli, spe prædæ illecti, iuuitis ducibus, dedititios cõcidunt, concîsos vestibus spoliant; & sarcinis direptis, nuda ac lacera cadauera, immani spectaculo, relinquunt. Bassam cum ijs qui supererant (erant autem centum & sexaginta) ægrè seruatum, militumq; furori ereptum, deducere iussus Colonitsius; & Hofkirchius cum Austriacis signis in arcem introductus. Vix mille passus progressi fuerant Turcæ; quum ecce turris quædam, in quam pulueris sulfurei magna vis erat reposita, tanto cum fragore conuellitur, vt non solùm maior arcis pars concussa sit & dissipata, verùm etiam ducenti circiter præsidiarij, cum multis captiuis Christianis, ambusti & ruina oppressi, & Hofkirchius grauiter vulneratus. Incendium hoc quum Turcarum fraudibus multi factum suspicarentur; statim missi sunt, qui Turcas è via retraherent; ac nisi multis argumentis facti conscientiam à se remouissent, ad vnum omnes fuissent concisi: Casus

hic

hic, præterquam quod arcem vehementer deformauit, quidquid reliquum erat commeatuũ quoque abſumpſit. Anno 1597.

Anſeaticarum ciuitatum ſocietas.

Anſeaticarum ciuitatum non in libris tantùm, ſed etiam ſermonibus noſtrorum crebra eſt mentio. Earum hiſtoriam, vt quod dicemus melius intelligatur, paucis, ex aliorum ſententia, explicare nobis viſum eſt. Ab antiquis vſque temporibus emporia quædam vel mari, (vnde etiam nomen accepiſſe nonnulli autumant) vel fluminibus adſita, in fœdus coierant, ijs de rebus quæ ad mercaturam promouendam ſpectarent. Harum ciuitatum aliæ dicuntur Vandalicæ, aliæ Veſtphalicæ, aliæ Saxonicæ, aliæ Pruſſiacæ. Vandalicarum caput cenſetur Lubeca, cuius etiam præcipua apud alias eſt auctoritas; Veſtphalicarum, Colonia Agrippina; Saxonicarum, Brunſuicum; Pruſſiacarũ, Danticum. In vniuerſum duæ ſupra ſeptuaginta numerantur. Hæc ſocietas, quum multis in regionibus vberem ac quæſtuoſam exerceret mercaturam, magnaſque commoditates afferret; immunitatibus & priuilegijs eximijs eſt donata. Hoc ſucceſſu alacriores facti, quatuor præcipuè in locis veluti ſedem ſibi ac ſtationem elegerunt: Londini in Anglia, Brugis, in Flandria, Bergæ, quæ Noruegiæ metropolis eſt, & Nouogardiæ, Ruthenorũ non infima ciuitate. His in locis ad mercaturæ vſum domicilia exſtruxerunt, ac veluti ſcholam quandam inſtituerunt, in qua Anſeaticorum ciuiũ filij non ad honeſtatem tantùm, verùm etiam mercandi peritiam erudirentur. Multæ leges in hac ſunt ſalubriter latæ, quibus veluti compedibus luxuriantes iuuenum animi continentur. Singulis præfectus cum aliquot Conſiliarijs datus eſt; apud

Anno 1597. quos mercatorum controuersiæ disceptantur. Ab eorum tamen sententia ad Anseaticarum ciuitatũ magistratus appellari potest. Londini, vt diximus, prædicta societas magnificas & spaciosas ędes habuit; quam à chalybe, cuius magnã copiam olim apportare eò soliti erant, aulam chalybeam vulgus appellat: priuilegijs insuper quatuordecim regum liberalitate concessis ac confirmatis, amplissimis gaudebat: quæ quum Angliæ reges commodis suis & vectigalibus augendis obstare animaduertissent, caussas ea abrogandi, vel certè restringendi quæsiuerunt. Hanc rem molestè tulerunt Anseatici, atque iniuriam sibi fieri multoties conquesti, hoc modo impetrârunt, vt ijsdem quibus Angli conditionibus negociarentur, ac tantundẽ vectigal persoluerent, nec in Belgium, sed ad suas ciuitates pannum è laua factum, asportent, interim tamen Anglis idem iuris apud Anseaticos tribueretur. Has conditiones aspernati Anseatici quod iniquum dicerent, se quorum priuilegia tãtis laboribus, impẽsis, atque adeò sanguinę parta essent, eodem cum ceteris iure censeri; neque se noua priuilegia rogare, sed vt antiquis frui liceat rogare. Quum verò nihil proficerent: Imperatorem appellant, ac non modò de iniurijs sibi factis grauissime conqueruntur, verùm etiam Anglos, ceu monopolia instituere meditantes, accusant. Neque enim quemquam vel Anglum in eorum societatem admitti, nisi post septem annorum prę-stitam operam. Non nisi certis diebus ac locis pãnum emi, in naues comportari, auehi, vendi: quibus è rebus luce meridiana clarius eorum in monopolijs instituẽdis consilia perspici possint. His querelis omnib' penè in comitijs repetitis motus

De Anglis querimonia.

Impe-

Anno 1597.

Imperator, Embda primum, Frisiæ orientalis celebri emporio, Anglos, monopolia exercentes discedere iubet: sed adnitente regionis eius Comite, res dilata potius, q̃ expedita. Tandem quum Angli bello Hispanico, quod etiam nunc gliscit, multas Anseaticorum naues impunè acciperent ac deprædarentur; nec res repetitæ redderentur: Anseatici multò vehementius apud Cæsaream Maiestatem institerunt, vt eiectis ex vniuersis Imperij regionibus Anglis, monopolia eorum euerterentur. Calendis igitur Augusti Pragæ edictum fuit promulgatum, quo omnes Angli (eos puta qui è panni venditione quæstum faciunt) intra tres menses imperij finibus excedere iubentur; in hanc ferè sententiam: postquam ciuitates Anseaticæ ante annos trecentos & eo amplius in regno Angliæ insignes immunitates & priuilegia, partim regum singulari beneficio, partim suis laboribus ac incredibili sũptu, ad totius Romani Imperij vtilitates & mercatorum cõmoda augenda, sibi pepererunt, ijsque sine vlla interpellatione hactenus sunt vsi, quin etiam de omnium ordinum consensu anno 1475. decretum eam in rem est factum, quo prædicta priuilegia perpetui contractus nomine sunt confirmata: tãdem exstiterunt aliqui, qui societate inita, earum Anseaticarum ciuitatum mercatoribus, non sine magno vniuersi Imperij detrimento, præcipere studuerunt. Horum enim persuasionibus inducta quæ iam rerum potitur, regina, non modo Anseaticorum priuilegia & contractus hæreditarios à maioribus approbatos non ratificari, verùm etiã omnem priuilegiatam in regno suo negotiationẽ voluit inhibere; vt sicut iam antè quæstus omnis è lana ad Staplarios (nomina hæc sunt societatũ) ita

Edictum Imperij contra Anglos.

nunc

Anno 1597.

nunc è panno facto ad Auenturarios transferretur. Magno ergo numero in Germaniam profecti, Embdam primùm, inde aliò, tandem verò Stadam, Archiepiſcopatus Bremenſis oppidum, cõmigrârunt, eaſque vtilitates, quæ peculiares olim Germanicis fuerant mercatoribus, monopolio, quod ad magnam labem & detrimenta Imperio ſubiectarum nationum pertinet, inſtituto: vnde, ſupra modum augeſcente precio, ſumma panni cuiuſq; generis caritas eſt conſecuta. Præterea quoniam pannus ab Anglis importatus, nec madefactus eſt, nec, vt diſciplina artis fert, intentus: multi eundem ita crudum, idem ſibi licere, quod alijs exiſtimantes, itidem vendiderunt: quo deceptis emptoribus, non leue vulnus mercaturæ fuit inflictum. Hunc conatum, vt iniquum, ita minimè tolerandum, quum quidam interpellaſſent; Angla Londino Stadam commeantes mercatorum onerarias ſuis præſidijs per mare Germanicum, cuius tutela ad Imperium pertinet, deduci curauit: quo facto iterum Anſeaticis alijſque Imperij ſubditis commoda nauigationis fuerunt intercepta. His de cauſis & Anſeaticæ ciuitates, & quorum res ea intereſt, communibus conſilijs Imperij opem impetrarunt, rogantes vt his incommodis remedia adhiberentur, & ad recuperanda priuilegia, ſupplicibus auxilium preſtaretur. Quorum cauſam ſuſcipiendam ſibi rata Cæſarea Maieſtas, ſæpè iam dictam reginam per litteras ſollicitare non deſtitit: verùm aliud nihil effectum fuit; quàm quòd res in ampliorem diſceptationē eſt adducta. Hanc quoque vt præcideret Cæſarea Maieſtas: nūdinis vernalibus anni 1581. per homines idoneos è diuerſarum nationum mercatoribus exquiri iuſſit, mono-

nopo-

nopoliane exercerent Angli Aduenturarij, vel minus: cumque illud compertum eſt, eandem ob cauſam modò dictos mercatores non Dantiſco tantùm, verùm etiam alijs quibuſdam Belgij oppidis, ſuperioribus temporibus fuiſſe eliminatos. Quũ ergò res hæc ad vniuerſos Imperij ordines pertineret; eam in comitijs, Auguſtæ Vindelicorum anno ſequenti celebratis, curauit proponi. Re diſceptata, vniuerſis Ordinibus placuit, vt quia amicabiles rationes apud reginam nihil proficerent; nec tamen ex vſu vel dignitate eſſet Imperij Anglorũ monopolia, cum legibus pugnantia, perferre; portus omnes & emporia eis interdicerentur; omniũque locorum Magiſtratibus iniungeretur, darent operam, vt omnes prædictæ ſocietatis complices à merciũ ſubuectione, exportatione, ac omni negociatione penitus abſtinerent; graui pœna in eos, qui conniuerent, conſtituta. Quod ſi neglecto hoc mandato, eorum aliquis vel lanam factã aut infectam, vel aliud mercimonij genus, qualequale illud ſit, in fines Imperij importauerit, diſtraxerit, emerit, vænum expoſuerit; omnibus & ſingulis Magiſtratibus non ſolùm facultas permitteretur, verùm etiã neceſſitas imponeretur, omnibus mercibus manus inijciendi. Hoc decretum omniũ ordinum conſenſu factum executioni mandari, maiorem in modum vrgentibus Anſeaticis; Cæſarea Maieſtas iterùm amica tractatione componere rem tentauit. Legato igitur, quem ad ea comitia Angliæ regina miſerat, quid decretũ ſit, oſtendit, cauſaſque grauiſſimas exponit, quibus adducta Cæſarea Maieſtas, & Romani Imperij Principes, ſuorum querelis diutius deeſſe nequiuerint: ſi tamen regina amicè controuerſias finiri mallet, idque

Anno 1597.

Anno 1597. que negocij idoneis hominibus demandare; nulla in mora se futurum. Anseaticis insuper auctor fuit, vt non paruis sumptibus spectatæ virtutis ac prudentiæ in Angliam mitterent Legatos, eorumque causam litteris reginæ denuò commendauit. Sed nullo successu omnia fuerunt tentata; ac nihilo minus Angli, vt antè, monopolia exercere perrexerunt. Quamobrem Anseaticarum ciuitatum Legati Ratisbonæ in comitijs, anno 1596. querelas ad Imperij ordines iterum detulerunt, rebusque suis opem postulârunt. Ibi Principes, re deliberata, reginæ animum litteris flectendum rursus censuerunt: quibus si nihil moueretur, Augustanum decretum in contumacem esse expediendum. Hac igitur de causa missis ad eum à Cæsarea Maiestate litteris, die quinta Iulij, anno 1595. perscriptis, quibus vt querelæ omnes præciderentur, deque iniurijs & damnis satisfieret, petebatur: verùm ita etiam tum respondit regina, vt facilè appareret eam Cæsareæ Maiestatis & Imperij Principum mansuetudine patientiaque abuti, illudque præ se ferre, solam se plenariam omnium rerum pro libitu in regno suo administrandarum potestatem obtinere, neque quidquam à quoquam sibi præscribi posse. Quocirca Cæsarea Maiestas, cuius est subditorum commodis paternè prouidere, damnaque auertere, rei tantæ ad iniuriam suorum pertinenti, occurrendum tandem statuit: atque Edictum ipsis Calendis Augusti Pragæ promulgari curauit, quo Angli mercatores Aduenturariæ societatis non tantùm ab omni negociatione abstinere; verùm etiam intra semestre cum vxoribus, totaque familia, Imperij finibus cum primis Stada, Archiepiscopatus Bremensis oppido,

oppido, excedere iussit; eamque in rem ad omnes Imperij Electores atque Principes mandata missa, & fisci procuratori decretum hoc omnibus in locis Imperio subiectis exsequendi potestas commissa. His de rebus certior facta regina, Ioannem Wrotum ad Cęsarem, Stephanum Lesurium ad Imperij Principes ablegat, qui & de iniuria, vt videri volebant, sibi facta conquererentur, & concordiæ aliquam rationem experirentur: quibus, re infecta, reuersis, Angli Stada cateruatim emigrârunt. Regina vt se vlcisceretur, eodem die qui Anglis præstitutus erat intra quẽ Imperij finibus excederent, nimirum 18. Ianuarij anni sequentis, Londini Edictum publicari iubet; in quo falso ab Anseaticis insimulatam, ac commentitijs criminationibus petitam, queritur; omnibus itidem Anseaticis, præcipue qui Londini negotiarentur, non mercatura tantùm, verùm etiam regni finibus & habitatione interdicit: edictum tamen hoc ad Polonos, nisi qui pro Anseaticis haberi velint, eorumque aduersus reginam criminationibus suffragati sint, non pertinere declarat. Pretori etiam vrbano, quem Maiorem vocant, mandat, vt Anseaticorum ædes occupet, ac tantisper teneat, dum quid Imperator hac in re facturus esset, intelligeretur. Angli mercatores, nondum spe cõcordiæ penitus abiecta, alias sedes quærere, atque interim dum cõtrouersiæ sopirentur, in Belgicæ aliqua vrbe commorari se velle, significabant: quibus certatim pleræque omnes non habitandi tantùm locum, verũ etiã multa priuilegia deferebant. Inspectis omnibus locis & cõmoditatibus: Middelburgum, Selandiæ vrbẽ, elegerunt; quod & ab Anglia proxime abesset, & antiquitus suã ibi mercaturam Angli facere

con-

Anno 1597.

Angla contra Anseaticos Mandatum.

Anno 1597. consueuissent. Causa verò, cur eos ad se trahere vrbes; & allicere vnaquæque niterentur, hæc fuit, quod ex eorum commercijs, vtpote qui & numero multi sunt, & facultatibus prædiuites, non mediocrium vtilitatum ciuibus spes affulgeret.

Iaurinum frustra obsidetur.

Pappa expugnata, vt suprà à nobis dictũ est, commeatibusque non adeò multis importatis: Maximilianus Austriacus, adhibitis in consilium militiæ ducibus, Iaurinum aggredi decreuit. Nam & hyemis propinquitas, & obsessorum inopia, quòd à commeatibus ac præsidijs non optimè instructi dicerentur, nec auxilijs facilè, ob hibernas tempestates, iuuari possent, facilem victoriam promittebant. Recensito igitur exercitu, Iaurinum ducit, nono die Septembris ijsdem in locis castra metatur, è quibus ante biennium Sinan Bassa vrbem oppugnauerat, ac tandem nostrorum perfidia in suã redegerat potestatem. Præsidiarij ad primum impetum quosdam à Christianis, incautius mœnia subeuntes, adorti, occidunt. Sed inprimis terruit omnes Mantuani ducis periculum, qui dum paucis comitatus muris propius adequitat, à suis penè interclusus, ac Colonitfij maximè opera, ægrè fuit seruatus. Turcę vbi primùm obsideri se animaduerterant; toto biduo intra mœnia aggeribus extruendis intenti, se continuerunt; quorum vnus præsertim ad eam portam, quæ Belgradum ducit, mira altitudine, congestus apparebat. Ei tormentis impositis in castra assiduè iaculabantur. Nec minori cura Christiani, turres, vineas, aliasque machinas muris admoliuntur, fluminibus pontes imponunt, fossas ducunt, omnia denique ad obsidionem necessaria quam diligentissimè procurãt. Interea Palfius, vt & ipse operæ pretium aliquid face-

faceret, atque obsidentium conatus promoueret: duas cohortes diuersis itineribus Budam versus mittit, quæ Turcarum copias obsessis auxilio venturas, vel profligarent, vel saltem certi aliquid de ijs referrent. Earum cohortium altera paulo infra Budam in trecentos Turcas incidit, qui domum redituri, noctem præstolabantur. Hos somno graues aggrediuntur. Centum mors cum somno continuauit: reliquis fuga salus quæsita: quibus è fuga se recolligentibus, altera cohors superuenit. Ita secundum profligatis Turcis, Christiani præda onusti ad suos redierunt. Hoc successu alacriores facti, aliam, eamque maioris operæ, adornant expeditionem. Profecti medio inter Vicegradam & Pestam itinere, Ianitsaris Iaurinum ituris obuiam fiunt, qui territi retrocedunt, ac scaphas nacti Danubium traijciunt, magna cum trepidatione. Fugientes subsequuti nostri ad Tartarorum castra compellunt, Tartaros, hostium securos, cædunt, profligant, castris exuunt; magna omnis generis præda abducta, multis insuper captiuis liberatis, domum se læti recipiunt. Nec vero Turcæ sibi desunt; maxime vero qui S. Martini mōti impositum presidium, pabulatores, lignatores, & si q alij lōgius à signis essēt digressi, intercipiebāt, & Christianorū castris multum incommodabant. Missus igitur eò cum mediocribus copijs Bernstenius dum ad arcem oppugnandam se comparat, Turcæ desperata loci defēsione plerique, [illegible] egressi, partim a sylua [illegible] tūr, arcē, hosti [illegible] relinquunt. Sed horū omnium victoriarum fructus nostris non fuit diuturnus [illegible] in [illegible] contraxerāt, [illegible] exercitu, ad obsidionem soluendam propediem ituri dicebantur. Nostri i-

Annō 1597.

Turcæ cæduntur.

Mons S. Martini à nostris recuperatur.

Anno 1597. gitur, qui viribus multò inferiores nec cum hoste congredi audebant, nec tantam hostium multitudinem velut in viscera Vngariæ pertrahere, imò in Germaniæ fines admittere consultum videretur; obsidionem soluunt, multis relictis impedimentis; quorum maximam partem, ne hostibus vlliv sui esset, igne corruperunt. Præsidiarij, eruptione facta, moratores excipiunt, ægros côplurimos crudeliter obtruncant, reliqua diripiunt, secumq; abducunt. Hoc incommodum aliud longè grauius excepit. Turcæ enim, Comorra desidentibus Christianis, Totisæ, quam suprà diuina ope, & nostri militis virtute receptam diximus, exercitum admouent, & subitario opere, excitatis munitionibus, magnis eam viribus oppugnant. Eam arcem Christophorus VVeida, cum ducentis quinquaginta præsidiarijs tenebat. Is etsi boni ducis officium magna animi virtute explebat; tamen cedere tandem, suæque ac suorum consulere saluti est coactus. Nam & assiduè, sine vlla intermissione fulminabant Turcæ; & patefacto aditu, multoties irrumpere conati, præsidiariorum virtute semper sunt repulsi. Interea, cuniculis actis, subiectoque puluere, vnum ex arcis propugnaculis dissilit, magnamque secum ruinam trahit. Periculo iam propiore commoti milites, quorum bona pars perierat, superstitum alij vulnerati, alij puluere afflati, & ruina perculsi, vix satis ad arma tractanda virium habebant, prefecto periculum ostêdunt, & ne se vniuersos in exitium præcipitet, monent. Communicatis igitur consilijs, noctu clanculum per pseudothyrum ex auersa arcis parte egressi, magno cum silentio, Danubium petunt. Interim hostis summis viribus arcem oppugnat; ac mili-

Totisa ad Turcas redit.

militem per ruinas (nam alterum quoque propugnaculum vi pulueris dissipârat) immittit. Vbi verò arcem defensoribus vacuam, seque elusum animaduertit. imposito arci præsidio, Budam; nostri, qui hæc eminus geri spectauerant, VVotzam sunt profecti. Anno 1596.

Maritimas Belgicæ prouincias rei naualis apparatu & scientia nullis gentibus concedere, quum alia multa, tum in primis maritimæ expeditiones, nostro tempore cum omnium admiratione susceptæ, & perfectæ demonstrant. Quare aliorum verba, quàm iudicium meum, adscribere malo. Sic verò scribit Ioannes Bochius, Antuerpiensi ciuitati à secretis, in eo libro, quem hoc anno de Aduentu & Inauguratione serenissimorum Archiducum & Ducum Brabantiæ &c. edidit: *Naualis Belgij peritia.*

Nemo in rebus Belgicis tam est peregrinus, qui ignoret quanta futura sit ad amplitudinem Principatus accessio, maritimis prouinciis, (Hollandiam & Selandiam potissimum intelligit) vel domitis, vel pacatis. Si enim sigillatim omnia expendamus, quæ ad rem naualem & potentiam requiruntur; eas ditiones maxima quæuis regna populosque nauigandi Oceani peritos non æquare modò re ipsa comperimus, verùm etiam superare. Viris in hac arte exercitatis opus est? Nusquam maior est frequentia currentium equis ligneis per cæruleas vias hominum, vt Plautinis verbis vtar. Siquidem classiarios ad fidem superantia multa millia in censum referri posse, ex fide digno relatu accepimus: qui non

Anno 1597. *solùm industriam & sollertiam rei nauticæ, communem cum alijs maritimis gentibus habent, sed aduersus tempestates corporum viribus præstant, armis animisq; in nauali prælio & nautæ, & militis officio perfunguntur, audacia admirabili. Si classis instruenda est, naues præsidiarias siue onerarias ad maritimi belli expeditionem sexcentas ex his portubus suis educere Princeps potest, & classem procinctam habere exiguo mensium spacio. idq; ob naupegorum, armamentorum, & classici apparatus ac commeatus copiam, &c. Hæc ille.*

Ceterùm hoc anno duæ memorabiles expeditiones, vna versus Austrum, altera versus Septemtriones confectæ, fidem eorum, quæ modò dicta sunt, abundè comprobârunt. De posteriori hîc aliquid prius dicemus, quod & res non ita multas habeat dignas relatu; & breuiori temporis spacio sit perfecta. *Chinæ regnum.* Chinæ regnum amplissimum extremis Asiæ finibus, quà mare Indicum & Iaponiam spectat, velut limbus quidam prætexitur. Quæ de situ, amplitudine, diuitijs, incolarum industria & artibus, scripta passim circumferuntur, etsi fidem superare videntur; veritas tamen eorum nuperis nauigationibus, & vicinorum populorum commercijs, magna ex parte est comperta. Huius opulentissimi, maximè verò auro affluentis, regni diuitias Europæ nostræ & longinqua nimis, & difficillima inuidet nauigatio; Hollādis præsertim, quibus præter æstum, morbos, commeatuum, recentis præsertim aquæ, penuriam, etiam Hispanica classis metuenda est, lineam transeuntibus æquinoctialem, & promontorium Bonæ Spei prætervectis. Aliud igitur iter tentandum sibi rati; quatuor

quatuor naues adornant, omni apparatu probè instru- Anno
ctas: easque Septemtriones versus nauigare iu- 1597.
bent, vt Noruegiam, Moscouiam, Lappiam, Tarta- *Hollando-*
riam circumuectæ, inde in Chinam, Iaponiam, *rum expe-*
Moluccas insulas, aromatum feracissimas, aditum *ditio mari-*
inuestigarent: quem cursum Angli iam antè, vt *tima versus*
multò commodiorem & breuiorem, non semel *Septemtri-*
inuestigauerant; primùm anno 1553. VVillongbius qui- *ones.*
dam cum Richardo Chanceloro: quorum ille o-
misso recto cursu, in Lappiam peruenit, vbi cum
suis rigore & fame confectus perijt, ac postea cũ
omni apparatu, testamẽto, codicillis, ita mortuus
est repertus; hic verò in Moscouiam delatus, eum
cursum quem Angli & Belgæ hodieque tenent,
nostris ostendit. Triennio post, anno scilicet 1556.
Stephanus Borongus, & post eum Arcturus Potius,
& Carolus Iacmannus, Angli itidem, eandem ex-
peditionem susceperunt; vt & Oliuerius Brunel-
lus, Iacobus: qui ad flumen vsque Pezoram pene-
trârunt: & quamquam hi omnes scribunt, haud i-
ta procul à Transitu se abfuisse, tamen re tantum
non infecta, redierunt. Horum exemplo incitati,
& inuentis adiuti Hollandi, Oceanum Septemtri-
onalem emensi; eò vsque nauigârunt, vt poli ele-
uationem haberent septuaginta septem graduum.
Magnam ibi vim glaciei medio mense Augusti,
multaque monstra marina repererunt. Naucleris
vlterius tendentibus, classiarij incommodis & labo-
ribus fracti, retrouehi voluerunt. Duæ tamen na-
ues, multis insulis præternauigatis, ijsque nomini-
bus impositis, in fretum inciderunt; quod Nasso-
uianum appellârunt. Patet id ad quinque vel sex
milliaria nostratia, tantæ profunditatis, vt naues
quantumuis magnas ferat. Inde in mare multò

F 3 ampli-

Anno 1597. amplius delati; spe plenæ, multa iam hyeme domum redierunt. Ineunte vere anni 1596. duæ iterum naues, idem ingressuræ iter, ex Hollandia soluerunt, & Grunlandia à tergo relicta, ad octogesimum gradum, & vndecim minuta, peruenerunt. Hîc frigus & multò remissius quàm sub septuagesimo septimo gradu: nec tanta vis glaciei. quin etiam hinnuli; & alia, quæ gramine vescuntur, animalia visa. Verùm vbi nulla transitus indicia compererunt: retrouecti, diuersis itineribus loca circumiacentia explorare statuerunt. Ioannes Cornelij, qui nauium alteram ducebat, prius iter ad octogesimum vsque gradum relegit; sed nulla re perfecta, domum reuertitur. Alter verò nauclerus, Gulielmus Bernardi, Nouam Zemlam petit, & circumnauigata plaga boreali, ad insulam quandam defertur, cui Auraicæ nomen indiderunt. Inde ad Austrum conuersus, dum longo spacio in mare proiectam terram circumire contendit, glacie impeditur quo minus progredi, & vlteriora loca indagare posset. Nec verò inde se prius recipiendi facultas dabatur, quàm aqua concreta cursum naui planè omnem interclusit. Terræ igitur quã proximè poterant adnauigãtes, exscensionem faciunt: & cũ hibernandũ sibi intelligerent in locis ab omni hominũ cultu vacuis, casam è lignis & asseribus vndiq; conquisitis construunt; cõmeatus è naui, & quidquid necessarium videbatur, exportant. & iã ingruente asperrima hyeme, in latibula sua sese abdunt. Ita igitur velut in Cimmerijs tenebris desidentes, inter spem metumq; dubij, futuram æstatẽ præstolabãtur, cũ fame, vrsis, sed inprimis frigore ac gelu supra omnem modum conflictati. Incredibile dictu est, quæ quantaque fuerint perpes-

In glacie hibernans.

perpessi: quæ si quis scire cupiat, libellum adeat, Anno
siue Diarium, ea de re diligenter cōscriptū. Die 24. 1597.
Ianuarij anni 1597. particula Solis, cuius dulcissimo aspectu hactenus caruerant, horizontem stringens, ab eis primum est visa: sed 27. demum toto corpore apparuit. Hinc spes aliqua: quam tamen illud multum imminuebat, quòd nauem & glacie ita circumuallatam, vt immobilis planè esset, & ornamentis ita nudatam, vt regi vix posset, viderent. Manere tamen diutius, commeatuum prohibebat inopia. Coniunctis igitur operis, duas adornant scaphas, easque ingressi, mari se committunt, naui ac domo relictis. Post multas tandem miserias & labores incredibiles, postridiè Calendas Octobris, Colam Lappiæ, vt in ijs locis, non ignobile emporium, peruenerunt, ac veluti iam perfuncti omnibus periculis, patriaque vicini, in certissimam spem reditus sunt erecti: cui etiā fortuna ipsa est suffragata. Alter enim naucleroꝛum Ioannes Cornelij, quem socium huius expeditionis fuisse, sed maturè in Hollandiā reuersum, paulò ante diximus, Colæ tum erat, interea dum illi in glacie desident, ex Hollandia iterum, negociandi causa eò profectus. Is cum socijs humaniter exceptis, & refectis, 29. Octobris in Hollandiam appulit. Sed non eadem fortuna fuit Gulielmo Bernardi, cuius morbo confecti cadauer glacialibus illis locis fuit humatum; sed scripta asportata, quæ quidem spem transitus non præcîdunt; qui si fuerit repertus, Septemtrionales regiones maximis innumerisq; cōmodis ditabit. Sunt qui existimēt, si in Colæ fluminis portu (vel si quis alius cōmodus inueniatur ad Pezorā portus, si eto vicinior)

 hiber-

Anno 1597. hibernare cum classe integrum foret: explorato per speculatores opportuno anni tempore, freti aditu transituque, rem facilius posse confici: Ego vt hoc verum esse non nego; ita illud dubitari maximè video, vtrum mare illud, quod post fretũ est, Oceanus sit Tartaricus, an verò sinus tantùm aliquis, longissimè ad Septemtriones exporrecta terra, imperuius. Quidquid huius sit, alijs explorandum relinquimus, aliorum legisse pericula cõtenti. Alteram iam nauigationem, & nouitate admirabilem, & experiundo difficilimam, exponere aggrediemur. Necessarium verò nõ existimamus quidquam de Indiarum situ, incolis, mercibus quæ ad nos adferuntur, præfari; quod hæc peculiaribus descripta libris extent: quæ inde petet qui volet. Illud tamen non omittendum videtur, quò magis reliqua aperta sint legentibus, duplices esse Indias, Orientales & Occidentales: quorum hæc alio nomine ab eò qui primus eam detexit, Americo Vesputio, Americæ nomen accepit: & vastissimas regiones, Peruanam, auro affluentē, Brasiliam, Hispaniam nouam, nouam Franciam, Floridam, Mexicanam, & incognitas alias, quà Septentriones spectat, complectitur. Hanc nostri Cosmographi quartam orbis partem fecerunt. Hanc credo nostri ideò Indiam vocant, quod maiores nostri, quum de longinquis, remotissimis & incognitis locis loqui vellent, Indiarum nomen vsurparent. Illa verò, quæ ab Indo fluuio eam irrigante appellata est, pars est Asiæ continentis, veteribus etiam non incognita: diuiditurque in Indiam extra Gangem, quæ nunc est Indostan, & Indiam intra Gangem, quæ est Chinæ regnum. Circa hanc innumeræ, vt & per totum Oceanum Indicũ spar-

Hollandorum expeditio maritima in Iauam maiorem.

India Occidentalis.

India Orientalis.

sparsæ iacent insulæ: sed in primis nobiles sunt Lusitanorum nauigationibus Moluccæ, Philippinæ, Sumatra, Iaua maior: è quibus quum alia mercimonia preciosissima, tum in primis aromata omnis generis, maximo cum suo lucro in nostras regiones Lusitani transportant. Huius lucri partem vt ad se deriuarent Hollandi, vt est genus hominum quæstuum haud negligens, & maritimis copiis prævalidum; quatuor naues adornant, & non tantùm nautico ac bellico apparatu, verùm etiam omnis generis mercibus, quas ab Indis expeti sciebant, instructissimas emittunt. Earum maxima ducentorum; minima verò, è Liburnicarum genere, vigintiquinque nauticorum, quæ vocant, onerum erat capax. Quarto nonas Aprilis anni 1595 è portu Texeliano soluentes, multis insulis prænauigatis, pridie nonas Iunij sub æquinoctialem peruenerunt; tantùm ibi experti æstum, vt non solùm commeatus corrumperentur, verùm etiam & nautariorum magna pars grauibus morbis corriperentur. Inter hanc lineam & Tropicum Capricorni, vbi viginti & tres dies nauigassent: breuia, quæ Brasiliæ litori prætenduntur, non sine magnis laboribus superarunt. Est hic locus valdè periculosus, nec minus nauigantibus, quàm Scylla aut Charybdis formidabilis. Nam hic, etiam sereno & tranquillo aere, assidua fulmina, & imbres cadunt, continua tonitrua audiuntur; nec facilè naufragium euadunt, qui in loca hæc vadosa deferuntur, nisi inter hæc & maritimam Guineæ orã, medium veluti viam, vel peritia ducti, vel fortuna adiuti, ingrediantur. Principio mensis Augusti Bonæ Spei promontorium conspexêre: à quo non procul se abesse, aliquot diebus ante, præter alia argu-

Anno 1597.

Anno 1597.

argumenta, ex auibus quæ circa ea loca partim nigræ, partim albæ, cygni nonnullæ magnitudine, volitant, conijciebant. Iactis in portu, quem Aguasambres appellant, anchoris; aliquam multi in terram descendunt, cõmeatus, eos maximè, qui morbis affectis vtiles, conquisituri. Habitat hic genus hominũ suprà quã dici potest barbarũ. Breui sunt statura, sed tamen apta membrorum compositione. Sonum potius & inconditũ murmur, ad instar gallinarum glocitãtes, edunt, quàm sermonem articulatum. Nudi magnam partẽ incedũt: nisi quod crudarum pellium segmenta soleis suppingunt, & partes obscenas, vulpium, aut aliarum ferarũ caudis velant. qui ditiores pallijs diuersi coloribus vtuntur. Carnibus crudis vescuntur, omasum & reliqua exta cum fecibus auidè vorant; & ossa veluti canes rodunt. Inde oris ipsis graueolentia: quam etiam eminus persentiscas. domus nullæ. Arma illis, lanceæ lato ferro; vnicus ornatus, armillæ ex ebore, quæ & pro lorica: boues habent, vaccas, oues pingui admodum, nec insipida carne. Ouibus caudæ crassissimæ. Pro boue aut veruece datus est culter, vel tale aliquod ferramentum. Horum aliquot in naues illatis, tertio idus Augusti versus insulam S. Laurentij, quam Madagascar alij vocant, nauigare cœperunt, ad quam tertio nonas septembris appulerunt. Morbidorum aucto numero, rarisque remedijs, quum naues vix regi amplius possent, tantisper ibi commorari statuunt, dum Liburnica exploratum emissa, certum de loco aquationi cõmodo nuncium referret. Hic magnus classiariorũ numerus, vi morbi absumptus, & in proxima quadam Insula deserta sepultus, eidem loco Mortuorum Insulæ nomen dedit. Liburnica Calendis Octobris

Aguajambres portus.

Insula S. Laurentij.

Scaphis reuersa lætum de dulci aqua reperta attulit nuntium, eò cum omnibus nauibus profecti, sexto idus Octobris exscensionem faciunt. Mox certatim adduxêre barbari, merces magna copia apportantes, vendunt, mercantur: pro eximiæ magnitudinis boue, aut tribus ouibus stanneum cochleare poscunt. Genus hoc hominum forma est toruusque corporis proportione non indecenti: pudenda panno gossypino obnubunt, cetera nudi: qui tamen dignitate inter eos præcellunt, pectus etiam eiusdem generis panno tegunt. Bobus ingentia tubera è mera pinguedine in dorso eminent: oues caudas duodecim pondo, cubitali longitudine, trahunt. Ingens hic multitudo psittacorum, turturum cercopithecorum. His commodis allecti Hollandi ægrotos in terram exponunt, vt recenti hausto spiritu commodius reficerentur, nauesque interim a contagione purgarentur. Non placuit ea res incolis: ideoque nullo a statim die, incertum an metu, ne noui hospites coloniam ibi & sedem habitandi figerent, an innata sæuitia, de improuiso in eos irruunt, & obuia quæque è supellectilibus & instrumentis diripiunt, ægris vix validorum præsidio defensis. Communiunt ergò se, contraque vim parant. Nec diu barbari se fefellerunt. Triduo enim post non minus feroces quàm antea conferto agmine irrumpere conabantur; sed facile reiecti, vno interfecto, altero ab Hollandis intercepto, è quibus vnus itidem barbarorum insidijs circumuentus perijt. Huius mortem alius quidam è barbaris captus nô multò post expiauit. Loco ad decimumnonum Calendas Ianuarij commorati, Iauam versus cursum direxerunt; sed morbo ingrauescente, ad insulam S. Mariæ tertio idus Ianu. anni 1596. appellunt. Portũ ingressis, statim

adfuit

Anno 1597.

Insula S. Mariæ.

Anno 1597. adfuit insulanus, oryzam, saccari cannas, mala citria, & gallinas apportans. Quibus rebus quum nõ ad victum tantùm, verùm etiam ægrorum remedia indigerent, aliquot ibi dies extraxerunt, fructibus modò dictis, alijsq; rebus coëmendis. Hic rex ad eos venit, nulla re nisi nigrore cutis præter ceteros, & duobus cornibus, quę in capite vt Satyrus aliquis gestabat, conspicuus; dæmonem potius aliquem quàm hominem repræsentans. erga peregrinos tamen comem se præbuit; ab ijsdem etiam liberaliter fuit donatus. Ad decimum Calendas eiusdem mensis in sinum Antongilensem peruenerunt. Magna hic earum rerum quæ ad victum pertinent abundantia. Ad littus statim adfuerunt, qui comiter in terrâ vt egrederentur inuitabant. Hollandi, barbarorum immanitatem iam antę experti, obsides poscunt: quibus datis, commercia exerceri cępta sunt. Insulæ latitudo ad decem miliaria patet: tergum eius quatuor aliæ minores insulæ claudunt, è quibus minima cultores habet, reliquę desertæ iacent. Ex alto mari in flumen ingressis, ad læuam oppidum occurrit immunitum, ducentarum circiter domuum; ad dextram duo alia occurrunt, sudibus cincta. Casæ, alga marina, vel stramine contectæ, quatuor vel quinque ligneis columnis innituntur, & duos circiter pedes à terra sustolluntur; ad vitandos noxiorum animalium, quę multa ijs in locis, serpentum, lacertorum, chamæleontum, morsus. Incolæ nec simis adeò sunt, vt ceteri æthiopes, naribus, nec tumidis & prominentibus labris, nec crispis crinibus. Potum è melle & oryza confectum auidissimè potant, crapulæ supra modum deditì: Arma gerunt (sed hi rari) lançeam nouem circiter vel decem pedes longam, & clype-

Antongil sinus.

clypeum è ligno. Torques è corallijs & vitreis globulis concinnatos magni faciunt, eoque ornatu valde ſuperbiunt. Rex brachia habet quinis vel ſenis æreis circulis onerata potius, quam ornata. Nudi omnes incedunt, niſi quod pudenda ſubtiliſſimis arborum corticibus velant. Tota inſula pagos habet frequentiſſimos, felix citriorum, oryzæ, gallinarum, hœdorum, mellis, aliarumque rerum prouentu. Tertio nonas Februarij vehemens tempeſtas Hollandorum claſſem ita afflixit, vt ruptis funibus, anchoriſque abreptis, naues fluitarent, atque in altum vndarum vi propellerentur. Ex hoc periculo dum ſe colligunt, & ad priſtinam ſtationem regrediuntur: barbari ſcaphas ad litus relictas contingunt ac comminuunt, clauos, & quidquid vſpiam ferramẽti repertum, auide diripiunt: quod exiſtimarent, vt credibile eſt, omnes mari hauſtos nunquam eò redituros. Vbi redeuntes eos conſpexerunt; magno numero armati in litus confluunt, truces & minabundi. In propius aduectos mox lapides conijciunt, deſcenſum quacunque ratione prohibituri; ſiue quod vltionem metuerent, ſiue quod peregrinorum eos iam tæderet innata barbaris omnibus leuitate; aut inſidias ſibi fieri ſuſpicarentur. Hollandi, etſi omnia hoſtilis animi in inſulanis indicia, vim etiã viderent: humaniter tamen eos appellant, rogant vt negociationem conſueto more continuarent. Sed quũ obſtinatos, & certatim miſſilia iacientes viderent: arma expediunt, & exoneratis tormentis octo vel nouem traijciunt, reliquis fuga per auia & ſyluas diſperſis. Inde egreſſi, caſis vicinis, circiter viginti ignem inijciunt. Quum hic omnis ſpes negociationis præciſa eſſet; alterum latus inſulæ petunt Anno 1597.

Sed &

Anno 1597. Sed & hic insulani tergiuersabantur, difficiliusque se præbebant. Quum precibus nihil efficerent, flammas casis subiecturos se, nisi commeatus pro precio suppeditarentur, minantur Hollandi. Ita impetratos, nauibus important. Pridiè idus Februarij soluunt: & continua nauigatione ad Sumatram, Taprobanam veteribus, pridiè idus Iunij appellunt; loco ab hominibus vacuo. Mox aquationi se accingunt: Liburnicam interea vicina loca explorare, & commeatuum, quod posset comparare iubent. Ad famã aduentus peregrinorũ eius loci regulus statim obuiã Hollãdis est profectus; vir austero vultu, nigris oculis, crepidinibus eorũ valdè latis, rara barba, mystace tamen mediocri. Vestitu vtebatur Turcico, magnaque erga peregrinos reuerentia. Eius ministri donũ Hollandis offerebant, folia quædam quæ calci permista assiduè mandunt. Reliqua turba incolarũ nuces Indicas, melones, cucumeres, allia cepas, piper, aliaq; id genus vænum apportauit. Hîc quũ merces suas Hollandi ostenderent, easque cum pipere alijsq; aromatum speciebus permutare se velle significarẽt: Bantam omnes in sermone ferebant. Eum esse locum, vbi omnia quę optarent, magna copia prostarent. Conducto igitur qui viam commonstraret, eorum locorum artisque nauticæ perito homine, multas insulas exiguas prælegunt, ac decimo calẽdas Iulij ad insulã quandã, tria miliaria a Banta distantẽ, anchoras iaciunt; Interea Lusitani aliquot Banta aduehũtur, in hoc missi, vt quinã essent, qui aduenisse dicerẽtur, quoq; cõsilio venissent, vrbis præfectũ edocerent. Respondent Hollandi, mercatores se esse, cõmercia cũ ipsis exerci turos; simulq; mercimonio u aliquã partẽ ostendunt. Ibi Lusitani, com-

Sumatra siue Taprobana insula

ibi, commodissimè istum in locum appulisse dicūt. Terram enim esse piperis feracissimā; eiusq; Bantam vrbem veluti horreū. Emere volentibus etiam alias aromatum species non defuturas. Ad vrbem ergo, sublatis anchoris, propius accedunt, & stationem sibi eligunt ad insulas quasdam ad Septemtriones vrbe contra sitas, eo ipso die Sabandar, qui dignitate post regē præcipua est, cum eis congreditur, & cognitis aduectus causis, multa beneuolè liberaliterq; promittit. Sequētibus diebus magna quotidie turba omnis generis merces aduehentium ad naues commeabat. Interregnum tum Bantæ erat, rege ad Palimbam, quam oppugnabat, non multo antè interfecto. Reliquerat is moriens tres vxores, quarū natu maxima vix annos quindecim expleuerat; & puerum, ad quem successio pertinebat trimestri ætate, ei tutor datus, qui interea regnum administraret, quē sua lingua Quipate nūcupāt. Is, missis prius qui vt obuiā sibi Hollādi procederēt, moneret, magno cū comitatu hominū, è quibus cō plures Lusitanica lingua peritè vtebātur, naues est ingressus, liberaliterq; acceptus, & regio dono oneratus, vt in vrbē venirēt, humaniter inuitat: nulla in re sibi eis defuturū. Calendis igitur Iulij mittūt aliquos, qui de cōmercio libere cū rege paciscerētur: qui cōtractus literis nō tātū cupidè subscripsit, verū etiā voce liberū se illis cōmeatū præbere, vltrò est testatus. Sic tādē fide data & accepta, ædes sibi cōparāt, in quibus merces suas exponerēt, & negotia exercerent. Diebus aliquot eundo redeundo, emēdo vendendo transactis, prorex Hollandos, vt ab insidijs sibi cauerent, monet. Lusitani enim quamq̃ fauoris & amicitiæ signa præ se ferebant, immani tamen odio inuidiaque in Hollandos flagrabant. Anno 1597.

Aeger-

Anno 1597. Aegerrimè enim ferebant homines auari, de lucro sibi aliquid decedere. Sed illud magis crediderim, sperasse impios homines facile tàm paucos subuerti posse: naues cū tāti pretij mercibus sibi prędæ relictum iri. Eam ad rem commodissima eis visa est opera cuiusdam magna quidem nobilitate (pater enim vniuersæ Iauæ imperium gesserat) sed multis flagitijs infamis viri, qui circumiens suspicionum caussas contra Hollandos ferebat, nobiliumq; animos verbis exasperabat. Interim tamen, dum captat tempus cogitata perficiendi accommodū, egregiè fingit beneuolentiam: adit, compellat amicè, & octauo idus Iulij quotquot classiariorum munere aliquo erant insignes, ad conuiuium blandissimè inuitat. Hollandi de insidijs admoniti, gratijs homini actis, tempus & negotia excusant. Hoc ille successu frustratus, Iacatram, aliam oræ maritimæ vrbem, se recipit: quo consilio, postea dicetur. Sed antequam ea quæ postea acciderunt explicem, visum est pauca de situ Bantæ vrbis, incolarum moribus & institutis, dicere. Vrbs hæc primaria est totius insulæ, sita ea parte quæ Sumatram respicit, à qua viginti circiter quinque miliaria maritimo itinere abest. Vtrumque eius latus amnes interluunt, nō illi quidem nauigiorū patientes, qui tamen incolis Mahumetanæ superstitioni addictis, & lotione multum vtentibus, multas cōmoditates præbent. Muro lateritio cincta est, tenui admodum, nec cōtra vim satis firmo: propugnacula tamen habet non inscienter fabricata; in quibus ænea tormenta passim disposita: quæ tamen perite tractare nesciunt. Aedificia omnia ex arundinibus & stramine sunt exstructa, quatuorque palis ligneis sustinentur: ditiorum

Bantam vrbis descriptio.

tamen

conclauia cortinis fericis vel goſſypinis intergerinis ſeparantur. Pleraſque omnes domus arbores, quæ nuces Indicas ferunt (Cocos vocant) inumbrant. Mercatorum non vrbs tantùm, verùm etiam ſuburbia, quæ circa eam, plena ſunt. Fora ſeptem habet frequentiſſima: primum cibarium; vbi quæ ad victum pertinent, quotidie venalia habentur, gallinæ, milium, oryza, poma, fructuſque nobis incogniti, arana, coci, bananæ, mangæ, dorianæ, quarum deſcriptionem in Ioannis Hugonis Itinerario videre eſt: vuæ, mala citria, aurea, punica, cucumeres, melones, allia, cepæ. Panis loco vtūtur placentis ex oryza confectis. Bubulam carnem in precio habēt. Bos enim octo vel nouem Philippeis æſtimatur. Inde forum eſt piperi vendendo deſtinatum. quod tamen paſſim quoque vendi ſolet: tertium vaſa habet quæ porcellana nobis appellantur, è China aducta: in quo eodem mercatores conuenire & inambulare ſolent: quartum eſt forum piſcarium: quintum boarium vel ſuarium: ſextum cultrarium: ſeptimum denique ſcrutarium: Templum vnum tantum habet ligneum, Mahumetana ſuperſtitione infectū: nobilib⁹ tamē ſua domi priuatim ſunt ſacella, & veluti lares. Omnes vrbis regiones lutoſæ ſunt, plateæ incompoſitæ, pontes nulli. Incolæ partim ciues ſunt αὐτόχθονες, partim inquilini. Bantenſes ſuperbo ſunt & elato animo. ſed minaces magis quàm pugnaces, mendaces, fures, perfidi. Vinum ex Mahumeti legibus nuſquā bibūt in apertò: clam deſtinatamē & nocturna cōuiuia, quæ plerūq; in Chineſiū domicilijs, cupidè ſectantur. Idē omniū eſt veſtitus. Medium enim corpus pāno goſſypino, nō nulli ſerico inuoluūt, brachijs & pedibus nudis exſtantibus. Capite nudo

Anno 1597.

Incolæ vrbis Bantam & eorum mores.

Anno 1597. plerique incedunt: qui Mahumetanæ religioni addictiores sunt, cidari, siue Turcico pileo vtuntur. Colore sunt subfusco & liuenti. Pugiones ferunt flammatos; quorum manubria formam tetram, veluti cacodæmonis alicuius, repræsentant. Hoc armorum genere omnes cuiuscunq; conditionis aut ætatis vtuntur, plurimumq; confidunt: inermem conspici, probrosum habetur. Bella facilè suscipiunt, & crudeliter exercent: in quibus præter Crissas (ita enim pugiones suos nominant) lanceas etiam & clypeos gestant. Vindictæ cupidissimi sunt. Regni enim vicarius Hollandis magnam obtulerat piperis copiã, vt in expeditionẽ contra Palimbanos, à quibus regẽ occisum suprà diximus, secũ proficisci, regisque mortem vlcisci vellent: quod facere illi multis de caũsis abnuebant. Ciuium nobiliores magna ex parte villas habent & prædia rustica, quæ à mancipijs coluntur. Vxore vna non sunt contẽti, præter homines plebeios, quibus res angusta domi; ceteri quot volunt, ducunt. Diuortij caũsas & sollicitè quærunt, & facilè inueniunt. Vxorum custodiæ eunuchi sunt appositi. earum cõclauibus non serui tantùm & cognati, verùm etiã filij prohibentur. Totam noctem in culcitra supposita voluãtur, Betelarũ folia mandentes: astat interim ancilla, quę tergũ & alias corporis partes fricat. Cõcubinæ eã quã vir eximiam habet, quæque matris familias munere fungitur, vt apud nos pedissequæ honestas matronas, comitãtur. eædẽ rarò pariũt. Prægnantibus enim dominæ potionẽ clanculũ miscẽt, quo partus abigatur. Mulieres omnes vendũtur & emũtur. E vestitu locupletes à tenuioribus nõ facilè internoscas. omnes enim pectus sindone, reliquũ corpus alio quodã pãniculo habent obtectũ. Crines in vertice nodo colligunt. In nu-

ptiarũ solennitatibus coronas aureas capiti impo- Anno
nũt;armillis insuper ornatæ. Corpore mũdissimo 1597.
sunt ob frequentẽ lotionẽ. Quotiescunq; enim eo-
rũ aliquod operũ faciunt, quæ natura fert, pudor
vetat dicere: cõtinuò collo tenus aquæ se immer-
gũt. Vnde aqua præterfluens infecta admodũ est:
q̃ pota facilè nõ morbos tãtũ, sed ipsã quoq; mor-
tẽ afferat. Sui generis fidibus vtũtur, ad quarũ pul-
sũ totas noctes saltãt, rarò subsilientes, sed corpus,
humeros, brachia nõ inconcinno motu flectẽtes.
Qua in re vix vlla alteri cõcedit: vt scilicet viri fa-
uorẽ sibi promereantur, qui ceu gallus inter galli-
nas medius interea humi sedet, cum mulieribus se
oblectãs. Negociatores partim Iauani sũt, partim
peregrini. Illi fructus, quos terra illa fert, tractãt; hĩ
verò merces exoticas. Cõfluunt verò ex insulis &
locis vicinis, Malaca, Bengala, Malabare, Gusarate,
Pegu, Moluccis, Bãda, China. Bandanẽses insulani
myristicas apportãt nuces; tãta vilitate, vt bilibra
ematur sesquistufero: stuferos verò 46. habet dale-
rus imperialis. His .n. nominib⁹ vti malo, vt intel-
ligar; q̃ vetera cũ nostratibus, à quibus tamẽ nimiũ
quãtũ differũt, cõfundere, vt scire aliquid videar.
Gariophylla Moluccæ mittunt; quæ à Lusitanis vt
plurimũ coëmũtur. Præcipuã mercaturã Chinẽses *Chinenses quales.*
exercẽt: genus hominũ solers, acutũ, laboriosum.
Quotãnis circiter Ianuariũ eò cõmeãt, secũq; adfe-
rũt vasa porcellana, vestes sericas, damascenas, au-
rũ ductile, ferrũ, & ex eò vasa q̃dã, sed pauca, numos
qb⁹ in cõtractib⁹ vtũtur Iauani. Qua è materia cusi
sint, neminẽ vidi q̃ potuerit dicere: quãq̃ ad plũbũ
q̃ proximè accedit. Rotũdi sũt, in medio foramen
amplũ quadrãgulare. Hos ducenos infilatos circũ-
ferũt, 12000. philippeũ faciũt. Si aliq̃tisp ibi cõmo-

Anno 1597. rari sit animus: non ædes tantùm, verùm etiam feminam conducunt, quam vxoris loco habēt. Eam discedentes suis restituunt; liberos ex ea natos secum abducunt. Religionem nullam colunt: Deum tamen esse fatentur, sed pro eo diabolum adorāt. Deum enim beneficum esse aiunt, nec hominibus metuendum: at apud Diabolum, qui nocere possit & velit, deprecationibus esse opus. Plura non addo, quæ apud alios descripta reperiuntur: sed ad institutam redeo narrationem. Lusitani toto mense Augusto nihil aliud egerūt, quàm vt cursando, prēsando, calumniando, quacumque possent ratione, Hollandos à negociatione excluderent: quūque parum primò efficerent, quod Barbari argentatas facilè audiant querimonias, pecunia tandem cum vicario decîderunt, vt non tantùm commercia cum Hollandis cessare edicto iuberet, verùm etiam nouem ex ijs comprehensos, quarto Calendas Septembris custodię includeret, & quod in vrbe mercimoniorum haberent, quorum precium sex millia àureorum excedebat, ad se transferret. Quod vbi inter nautas percrebuit; continuò itidē interpreti, & alijs insulanis, qui tum casu apud ipsos, manus inijciunt. Hac re oppidani magis exasperati, ni sui quam primùm liberi dimittantur, omnia se pœnarum exempla in captiuos edituros minantur. Sic ergò, maximè captiuorum rogatu, dimissi illi: ac dies aliquot hinc inde mandata & conditiones ferendo tranlacti. Tandē quum Bantenses nihil æqui responderent: vim experiri decreuerunt Hollandi. Nauibus igitur quàm proximè possunt ad vrbem admotis, tormentis vrbem conuerberant, quorum vi non ædificia tantùm lacerata, sed etiam multi incolarum sunt interfecti.

Hollandi mercatura prohibētur:

capiuntur:

Nec

Nec ſegnius Luſitani murales machinas diſplo- Anno
dunt;ſed multò imperitius,ac proinde minori,im- 1597.
mò nullo cum hoſtium damno. Neque enim quiſ-
quam perijt:vna tâtùm malus percuſſa. Vtq; nihil
quo alter alteri nocere poſſet, intermitteretur:tria
Iauana nauigia primùm, nucibus, piſcibus, garyo-
phillis,alijſque fructibus onerata abducunt:quar-
tum ne in hoſtium manus veniret,Luſitani cremâ-
runt. Septimo idus Septembris rurſus ſatis aſperũ
prœlium editum fuit. Nauigium Iauanum (Iun-
cam barbaris) inſequuntur Hollandi. Condit ſe
poſt inſulam non procul inde ſitam. Ibi arenis
adhæret Hollandorum Liburnica. Mox conuolãt
oppidani, celoces ſuas expediunt, remis propel-
lunt,rati nullo negocio, ſolam relictam capi poſ-
ſe, Acie inſtructa,ſeptem à tergo, octodecim à frõ- *inuaduntur*
te immittunt. Interea ex arenis eluctati Hollandi,
diligenter ad vim excipiendã ſeſe parant: in pro-
pinquos iam, & confertim irruentes tormenta e-
xonerant. Depreſſa vna celoce: reliquæ in fugam
vertuntur;Hollandi ad ſuos redeunt, haud paruo
periculo defuncti. Dum aſſiduè in vrbem iaculan-
tur:captiui ſuos de periculo,in quo verſentur,cer-
tiores faciunt: rogantq; vt à vi abſtinere velint. E-
odẽ modò vicari⁹ ſcribit:ſi quieſcãt,captiuos lytro
perſoluto,dimiſſurũ:ſin pergãt, breui ſe adfore,in
ſolentiã eorum repreſſurũ. Reſpondent Hollandi,
ſatis diu iam ſibi verba data eſſe: porrò id fieri nõ
paſſuros,dimitteret captiuos,tumultum omnẽ ſta-
tim ceſſaturum. Si armis experiri velit, enimverò
id licere:nec ſe in mora futuros. Fruſtra inde per
dies aliquot exſpectato reſponſo, tanta aquæ dul-
cis penuria extitit, vt ſtationem ad Bantam deſere-
re coacti ſint. Aquatũ igitur profecti, ab idibus Se-

Anno ptembris ad Calendas vſq; Octobris vicina litto-
1596. ra peruagantur, poſtque multa tandem pericula pridiè nonas Octobris, demum ad Bantam reuertuntur. Iauani, abitũ eum vel fugam potius interpretati, captiuos à ſuis iam, vt exiſtimabant, deſertos, ad Mahumetanam impietatem pellicere, vi denique pertrahere conabantur, & Luſitani eos ſibi in nexum addici, ac mancipari, acerrimè inſtabant: ſed ſociorum reditus iam penè deſperãtibus

[illegible]: ſalutem reddidit. Nam quinto idus Octobris in has conditiones eſt conuentum, vt captiui redderentur; Hollandi bis mille Philippeos proregi ſyri nomine numerarent, liberiſq; commercijs poſtea fruerentur: quæ tamen pax non fuit diuturna. Paucis enim diebus pòſt vicarius, Luſitanis ſuggerentibus, alios mille & quadringentos portorij nomine exigit Philippeos. Pacta conuenta prætẽdentibus, linguã ſibi ſuã nihil præiudicare, aut tcõmodũ interuertere debere, reſpõdet. Sic rurſus interpellata negociatio, tandẽ octauo Calendas Nouembris planè fuit ſublata: quo die à Malacenſi præfecto miſſus legatús decem aureorum millia

Bantam expelluntur. Bantamenſi proregi dediſſe ferebatur, vt exploratores (tales enim videri volebat) non commercijs tantùm, verùm etiam regni ſui finibus prohiberet. Naues igitur quas poſſunt diripiunt, & Iacatram aliud Iauanorũ emporium, ex aduerſo Sondæ Calapę ſitũ, contendunt. Ibi vltrò citroq; datis obſidibus, de rebus neceſſarijs ſibi proſpiciunt. Quartò Nonas Decembris ad Tubã & Sidaiam anchoras iaciunt. Adſunt ſtatim incolæ, merces ſuas offerũt, nuces myriſticas, poma omnis generis, garyophilla. Inter alia dona auis erat, Emim incolis; prunas aliaq; ignita deglutiẽs: quæ viua Amſterdamũ, atq;

Emim, auis [illegible].

inde

Hagam Comitis perlata, rei incredibilis, planè certè admirabilis fidem omnibus fecit. Eius loci rex pridiè Nonas Decembris Hollandis nunciari iubet, se postero die naues inuisere velle; quas ad dictum diem ornant Hollandi, omniaq; ad regē magnificè excipiendum parant. Circa meridiem nouem nauigia mediocria, vectorum plena, conspiciunt. Ex ijs aliquot ad onerariam, cui Amstelredamum insigne & nomen, remis, velisq; contendūt: reliqua lyburnicam petunt. Officiarij, qui in naui Amstelredamo erant, regem adesse existimātes, in foris aduenientes exspectant. Qui nauim iam ad ducentos erant ingressi; ferrum mox stringunt, & duodecim vno penè momento conficiunt, inq; ijs præcipuæ auctoritatis viros. Duo, licet saucij, acriter se defendunt, intereà dum qui in interiori nauis parte erant, tumultu exciti, barbaros hastis, contis, gladijs per tabulata fodiunt, ac proturbant. Instructis deinde tormentis, atq; igne subiecto, in fugam barbari præcipites cōpelluntur, in qua multi perierūt. Qui lyburnicę insidiabantur, animaduerso sociorum successu, magna cum trepidatione sese recipiunt, nihil ausi: quam valdè auxerat Hollandorum è nauibus in cymbas sese eijcientium, & vndiq; ad auxilium socijs ferendum conuolantiū mira alacritas. Gentem hanc insigni quadam feritate esse, ex eo intelligi potest, quod in mortuos etiam sæuirent. Hîc quum diutius cōmorari operæ precium non videretur: nauibus inde solutis, octauo idus Maduram insulam amplissimam tenuerunt Eodem statim vespere insulanorum quidam, lembis aduecti, peregrinos humaniter, vt videbatur, excipiunt, sui principis nomine multā salutem nunciāt; quem intra paucos dies

Anno 1597.

Cladem accipiūt à barbaris cū cāenis.

Madura insula.

Anno 1597. adfuturum dicunt. Piper interea si emere velint, licere. Biduo post, sexto scilicet idus Decẽbris primùm magnum, inde tria minora nauigia ad Hollandorum naues contendunt, principem adesse renunciant. Mox coniuncta ad Amstelredamum nauem, quam superius magnam cladem accepisse, & classiarijs non paucis nudatam diximus, iter affectant. Monent Hollandi, cursum ad aliam nauẽ, cui Mauritius nomen, diuertant. Quod quum facere detrectarent, nihilque de cursu instituto intermitterent; deprehensis insidijs, in propinquos tormenta tam maiora quàm minora exonerant, ac magnam stragem edunt. Hoc modo excepti barbari, fuga salutem quærunt: multi nauigiorum suorũ, Hollandis prementibus, velocitati diffisi, in mare se eiecerunt, & ad littus enatârunt. Duodecim capti sunt, qui insidiarum ordinem consiliaque insulanorum aperuerunt: è quibus itidem Mahumetanos eos esse intellectum est. His dimissis, quum Moluccas petere tam tenui rerum omnium apparatu, maximè verò tanta classiariorum paucitate, nimis arduum videretur: de communi sententia in patriam redire statuunt. Diebus igitur aliquot in reparandis nauibus & commissuris ferruminandis consumptis: quum pauciores se iam animaduerterent, quàm vt regere omnes quas adduxerant naues possent: vnam earum Amstelredamum, exportatis commeatibus & armamentis, comburunt. Cum tribus reliquis Iauæ litus legentes, in insulã Bally appellunt. Ibi comiter & cum fide tractati, amanterque dimissi, quinto Nonas Martij, anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, vela in altum dederunt, commeatibus non ita multis instructi: à quo die vsq; ad octauum calẽdas Iunias

Mahumetanorum perfidia.

Bally insula

nias non sine maximis periculis & difficultatibus continenter nauigârunt; quarum tamen leuamentum in S. Helenæ insula in quam exscendere, quæque necessaria, comparare sibi statuerāt, nacturos se sperabāt. Est enim insula hæc vastissimo illi mari, veluti diuino consilio ad nauigantium vsum iniecta, fontibus, capris, alijsque animantium generibus, ac terræ fructibus abundans. Incolas nullos habet quod regis Hispaniarum edicto prohibitum sit, ne quis in ea stabilem sedem sibi figat. Solent tamen Hispani ad Indias commeantes, ægrotos hic exponere: quos postea redeuntes pristinæ sanitati restitutos inueniunt, secumque auehunt. Portum habet commodissimum: à quo non procul sacellum, & pergulæ quædam in vsum ægrorū. Tota referta est altissimis montibus, in quibus innumeri caprarum syluestrium greges errant. Valles riuis & fontibus amœnissimis scatent, omnis generis arboribus, quum natiuis, tum aliundè inportatis cōsitæ. Aër saluberrimus est: piscatio adeò copiosa, vt vel sola maximam hominum multitudinem alere possit. Tum, quod caput est, aquatio ita commoda, vt commodior optari vix queat. Huc igitur cursum dirigunt Hollandi, difficultatibus quibus premebantur, remedia quærentes. Verùm ecce dum propius ad portum accedunt: corbitas tres Portugallenses conspiciunt: quarum metu altum repetunt, ac continuo cursu omnia illa maria emensi, idibus Augusti in Hollandiam appellunt: toto itinere vndetriginta mensibus confecto. Etsi verò mercatoribus non admodum quæstuosa fuerit hæc expeditio, quū ob diuturnos & multiplices sumptus, tum detrimenta, præsertim vna nauiū exusta, complura accepta: multis tamen animum

Anno 1597.

S. Helena insula.

Hollandi domum reuertuntur.

Anno 1597. addidit, vt non tantùm in Iauam maiorem, verùm etiam alias nobis incognitas oras diuersas classes emiserint: ita vt sequenti anno supra octoginta naues, omnibus rebus instructissimæ, ex Hollandiæ & Selandiæ portubus in Indias tam Orientales quàm Occidentales, aliasque insulas profectę dicantur.

Expeditio Cumbriæ Comitis. Cumbriæ Comes hac æstate itidem maritimam expeditionem Vlyssiponam versus suscepit, suique metu classem Indicam, in procinctu iam stantem, intra portum continuit. Inde digressus, insulasque Canarias prætervectus, portum Riceum cũ Castello expugnat: sed suorum paucitati diffisus, cum præda ingenti domum redit mense Octobri. Ita non in Europa tantùm, verùm etiam extremis terræ finibus, belli funestissimi incendium longè lateque fuit sparsum.

Temesvaria à Transyluano obsessa. In Transyluanum, quem bonam operam Christianæ Reipublicæ sæpe nauásse, superiores narrationes ostendunt, multorum hoc tempore inclinabat suspicio, quasi cum Turcis pacem meditaretur. Nam & continuis à Turcarum Imperatore legationibus sollicitabatur, quem ferunt scribendarum conditionum vltrò ei potestatem fecisse, easque ratas se habiturum promisisse: & consilia sua ita de industria celabat, vt omnium animos teneret suspensos. Sed rei benè gerendæ tempus idoneum captasse, euentus declarauit. Nã educto pridie Idus Septembris exercitu, & in Turcarum fines immisso milite, qui ferro flammaque omnia vastarent, pontemque Sauo ad Albam Græcam impositum deijcerent, Lippam est profectus: inde celeriter motis castris, Temesuariam oppugnare est aggressus: quam tamen obsidionem,

paul-

paullò post hyemis asperitas soluit. Villecta tamen à Turcicis præsidiarijs deserta, & Gionatū à nostris receptum est. Interea ad VVorzam collatis castris, de inducijs inter Turcas & CHRISTIANOS agi cœptum est: quo tamen euentu, posteà dicetur. Anno 1597.

Bergopsomum Hispani 12. Nouembris de noctu per insidias tentârunt: sed frustrà. Vbi enim præfectus de insidijs certior factus, extra muros ad quadraginta milites excubare iussit. In eos quum Hispani incidissent, tesseram, vt moris est, rogati, Burlotium respondent, rati è suis esse. Mox igitur ab ijs qui foris erant signo dato, in oppido Ad arma clamatur, omniaque ad defensionem expediuntur. Hispani conatu frustrati, sequenti luce in acie sub oppido sese ostentant: atque ex aduersa parte nemine progrediente, receptui canunt. Simili arte mons S. Gertrudis fuit petitus, eodemque euentu. Insidiarum enim indicium à rustico quodam, qui currum scalis oneratum non procul inde deprehenderat, ad oppidanos fuit delatum. *Bergopsomum & mons S. Gertrudis tentantur.*

Galliarum rex, qui non cum Hispanis tantùm verùm etiam Sabaudiæ Duce bellum gerebat: contra hunc Ladigerij cuiusdam, viri consilio ac manu prompti, forti ac fideli opera, ac multoties non infeliciter est vsus. Sabaudus ad reprimendos hostis conatus, & prohibendas incursiones, atque suorum excursiones in GALLIAE fines promouendas, castellum, septem propugnaculis munitissimum non procul à Gratianopoli excitari curauit. GRATIANOPOLITANI has veluti compedes sibi injici ægerrimè ferentes, primùm Sabaudo spem faciunt, si ab ædifi- *Bellum Sabaudicum.*

Anno 1597. ædificatione desistat, à Ladigerio discessuros, nec vlla in re eum adiuturos. Ea de re cerior factus Ladigerius, primùm cum mille equitibus vrbem ingreditur: deinde confirmatis ciuium animis, quantum potest, exercitum cogit, cumque eo ad Sabaudi castra contendit. Prœlijs aliquot consertis, ac multis ex vtraque parte cottidiè cadentibus, Sabaudus nulla potuit adduci ratione, vt cœptum intermitteret opus: quod vbi absolutum fuit, mille virorum præsidio firmauit. Vno & altero conflictu, qui ibi commissi fuerunt, ad quatuor millia virorum Sabaudo absumpta dicuntur: semel etiam Dux ipse, dum inter primos fortissimè dimicat, nō parum est periclitatus, amisso prætoriæ cohortis legato, multisque alijs nobilibus viris desideratis. Interea dum Sabaudiam infestat Ladigerius: Gusius Salussias inuadit; occupatisque locis aliquot munitis, ad omnes occasiones intentus, hosti nocere studet. Dum ita foris ab hoste circumsidetur Sabaudus, grauissimo quoque domi opprimitur luctu. Coniunx enim eius, Hispaniarum Regis filia, puellam enixa, paulò post moritur, morbo simul & mœrore confecta. Vsque adeò nihil est ex omni parte beatum; nec in plebeia tantū, sed etiā illustrissima quaque fortuna illud verum est: Nulla calamitas sola. Mirum est quam vniuersa Gallia bellicis tumultibus hoc tempore perstrepuerit. Ad Picardiæ fines Ambianum obsidebatur: Britannia Hispanorum plena vicinis locis minabatur. Ad Austrum Ladigerius Sabaudiam debellabat, vt modò diximus: ad occidentem Gusius Nicensem districtum peruadebat: ad orientem Bullionius Luxemburgensem agrum infestabat. ea verò in parte quæ Septentriones spectat, ad Artesiæ fines,

Sabaudi cōiunx viuis exempta.

non

non semel dimicatum fuit: præcipuè verò Hispani, qui in Dorlantium, castellis vndiquaque circũseptum, commeatus importare conabantur, à Gallis profligati sunt, omniq́ue quem vehebant apparatu exuti. Sed omnes hæ tempestates non ita multò post optatissima pace sedatæ conquieuerunt. **Anno 1597.**

In Italia verò nouis motibus initium dedit mors Alphonsi Ferrariæ Ducis, vltimi ex nobilissima familia Atestinorum. Est enim Ferrariæ Ducatus ex earum possessionum genere, quas feuda masculina Iurisconsulti nostri vocant: Atestinæ familiæ, quamdiu ex ea mares superstites essent, à Romana sede concessus. Egerat quidem cum superioribus Pontificibus aliquot & Cardinalium collegio Alphonsus, magna auri vi repræsentata, vt Cæsari Estensi, fratris sui filio notho, successio dignitatis confirmaretur; atq; ad eam rem multis ac magnis intercessoribus fuerat vsus: sed cũ nihil impetraret, nepoti auctor fuisse dicitur, vt prius omnia tẽtaret, quã tàm opulentis regionibus priuari se, atque è tanta dignitate deijci pateretur, neque ad eam rem vicinorum principum auxilia, quos hanc etiam ob causam multis sibi beneficijs deuincire studuisset, auxilia defutura. Mortuo igitur Alphonso; Cæsar statim pro Duce se gerit, & populum in sua verba adigit: & quod facilè intelligeret à Pontifice se interpellatum iri, magnam vim annonæ Ferrariam importat, præsidia disponit, & vndique auxilia conquirit, ea spe, Pontificem, expensis aduersæ partis viribus, in iure & titulo Principatus tribuendo, eò fore faciliorem. His rebus Romæ diuulgatis: Pontifex, conuocato purpuratorum patrum collegio, rem exponit, quamq́ue ea, quæ à Cæsare Atestino facta dicerentur, magno-

Motus Ferrariensis, et eius origo.

Cæsar Estensis pro Duce se gerit.

Anno 1597.

magnoperè ad iniuriam sedis Romanæ Apostolicæ pertinerent, monet. Primum igitur edicto Cæsarem venire Romam iubent, intereà verò quiescere, nec noui quidquam attentare.

Diris à pontifice max. petitur.

Armis oppugnatur.

Cæsar quum edicto non parêret, sed ad vim se cōpararet, opulentissima hæreditate hominis per se generosi spiritus augente: Pontifex annua primùm spiritualia expedit, eumque excommunicationis fulmine, vt diximus, percutit: inde exercitum quàm celerrimè conscribi mandat. In vicinis Italiæ Principibus varij animorum motus extitère, quibusdam huic, alijs alteri parti, modò apertè, modò occultè fauentibus: sed plerorumque omnium studia ad Pontificem adiuuandum inclinârunt. Interea Cæsar pecuniâ cum Pontifice decidere tentat; missis Romam qui cum eo transigerent legatis. Verùm quum nihil proficeret, vtrimque ad arma ventum est; sed vnus tantum conflictus, ad Bononiam editus, in quo ex vtraque parte nonnulli, sed è Pontificijs aliquantò plures ceciderunt. Cæsar tandem cogitans secum, in quam ancipitem Martis aleam se demissurus esset, cui non cum Pontifice tantùm, verùm etiam multis alijs potentissimis principibus bellum esset gerendum: de pace seriò cogitare cœpit; Pontifice nō inuito, qui incendium hoc in media Italia excitatum, ne latius serperet, præsertim ijs, qui Romanæ sedi minus æqui sunt, omnia rerum gerendarum momenta captantibus, quovis modo, quàm Christianorum sanguine restingui malebat; ita tamen vt ne quid de iure & dignitate Ecclesiæ detraheretur, cui deesse nec poterat, nec volebat. Missis ergò vltrò citroque legatis, reque multùm disceptata: in

Pâciscitur cum sede Apostolica

has

has tandem conditiones Fauentiæ est conuentum. Anno 1597.

Primùm Cæsar cum suis adhærentibus, quique pro eo arma tulerunt, à diris ecclesiasticis absoluti pronunciantur. Cardinalis Aldobrandinus ante 30. diem Ianuarij Ferraram vrbem cum vel sine armis non ingreditor: ciues nullo damno afficito, nec ab alijs affici patitor. Omnia feuda quæ à Ducatu Ferrariensi non dependent, Cæsari integra manento. Palatia, viuaria, horti, tàm vrbani quàm suburbani, quos Alphonsus & prædecessores tenuerunt, Cæsaris sunto. Eidem semissis omnium tormentorum siue bellicarum machinarum cedat. Reditus omnes ad vltimum vsque Ianuarij in Cæsaris ærarium inferuntor; ijdem postea ad Pontificem redeunto. Aurum & argentum siue factum siue infectum, gemmas, & alia eiusmodi, tam Cæsari, quàm comitibus exportare fas esto, vt & scripta omnia, chartas, & rationes. Idem pro arbitrio iudicem sibi eligito, cuius opera apud Cameram Apostolicam in tuendis, quas Ferrariæ habet, facultatibus vtatur. Ad eundē quindena millia salis modiorum, Mutinæ & Regio lepidi conseruandis, immunia à vectigali transportari quotamuis concessum esto. Mutinæ à præsulatu Nonantalæ, cui ex omnibus rebus quin cunces vsuræ, vectigalis nomine debentur, diuortij faciundi ius esto. Carporum vicus communiter atque in oppidum commutator. Titulum ac dignitatem ducatus Ferrariensis Cæsar vsurpato. Idem in protectionem sedis APOSTOLICAE recipitor, & feuda Imperialia non retineto tantùm; verùm etiam ad ea conseruanda eidem auxilia à prædicta sede Aposto-

Pacta conuenta inter Cæsarem Estensem, & sedem Romanam.

Anno 1597. Apostolica præstantor. Possessiones omnes, quas Ferrariæ habet Cæsar, feudorum nomine censeantur. Omnibus bonis allodialibus, quæ Camera Apostolica coëmere volet; precium ad eam rem de vtriusque partis consensu deputati, dicunto; quo numerato, Cæsaris permissu, eadem ad prædictam Cameram redeunto. Omnibus priuilegijs, quibus Atestina familia superioribus temporibus est gauisa, idem Cæsar tàm in ipsa vrbe, quàm vniuersa ditione, vtitor fruitor. His legibus bellum Ferrariense, quod qui Italiæ tranquillitati inuident augescere vnicè optabant, in ipso pœnè sui ortu fuit consopitum.

Matrimonium inter Albertum Austriacũ & Infantẽ Hispaniarum tractatur.

Hispaniarum rex, valetudine indies cum ætate ingrauescente, quum pacandi Belgij vix vlla alia spes esset; consilium quod de Belgicis rebus ceperat; literis suis Brabantiæ primũ, inde aliarum ditionum Ordinibus aperiendum esse censuit: quæ à serenissimo Archiduce & Cardinali Alberto Austriaco perlatæ, & 5. Nonas Decemb. in frequenti Brabantiæ Ordinum consessu lectæ fuerunt. Erant autem in hanc planè scriptæ sententiam:

Reuerendi in Christo patres, venerabiles, clarißimi, fideles & dilecti. Quo animo & propensa in patrimoniales Germaniæ inferioris prouincias nostras, vniuersas & singulas, voluntate affecti fuerimus: ex sollicitudine quam de illarum commodis & quiete habuimus, ex laboribus quos suscepimus, & ex sumptibus immensis, quos pro earum contra hostes defensione impendimus, nulliq; rei pepercimus ad eos reducendos ad obsequium nostrum, qui & ab obedientia & à recto deerrârunt, rebellantes contra eum quem Deus & natura principem ipsis dedit animaduertere potuistis.

Id

Id multò manifestius modò cognoscetis, ex benigno cō- Anno
silio quod in rem vestram cepimus: cuius frater noster, 1597.
nepos, & cognatus Archidux Albertus vos faciet certiores: cui vt plenam fidem, non secus ac nobis, adhibeatis, cupimus ac seriò mandamus: quandoquidem permagni vestra interest, & communis reipublicæ. Quod facturos vos confidimus, gratumq; vobis fore quod vobis ille proponet. &c.

Archidux regis mandata Belgis exponit.

Regia porrò mandata per prędictas litteras fidei suæ commissa Archidux Albertus Ordinibus exposuit, & huiusmodi esse palàm declarauit: Christianæ reipublicæ vniuersæ gratia, & Belgicarum prouinciarum, regiæ Maiestati expedire visum esse, serenissimæ Infantis, filiæ suæ, nuptias diutius differri nequaquam oportere. Regem verò ad familiam Austriacam conseruandam & amplificandam, alijsque de caussis, eius rei nomine in se (Albertum) oculos coniecisse, beatissimo Patre Pontifice auctore, regia item sorore Augusta, & Cæsare consentientibus. Atque vt maiore filiam suam & maritum beneficio afficiat, propensumque in has prouincias animum suum demonstret, eas ipsi in dotem cum Burgundiæ Comitatu, & subsidium matrimonij, sine vlla exceptione conferre voluisse. Benignum hoc consilium Ordinibus gratū fore, regi dubium non esse, vtpote quod ad eorum omnium salutem & vtilitatem pertineat, rectamque hanc viam esse, qua ad pacem perueniri, belloque funestissimo imponi finis queat, quod Maiestas eius regia tantoperè exoptârit. Quod ad se quidem attineat, qui regis beneficium in se præ cæteris Principibus eligendo reuera magni faciat, atque eo nomine incredibili gaudio affici debeat; eò ta-

Anno 1597. men maiorem hinc lætitiam se capere, quod futurum sit, vt hac occasione optimæ suæ voluntatis testimonium dare pössit, & Burgundicorum ac Austriacorum, maiorum suorum, vestigijs insistendo, ad salutem Belgij omnem operam conferre. Se enim has prouincias singulari iam pridem amore complecti, eiusque à primo in eam ingressu specimen aliquod dedisse: tametsi ea in re votis suis satisfacere tempora difficilia haud permiserint. Adhæc exploratum compertumque sibi esse, quam insuetum onus humeris subiturus sit: verùm Ordinum consilio & subsidio confisum, lætissimi, propitio Dei numine, successus spem quasi certam animo concepisse. Has denique prouincias pristinæ amplitudini, prosperitati & splendori, quo olim maiorum æuo floruerunt, restitutas se visurum, & ciues perspecto Infantis serenissimæ suoque in eas animo, parem beneuolentiam ipsis præstituros qua inclytos suarum Celsitudinum maiores, auos proauosque ipsarum sint complexi. His intellectis petunt diem ampliari Ordines, quo seorsim deliberent: in præsens verò respondent, se incredibilem lætitiam percepisse ex benigno regię Maiestatis consilio, quod vt ad Dei gloriam, in rem Archiducum, ad quietem cedat & salutem Belgij, votis conceptis precari. Inde regijs litteris in hanc sententiam respondent:

Litteræ Belgij procerum ad regem suum. *Potentissime rex, Princeps noster clementissime: Maiestatis tuæ litteras 4. Idus Septembris ad nos scriptas, accepimus 5. Nonas Decembris, earumque rerum, quas in mandatis habuit Archidux Albertus, & consilij tui regij, cum Principis serenissimi filij tui interuentu, de his inferioris Germaniæ prouincijs, serenissima*

nissima Infanti in dotem conferendu, & de eius cum ipso Archiduce nuptijs certiores facti sumus. Ingenti profectò mœrore affi ceremur, obsequij & amoris quo Deus & natura nos tuæ Maiestati obstrinxit, ratione & beneuolētiæ caussa, qua nos illa, à prima in his prouincijs suis patrimonialibus inauguratione, prosecuta semper fuit: nisi ista cessio in eam Principem fieret, quæ præter quàm plurimas perfectasq; virtutes, eundē affectum & benignitatē erga subditos suos procul-dubio secum feret, maximè cùm Alberto ijsdem prædito virtutibus, quarum specimen nobis dedit, matrimonio iuncta erit. Quamobrem speramus, quādoquidem eo casu continuatio potius eiusdem Principatus, quàm mutatio fiet, Maiestatem tuam de sua pietate & paterno in nos affectu nihil remissuram, sed hasce prouincias benignè commendatas semper habituram, solitoq; auxilio, difficillimis tēporibus, ijsdem subuēturam, vt post tam diuturnum luctuosumq; bellum & ciuilem motum, reiq; publicæ euersionem pacari tandem & tranquillari queant. Quod vt procuretur Maiest. tuam obnixè rogamus, effectu maturè consilium eius sequēte, ne longa nimis morà vel dilatione remedij quod adferre malis nostris meditaris, fructus amittatur, non minus exoptatus, quàm ad conseruationem Belgij necessarius. Non enim ab hostibus modò belli diuturnitate hæ prouinciæ sunt exhaustæ, sed à domestico etiā milite, qui stipēdijs nō solutis, corruptaq; disciplinâ, ad eas diuexādas & diripiēdas flagitiosè est prolapsus. Cui q̄dē malo cū hinc peti remediū nullo modo poßit, vt per tuam Maiest. ærario militari Anno 1597.

Anno 1597.

largiter prospiciatur similiter supplicamus. Quoniam autem quantum ad nos attinet, quemadmodum nihil prius aut antiquius nobis fuit, quàm pari fide & obseruantiâ, quâ maiores tuos legitimos Principes nostros coluimus, mandatis tuis obsequi, & ex iurisiurandi, quo tibi obstricti sumus formula satisfacere, exploratum compertumq́; Maiest. tua habet, nos huic quoque officio nequaquā defuturos, vt eā desiderij nostri ad voluntatem suam comparandi, certiorem faciamus. Reliquum est, Deum votis obtestari, vt sanctum istud consilium, eiusq́; progressum, ad gloriam sui nominis, Religionis Catholicæ propagationem, in rem tuæ Maiest. eiusq́; posterorum, ad solamen deniq́; & salutem populi, prouinciarum ac Brabantiæ, benè vertat, ac Maiest. tuam compotem votorum regiorum faciat.

Belgij proceres Archiduci quædam ad consultandum proponunt.


Paucis post diebus 3. Idus Decemb. ijdem Ordines Brabantiæ rationes quasdam, certum modum alleuandæ calamitatis continentes, Archiduci exhibuerunt. Cum ingenti enim gaudio sese intellexisse, quæ Regiæ Maiest. nomine proposuerat, ceu aptissima malorum quibus diuexamur remedia, dicebant. Augeri indies pericula, cum ingenti detrimento, & panolethriæ metu, nisi & maturè, & prudenter caueatur. Se propterea, ne officio suo defuisse præsertim ab ipso admoniti videantur, prætermittere nequiuisse, quin consilia ad præsentem rerum statum idonea, bona eius gratia proponant: Primùm hæ prouinciæ, non cum illis solùm, qui Regiæ Maiest. obsequium eiurârunt, sed cum Regibus etiam Galliæ & Britanniæ potentissimis, exitiosa bella gerunt. Quæ eas vsq; adeò, imò funditus

ditus exhauſerunt,& fortunis euerterunt,vt in cō- Anno
tinuādis ad domeſtica bella & externa ſumptibus, 1597.
pares eſſe nequeant, præſertim cùm ſubſidia quæ ſuppeditat Hiſpania ob locorum longinquitaté, aliaſque difficultates,tardius ad nos veniant.Quibus benè perpenſis, & tot hoſtium regiæ magnitudinis æmulorum,externumque dominatum ſuſpectum habentium,conuerſatione,inſignis in aliquā Belgij partem inuaſio eſt pertimeſcenda,hoſte opportunitatem ex ſtatu perturbato diligenter obſeruante,ſicubi fortè populus tot mala, tot clades & damna perpeſſus, & ad extremam inopiam redactus, inſolentiæ militaris aliquando pertæſus, quæ ex diſſoluta ſtipendijs non ſolutis diſciplina naſcitur,cùm nec adhibendi remedij tempus eſſet, ſed ſeditio militaris magis etiam magiſque paſſim inflammaretur, captandæ occaſionis fomitem illi daret. Quoniam autem Belgicarum regionum felicitas à tua pendet Celſitudine, quæ fidelis illarū operæ & obſequij percipere fructus debet, Ordines Brabantiæ primam inter ſeptemdecim prouinciam referentes, qui conceptam de rep. reſtituenda fiduciam, viua eius voce intellexerint, orant, obſecrantque, vt ipſis ſibique Celſitudo tua conſulat,prouincias in ſtatu ſuo conſeruet,& det operam, ne quid illæ detrimenti capiant: ſed vt iuſta per correctam militum diſciplinam earum defenſione optimæ huius ſpei effectum fructumque expectare queant.Quod vt ſine paratis pecuniæ ſubſidijs perdifficile eſſe ſcimus, ac metuendum eſſe ne defenſione huiuſmodi dilata, aliquæ ciuitates vel loca munitiſſima ab hoſte inuadantur: quemadmodum cum magna animi ægritudine non ita pridem vidimus, vnde ingens perturbatio, aut pro-

Anno 1597. uinciarum secessio oriri posset; consultum videtur imò necessarium (saluâ reuerentiâ) vt aliquam rationem tua Celsitudo pacis cum Gallia & Britannia ineundæ quàm primùm inueniat; vt cum illa regna Batauorum partes deserant, illi etiam ad pacem propensiores fiant. Præterea cùm & salus & incommoda prouinciarum ad eas omnes spectant, Celsitudo tua secum potest expendere, an Ordines generales obsequio Regis addictos conuocare non expediat, qui sub tua auctoritate de remedijs huic malo, quod præsentem reip. interitum minatur, commodè inueniendis deliberare possint: vt vel congressus veniâ cum Batauis nobis datâ, & consilio Regio ipsis communicato, vel ad proponendas pacis conditiones vel ad inducias sternatur primùm via, aut aliquo saltem pacto arma suspendantur. Qui reuera modus est Catholicæ Religionis & Belgij conseruandi: Deinde præter fructum quem ex Ordinum comitijs proculdubio exspectamus, tua Celsitudo quo loco apud illam ipsorum fides sit, his auspicijs declarabit, quod etiam apud hostes haud exigui est momenti. Adhæc si vel illi, quod Deus auertat, rationibus non flectentur, aut fortunâ sua ebrij, quam blandiri sibi putant, res iniquas postulabunt, aut in detrimentũ Catholicæ religionis in tractando prolabentur, ad maiorem reip. securitatem præstat, vt à tua Celsitudine prouinciarum nomine cum vicinis regionibus, populis, & principibus eandem religionem & cultum amplectentibus, societas ineatur & fœdera sanciantur: vtpote cum 7. viris S. R. Imperij Electoribus, Moguntiano, Coloniensi. & Treuirẽsi, cum Principe, Episcopo, & ditione Leodiensi, cum Ducibus Lotharingiæ, Iuliacensi, & alijs: vt eorum auxilio

auxilio ad æquas conditiones inflecti tandem queant. Quod prędictos principes vicinasque prouincias non putamus reiecturas, Regiæ magnitudinis suspicione hîc cessante & periculo communis religionis admonente. Tuam denique Celsitudinem obnixè orant & obsecrant, vt quæ hîc tuo iussui obtemperantes exposuerunt, in bonam partem accipiat, quippe ab ingenuis horum animis profecta obsequio tuo deuotissimorum & paratissimorum, ad vitam & fortunas vbertim profundendas, vt prouinciæ legitimis Principibus & splendori pristino restituantur. Anno 1597.

Anno 1598.




MERCVRII GAL-LOBELGICI SVCCEN-TVRIATI

LIBER III.

IN QVO RES GESTAE AB ANNO M.D.XCVIII. *vsque ad annum* M.D.XCIX. *exponuntur.*

Pontifex pacem inter Gallos & Hispanos tractat.



VM hæ Belgij pacandi rationes ineuntur, matrimonijque inter Archiducem, qui Cardinalis habitu deposito, ad secularem paulò post redierat, & Isabellam Hispaniarum Infantem, leges scribuntur: Clemens octauus Pontifex maximus in pacem Gallicam faciendam magno studio incumbit. Non enim mutuis tantùm inter se cladibus florentissimæ regiones atterebantur: sed vniuersæ Christianæ Reipublicæ, ciuilibus discordijs conuulsæ, ruinam & interitum moliebatur immanis ille Asiæ tyrannus. Ita pontifice sequestro, internuncio Bonauentura Calatagirone, ordinis Franciscani ministro generali, de vtriusque regis consensu dies dictus est Veruini in Veromanduis, quo de pace tractaretur. Ab Hispaniarum rege Catholico delegati sunt, Ioannes Richardottus, eques, sanctioris consilij regij præses, & à consilijs status; Ioannes Baptista de Tassis, eques, ordinis militaris

D. Iacobi Commendator, à ſtatus item & belli cõ- Anno
ſilijs: Ludouicus Verreycken eques, audientiari- 1598.
us, primuſque ſecretarius & chartophylax, ſiue
ſanctorum ſcriniorum præfectus: nómine verò
Christianiſſimi regis, Pomponius de Bellieure e-
ques, dominus de Grignon, ſtatus in Gallia conſi-
liarius; & Nicolaus Brulardus, dominus de Sille-
ry, eiuſdem ſtatus Conſiliarius, & parlamenti a-
pud Pariſios præſes. Hic ergò poſt aliquam diſce- *& conficit,*
ptationem tandem pax coijt, has in leges, quas vt
ab alijs perſcriptæ & editæ ſunt, (mihi enim in e-
iuſmodi rebus vertendis ingenioſo eſſe non lubet
quod ſciam quàm hæc & ab omni Latinæ oratio-
nis cultu abhorreant, & ſi parum deflectas, quàm
ſint ad lapſum lubrica) tibi, lector exhibemus.

Placuit in primis & vtrinque conuenit, vt pacis *in has con-*
& concordiæ pactio inter Reges Philippum II. & *ditiones.*
Henricum IV. ineatur & concludatur iuxta teno-
rem, & in approbationem conditionum pactionis
Cameraceſiæ, inter prædictum Regem Catholicũ,
& Henricum II. Christianiſſimum anno quinqua-
geſimo nono ſupra ſeſqui millesimum initæ & cõ-
fectæ. Quam quidem pactionem dicti delegati de-
nuò confirmârunt, & in omnibus articulis ratam
habuerunt, non ſecus ac ſi eſſet ad verbum hîc in-
ſerta, ſine vlla innouatione eiuſdem pactionis, &
omnium pactorum conuentorum præcedentium,
quæ omnia integra manebunt, exceptis ijs, quibus
per hanc pactionem expreſsè derogatur.

Inter dictos Reges, liberos eorum natos vel na-
ſcituros, hæredes & poſteros, regna, prouincias, &
ſubditos eorum, bona, ſecura, firma & ſtabilis pax
erit, confœderatio, ſocietas, & amicitia perpetua,
& amore fraterno ſe mutuò complectentur, & al-

Anno 1598. ter alterius saluti, honori & existimationi quantum poterit consulet, & alterius damnum pro viribus suis, fideliter auertet, nec in alterius detrimentum gratia quemquam aut fauore iuuabit. Inimicitiæ conquiescent, præteritis iniurijs, qualescunque fuerint, obliuioni traditis, abolitis et extinctis, adempta de ijs in posterum inquirendi, vel mentionem faciendi omni facultate. Quibusuis pactionibus, fœderibus, societatibus & commercijs, quæ in partis alterius detrimentum possent verti, per præsentem pactionem nuncium remittentes. Ac nihil vnquam se facturos promittentes, nec vt fiat per alium procuraturos, quod alteri nocere aut damnum dare posset, nec hoc per vasallos subditosque suos directè aut indirectè fieri permissuros. His qui secus faxint, cuiusmodi personæ vel conditionis fuerint, vel stipendia alicuius, terra aut mari mereant, aut auxilium cuiquam aut operam suam præstent in rebus, quæ nocere alteri Regum possent, alter se opponere & impedire tenebitur, illosque ceu huius pactionis violatores & quietis publicæ perturbatores punire.

Quo pacis & necessitudinis beneficio quilibet vtriusque partis subditi, sub legibus & consuetudinibus regionis ire, redire, manere, habitare, versari in alterius prouincia & regno poterunt, mercaturam exercere, & prout videbitur terrestri, maritima, & fluuiatili nauigatione negotiari ac frequentare: ijdem quoque subditi in regnis & regionibus alterius Regum hospites ibidem defendentur, modò soluant consueta vbique vectigalia, & alia per Reges, & eorum successores in posterum imponenda.

Lit-

Litteræ de marca & represaliarum, quæ quacunque de causa cuiuis sunt concessæ, omnes suspendentur, nec posthac à Regum altero in damnum alterius subditorum concedentur, exceptis violatæ pacis auctoribus & eorum bonis, & criminum socijs, idque solùm in casu manifesto iustitiæ denegatæ, de qua, & de litteris denunciationis & earum requisitionis ij, qui represalias, vel litteras de marca postulabunt formâ iuris consuetâ docere tenebuntur. Anno 1598.

Ciuitates, subditi, ciues & incolæ Comitatuum Flandriæ & Artesiæ, aliarumque Belgicarum prouinciarum, & regionum Hispaniæ, priuilegijs & libertatibus fruentur, à Regibus Galliæ maioribus Regis Christianissimi indulis. Similiter ciuitates, ciues, incolæ & subiecti regni Galliæ ijsdem priuilegijs & libertatibus in Belgio & Hispania concessis fruentur, quemadmodum eorum vnusquisque olim vti fruique ibidem illis solent, maximè virtute pactionis anni quinquagesimi noni, & aliarum præcedentium.

Pactum prætereà & concordatum est, si Rex Catholicus, testamento, dotatione, resignatione, aut alio quouis titulo, omnes Belgij prouincias cum Comitatibus Burgundiæ & Carolesij serenissimæ Infanti Isabellæ filiæ suæ, vel alteri donauerit, cesseritú-; easdem omnes prouincias & Comitatus, sicut erant dicto anno quinquagesimo nono; Ipsam quoque serenissimam Infantem Isabellam filiam Regis natu maiorem, vel eam, cumúe in cuius fauorem Rex Hispaniæ disposuerit, hac pactione comprehendi; vt non alia in hunc finem, vel noua pactio requiratur.

Subdi-

Anno 1598. Subditis & ministris alterutram partem secutis, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, tametsi partis aduersæ stipendia meruerint, reditus in beneficia & officia patebit, de quibus sub finem Decembris anni octogesimi octaui prospectum illis erat; exceptis curionatibus siue pastoratibus regulariter in alios collatis. Vniuersi etiam & singuli bonis suis immobilibus, reditibus perpetuis, vitalibus & redimilibus, quorum fructu & pensionibus belli causa sub finem anni octogesimi octaui exorti caruerunt, hac pace promulgata vtentur & fruentur, sicut & ijs fructibus & pensionibus, qui quæúe posteà ceciderunt, aut successione alioúe modo obuenerunt, sine controuersia aut impedimento, exceptis fructibus à publicatione bonorum immobilium perceptis, quos repetere non licebit vsque ad diem promulgatæ pacis, nec æs alienum ante dictum diem fisco illatum. Eritque valida iám facta alienatio, vel adhuc facienda per Principem, eiusúe procuratorem vel constitutum, sub cuius Iurisdictione arrestum factam fuerit. Nec huiusmodi æris alieni creditores, aut actionem eorum habentes, ad eius prosecutionem quouis modo admittentur, nec actionis qualiscunque nomine experiri in eos poterunt, quibus huiusmodi donatio facta fuit, nec in eos qui vigore donationis & confiscationis eadem debita ex quacunque causa orta, exsoluerant, quibusuis instrumentis obligatorijs, quæ creditores de ijs debitis habent iure fisci & præsenti pactione antiquatis & exstinctis.

Dicti porrò subditi, & ministri partis vtriusque in bona immobilia reditusque suos reuertentur, vt suprà, cessantibus quibusuis donationibus, concessionibus, declarationibus confiscationum, & sen-

ſententijs in contumaciam per eremodicium parte abſente vel non audita belli cauſa latis. Quæ ſententiæ & res iudicatæ, tam in ciuili, quàm criminali iudicio inualidæ, ſine effectu & pro non datis vel iudicatis erunt. Eam in rem prædictos ſubditos in integrum reſtituentes, quibuſuis impedimentis & contractionibus in ius, quod ante indictum bellum habebant, ceſſantibus. Nec in quemquam cauſa muneris aut functionis publicæ, commeatus, ærarij, aut alterius negocij belli cauſa geſti, & cuius rationes coram illis reddiderit, qui tũ temporis diſponendi habebant facultatem, inquirere licebit: modò ijdem ſubditi & miniſtri, haud alijs delictis vel criminibus obnoxij, quàm aduerſæ partis miniſterio deprehendantur. Nec in prædictas regiones, prouincias, vel dictorum Regum dominia redire licebit, niſi Regio indulto cum diplomate impetrato, Regijs quoque ſigillis communito; cuius verificationẽ in curijs apud regios officiarios proſequi minin è tenebuntur. Anno 1598.

Eccleſiaſtici qui beneficia obtinuerunt; quorum ad Reges vel alios laicos ſpectat donatio, præſentatio aut diſpoſitio in poſſeſſione in poſterum ijſdem fruituri permanebunt, tanquam benè & legitimè collatis.

Et in pacis huius promouendæ gratiam, & vt vtriuſque Regis votis ſatisfiat, pactum & concordatum eſt, vt alter alteri cum effectu & bona fide reddat & reſtituat, ea quæ per ipſos, aut eorum mandato vel nomine adempta, occupata, & detenta ab altero in alterius regno aut ditione deprehendentur. Dictus nimirum Rex Chriſtianiſſimus Catholico Regi reddet poſſeſſionem & dominium comitatus Caroleſij, cũ omnibus eò ſpectan-

Anno 1598. ſtantibus proprietatibus, ab ipſo & hæredibus abſolutè & pacificè poſſidendum & fruendum, & ſub ſummo Regum Galliæ imperio retinendum. Et ſi qua alia ſunt loca à Rege Chriſtianiſſimo, vel ſuis occupata ab anno quinquageſimo nono, bimeſtri à præſenti die ſpatio reſtituentur.

Eodem quoque modo Rex Catholicus Chriſtianiſſimo reſtituet loca per ipſum vel eius nomine, aut mandato à tempore dictæ pactionis Cameracesiæ, adempta, occupata, & detenta, vtpote Caletum, Ardam, Montem Hullinum, Dorlanum, Capellam, & Caſtelletum in Veromanduis, Blauetum in Aremoricis, & omnia alia loca quæ Rex Catholicus in Gallia occupauit, à dicta pactione, ac per eum aut ſuos detinentur.

Dictum autem Caletum, Arda, Mons Hullinus, Dorlanū, Capella, & Caſtelletum, à Rege Catholico vel eius miniſtris, cum effectu & bona fide, ſine delatione aut recuſatione quacunque de cauſa vel prætextu Regi Chriſtianiſſimo aut eius conſtitutis intra duos iuſtos menſes, à die huius pactionis, in eo ſtatu quo nunc reperiuntur reſtituentur & reddentur, ſine vllius rei demolitione, infirmatione, aut deterioratione quouis modo: & ſine repetitione aut prætenſione compenſationis vel ſatisfactionis pro munitionibus in dictis locis excitatis aut factis, nec pro ſtipendijs, quæ habentibus ibidem præſidia militibus debentur. Caletum & Arda primò reſtituentur, & deinde loca reliqua, vt omniū reſtitutio bimeſtris dicto ſpatio plena & abſoluta ſit.

Blaueti reſtitutio eodem quo ſupra pacto ſine mora aut recuſatione intra trimeſtre à die præſentium fiet. Et ſi quid Rex Catholicus, vel ibi, vel in

alijs

alijs locis Aremoricis per ipsum reddendis communiuit, id demoliri poterit. Anno 1598.

Cum locorũ prædictorũ fiet restitutio, omnia bellica tormenta, puluerẽ nitratum, globos, arma, commeatũ & reliquũ belli apparatũ, qui restitutionis tempore ibidem reperientur, Catholico Regi auehere erit integrum. Milites etiam & quicunq; ex his locis excedent, omnem suã supellectilẽ asportare licebit; quib⁹ nõ permittitur à locorũ vel vicini agri incolis quicq̃ exigere, nec eorũ ędibus dãnũ aliq̃ dare, aut inde auferre, q̃ ad illos ptinet.

Et vt commodè milites Blaueto in Hispaniam peruenire possint, Rex Christianissimus, nautas & nauigia præberi illis faciet, quibus bellicas machinas, cõmeatũ, reliquumq; apparatũ cũ impedimẽtis onerare poterũt; data cautione de nauiũ restitutione, & nautarũ tuto reditu tẽpore pstituẽdo.

Pro restitutionis locorũ securitate, dicti Regij legati post hanc pactionẽ à Rege Christianissimo approbatã 4. obsides Catholici Regis subditos datũ iri spondẽt, qui benè & honorificè pro decoro personarũ in Gallia excipientur: factaq; restitutione, obsides sine mora, bona fide liberabũtur. Sex verò locis in Veromanduis restitutis, duo obsides remittentur, duobus alijs retẽtis, donec Blauetum similiter restitutum sit.

Quod ad ea attinet quæ pactione cõtinẽtur, anni 59. eorũ defectus in cõditionibus, quarũ executio desideratur, explebitur; vtpote de feudo Comitatus Fani S. Pauli, de regionum vtriusq; Principis limitibus, & de agris, quorũ est suspensa decisio, de immunitate vectigaliũ & externarũ impositionũ à subditis Comitatus Burgundiæ prætensa; & ab Episcopo Terouanæ, de Abbatia S. Ioãnis ad montẽ Ducatus Bulloniẽsis; de quorũdã locorũ hinc inde

Anno 1598. restitutione quæ ex formula prædictæ pactionis fieri debuit,& de omnibus alijs controuersijs, nōdum vti pactum erat definitis.

Ad quarum rerum decisionem, arbitri nominabuntur, & recipientur iuxta dictæ pactionis tenorem,qui proximo semestri,loco per dictam pactionem designato de consensu partium conuenient, sin minùs,alium locum eligent.

Et quemadmodum in locorum diuisione diœcesibus Atrebatēsi,Ambianensi,Sanctaudomarēsi & Bononiensi attributorum , pagi Gallicæ ditionis Episcopis Atrebatensi & Sanctaudomarensi, alij Flandriæ &Arthesiæ ditionis,Episcopis Ambianensi,& Bononiensi attributi reperiuntur,quæ res sæpè controuersiam& confusionem parit:Conuenit vt consensu à Pontifice impetrato,commissarij vtrinque constituantur,qui intra anni spatium loco designato de commoda in rem partium permutatione transacturi,conuenient.

Bello capti,& adhuc vtrinque detenti , expensis persolutis & legitimis debitis, sine lytro liberabuntur,nisi de eo soluendo conuenerint: quod si quis modum excedere conqueretur, Princeps regionis vbi captus detinetur , illud moderabitur.

Omnes alij captiui dictorum Regum subditi, qui ob calamitates quas bellum secum affert, ad suarum Maiest.triremes relegati sunt, sine mora quacunque de causa vel prætextu inijciendo sine lytro aut expensis soluendis dimittentur.

Regi Hispaniarum & Infanti serenissimæ filiæ eius maiori , eorumque hæredibus aut actionem habentibus,iura omnia,actiones,& prætentiones, quas dictorum regnorum,prouinciarum,& dominiorum

niorum nomine, vel alia qualicunq; ratione, quibus nec per ipsum nec per maiores eius expressè renunciatum est; vt de ijs etiam amabiliter vel iudiciali non armis experiri possit. Anno 1598.

Quemadmodum etiam Christianissimo Regi Galliæ & Nauarræ eiusque hæredibus & actionem habentibus, reseruantur quæuis iura, actiones, & prætensiones, quas ad se spectare putat, dictorum regnorum, prouinciarum & dominiorum nomine, vel alia qualicunque ratione, quibus nec per ipsum, nec per maiores eius expressè renunciatum est: vt de ijs etiam amabiliter vel iudicialiter, non armis experiri possit.

Ad legatorum quoque propositionem, ex parte Catholici Regis factam, qui serenissimum Sabaudiæ Ducem in hac pactione comprehendi petit, cuius vtilitatem & conseruationem non secus ac suam commendatam sibi habet, causâ consanguinitatis & affinitatis, quæ ipsis intercedit, vti se in mandatis ab Archiduce Cardinali habere exposuerunt, sicut etiam declarauit Illustris D. Gaspar de Geneua marchio Lullini, à consilijs status, cubiculo & Ducali satellitio præfectus, Ducatus Augustæ & ciuitatis Ivreæ gubernator, eiusque constitutus & orator, vt ex procuratorio instrumento eius liquet: dictum Ducem in honorem suæ originis, quam ex fratre proauiæ Christianissimi Regis; & ex Reginæ matris eius cognata ducit, Regem sibi conciliare decreuisse, & vt suæ Maiest. consanguineum deuotissimum, eandem cum omni reuerentia, cultu & obseruantia quantum potest maxima agnoscere, vt se suasque actiones in posterum melius illi probet, quàm téporis præteriti occasio

Anno 1598. non permisit. Eam quoque fiduciam de Rege se habere, vt boni sui affectus habita ratione, eadem bonitate & amicitiæ declaratione ipsum prosequatur, quâ postremi quatuor Reges inclytæ memoriæ patrem suum sint complexi.

Conclusum itaque & concordatum est, vt dictus Dux Sabaudiæ in hac pactione comprehendatur: Qui vt suum desiderium testetur de satisfaciẽdo Regiæ voluntati, oppidum cum castro Berrensi intra bimestre à die huius pactionis, cum effectu, bona fide, sine dilatione vel recusatione quouis modo aut prætextu sumenda suæ Maiestati, vel constituto eius restituet, in huiusmodi statu quo nunc deprehenduntur, sine demolitione aut detrimento vllo, & sine expensarum in munitionibus tam in oppido quàm arce exstructis repetitione & sine vlla stipendij militaris, quod deberi posset, solutione, machinis bellicis ibidem relictis quæ expugnationis tempore in oppido & castro inueniebantur; euehendi eas machinas, si quas Dux inuexit, concessa facultate.

Hac pactione etiam concordatum est, vt idem Dux Sabaudiæ tribunum militarem cognomine Fortunam oppidum Seurram in Burgundia occupantem, deserat & dimittat, neque eum aliosque iniquè illud oppidum inuito Rege Christianissimo vsurpantes auxilio aut gratia iuuet.

De alijs verò inter Regẽ Christianissimũ & Sabaudũ controuersijs prædicti legati promouendæ pacis gratia consentiunt & cõueniũt, vt ad Pontificis Clementis octaui arbitrium deferãtur; vt per eum

eum componantur & decidantur intra annum à die pactionis iuxta Regium rescriptum, pridie Nonas Iunij ea de re datum. Et quicquid decreuerit beatissimus pater bona fide adimplebitur & executioni vtrinque mandabitur, citra dilationem vel recusationem quouis prætextu, aut colore quæsitam. Intereà res omnes in eodem quo nunc sunt statu permanebunt, donec Pontifex pronunciauerit, sine mutatione aut innouatione, & eodem modo quo vtrinque possidentur: sublata facultate vlterius progrediendi, aut tributa in alterius ditione exigendi. Anno 1598.

Quocirca pactum & conuentum est, vt à præsenti die pax firma, stabilisque amicitia & vicinitas existat inter dictos Regem & Ducem, eorumque liberos, natos vel nasciturós, hæredes & posteros, regna, prouincias & subditos, eorum: neq; alteri in alterius ditionem vel subditos quacũque de causa, vel quouis prætextu moliri quidquam liceat.

Omnes subditi & ministri, tam Ecclesiastici, quàm seculares, etiamsi parti aduersæ inseruierint, in bonorum suorum omnium & singulorum officiorum, & beneficiorum vsum reuertentur, vt antè de Regum subditis & ministris cautum est, quòd tamen ad Præfecturas aut gubernationes non extendetur.

De militibus bello captis, eodem modo quo inter REGES suprà actum est statuetur.

Omnes deniq; pactiones præcedẽtes in omnib⁹ cõditionib⁹ & articulis cõfirmãtur, quæ olim factæ

Anno 1598. sunt inter Reges Christianissimos Henricum II. anno quinquagesimo nono in arce Cameracesia, Carolum nonum & Henricum III. & prædictum Ducem Sabaudiæ defunctum: exceptis ijs, quæ vel hac vel alia pactione abrogata sunt. Dux itaque Sabaudiæ cum suis prouincijs, ciuitatibus & subditis neutrarum partium Princeps erit, & communis Regis vtriusque amicus. Età die promulgatæ præsentis concordiæ libera inter subditos & prouincias commercia iuxta dictas pactiones & receptam consuetudinem securè exercebuntur. Et cõditiones in illis contentæ obseruabuntur, etiam respectu offi iariorum, qui dictis regibus operam præstiterunt, nisi alijs pactionibus antiquatæ fuerint.

Similiter ex pacto & consensu communi in hac pactione, si visum ipsis fuerit comprehenduntur, Primùm pro parte Regis Catholici, Beatissimus pater summus Pontifex, & sancta sedes Apostolica, Romanorum Imperator, cum Archiducibus, fratribus & cognatis, regnis & prouincijs eorum, Septemuiri Electores, Principes ciuitates, & Ordines Imperij, eidem obsequentes Dux Bauariæ, Dux Cliuiæ, Episcopus & prouincia Leodiensis, maritimæ vrbes Hanseaticæ, & Comites Frisiæ Orientalis. Dicti etiam Principes omnibus clandestinis societatibus in detrimentum Cæsareæ Maiestatis membrorum & Ordinum Imperij tendentibus renunciant, nullas se in posterum nec in orbe Christiano, nec extra quouis loco inituros promittentes, sed commoda & quietem Sacri Imperij pro viribus promòturos. Ea lege ne vel Cæsar, nec Imperij Ordines cum Regibus Catholico & Christianissimo amicitiam foueant, neque quicquam

quam in eorum detrimentum faciant. Comprehendentur similiter Domini confœderati superioris Germaniæ,& confœderata Grisonum resp. cum suis socijs,RexPoloniæ &Sueciæ,Rex Scotiæ, Rex Daniæ, Dux & senatus Venetorũ,Dux Lotharingiæ,magnus Dux Hetruriæ, resp.Genuensium & Lucensium,Dux Parmæ & Placentiæ cum Cardinali Farnesio eius fratre, Dux Mantuæ, Dux Vrbini, Principes familiarum Columensium & Vrsinorum,Dux Selmonetæ, Dominus Monaci, Marchio FinalijMarchio de Masca,Dominus Plombini,Comes Salæ, & Comes Colorini, vt præsentis pacis beneficio fruantur, cum expressa declaratione, Regem Christianissimum, directè aut indirectè, per se vel per alios quemquam ipsorum nõ lacessiturum :sed si aliqua cum ipsis controuersia incidat, iudicio cum ipsis coram iudice competente, & non vi aut alio modo ius prosecuturum. Anno 1598.

Ex parte verò Regis Christianissimi in hac pactione, si videbitur, comprehendentur, summus Pontifex, cum sancta Sede Apostolica, Imperator, Septemuiri Electores, Principes Ecclesiastici & seculares, ciuitates, vniuersitates, & ordines Sacri Imperij, & nominatim Comes Palatinus, Marchio Brandenburgensis, Dux VVirtembergensis, Lantgrauius Hassiæ, Marchio de Anspach, Comites Frisiæ Orientalis, ciuitates Hanseaticæ secundùm fœdera antiqua, Rex cum regno Scotiæ iuxta veteres pactiones & confœderationes, quæ regno Galliæ cum Scotia intercedunt, Reges Poloniæ, Daniæ & Sueciæ, Dux & Senatus Venetorum, tredecim Cantones confœderatorum Heluetiorum, tres confœderatæ Grisonum respublicæ, Episcopus & dominus regio-

Anno 1598. nis Valaiæ, Abbas & oppidum sancti Galli, Tockemberg, Milhausen, Comes Noui castri, aliįque eiusdem confœderationis socij, Dux Lotharingiæ, magnus Dux Hetruriæ, Dux Mantuæ, resp. Lucensium, Episcopus & collegia Metensium, Tullensium, & Verdunensium, Abbas Gozzæ, Domini Sedamenses, Comes Mirandæ. Ea tamen lege, vt consensus Regis Catholici, de Comitibus Frisiæ Orientalis hac pactione comprehensis sine iuris præiudicio sit, quòd Rex in eorum ditionem prætendit, saluis quoque dictorum comitum defensionibus, iuribus suis & exceptionibus. Cum declaratione, dictum Regem Catholicum per se, vel per alios, directè nec indirectè, neminem ipsorum, quos Rex Christianissimus in hac pactione comprehendit lacessiturum; sed si quam in eos actionem habere se existimat, eandem iudicio, non vi instituturum.

Comprehendentur similiter præsenti pactione, vniuersi qui communi Regum consensu nominatim inserentur, modò post semestre à die pacis promulgatæ, nomina sua per litteras profiteantur, & consuetas hoc casu obligatorias tradant.

Atque ad maiorem huius pacis conditionum in hac pactione contentarum securitatem, hæc pactio confirmabitur, promulgabitur, & referetur in regesta curiæ Parlamenti Parisiensis, & aliarum regni Galliæ curiarum, ac cameræ rationū Parisiensis. Qvemadmodvm confirmatio, promulgatiō, & in regesta fiet relatio in sanctiori & in alijs Catholici Regis consilijs, & camera rationum in prouincijs Belgicis, iuxta fora-

formam & tenorem pactionis anni quinquagesimi noni. Quæ vtrinque expedita intra trimestre, post huius pactionis promulgationem tradentur. Anno 1598.

Quæ conditiones & articuli suprà comprehensi, & quæ in ijs vniuersa & singula continentur, pacta conuenta & recognita sunt, interposita à dictis legatis, eorum qui eos constituerunt nomine, stipulatione, qui mandatorum suorum vigore, promiserunt & promittunt per præsentes, sub omnium & singulorum bonorum constituentium, suorum præsentium & futurorum obligatione eos hanc pactionem inuiolatá obseruaturos, & completuros, & authentica documenta approbationis subsignata & sigillata, inuicem traditurus, præsenti pactione ad verbum inserta, idque infra mensis a præsenti die spatium, quantum ad Regem Christianissimum, Archiducem, CARDINALEM, & Sabaudiæ ducem attinet.

Promittens porrò Archidux Cardinalis, se intra trimestre, similes approbatorias à Catholico Rege litteras suppleturum & daturum. Prætereà promiserunt dicti delegati nominibus suprà dictis, & promittunt per præsentes prædictis litteris approbatorijs Regis Christianissimi, Archiducis Cardinalis, & Sabaudiæ Ducis traditis & exhibitis, eosdem solenniter super Cruce Domini, & super sancta Euangelia, & sacrosanctæ Missæ canone, coram ijs quos delegare cupient, & pro nominis sui existimatione iuraturos se plenè, re-uera, & bona fide, omnes conditiones huius pactionis obseruaturos & completuros. Simile etiam iusiurandum à Catholico Rege post trimestre,

Anno 1598. aut cùm fuerit requisitus præstabitur. In quarum rerum fidem dicti delegati huic pactioni nomina sua subscripserunt Veruini in Veromãduis postridie Calendas Maij anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo octauo.

Comitia Ratisbonēsia. Amissis Iaurino & Agria; Cæsar, quod quanto in discrimine non sua tantùm regna, verùm etiam vniuersa Respublica Christiana versarentur facilè intelligeret, comitia Ratisbonam indicit: misso eò cum mandatis Matthia fratre; cum magno prudentissimorum virorum comitatu. Ibi Ordinum legatis (pauci enim principes, alij alijs de caussis, venerant) 20. Decẽbris hæc ferè mandata sunt exposita. *Cæsaris postulata.* Primùm, expenderent secum, quantam pecuniæ vim superiorum annorum & in milites stipẽdia, & in bellicos omnis generis apparatus impensæ extraordinariæ, absumpsissent, quibuscũ si Principum auxilia conferantur, mirabile visum iri, considerantibus, quàm paruis opibus maximæ crudelissimorum hostium vires, & infensissimi conatus hactenus fuerint repressi. Enimuero & magnã de Imperij, quam vocant, matricula factam esse diminutionem, & promissa auxilia à non paucis malignè conferri. Inde factum, vt in magnis rei pecuniariæ angustijs, vix parum aliquid, quod operæ precium esset, potuerit confici: hancque ad superiores victorias hosti vel maximam fuisse occasionem. Nam & multò minores esse copias, quàm quibus aperti certaminis alea contra tantam hostium multitudinem committi posset: & quod æstiuis tãtum mensibus sub signis miles haberetur, multas plerumque rei præclarè gerendæ elabi occasiones. Aestate enim, vt in locis impeditis, & paludosis, atque etiam hostilium copiarum plenis, ad sum-

mam rei nihil, aut parum admodum profici posse: Anno
contra hyeme, vbi iam omnia gelu obriguerunt, 1598.
pabuli inopia vel ad interiora regionum compulsis, vel in suos nidos inclusis hostibus; multas vtiliter suscipi perficiq́ue posse expeditiones. Quàm incommodum verò illud existiment, milites toties conscribi, dimitti: qui & ciuibus, quà iter faciunt, graues plerumque sint, & ad rem militarem parum vtiles. Inexercitatos enim primum, locorumq́ue ignaros. vbi iam inibi sint, & armorum aliquem vsum habeant, mutuoq́ue contubernio adsueuerint, exauctorari. Ita pro veteranis tyronum exercitum semper haberi. Dispicerent ergo num satius esset rationé aliquam excogitare, qua stipendia continuarentur, nec tot sumptus in conducendo nouo, eoq́ue, vt plurimùm, non optimo milite malè collocarentur. Quamquam, quid hac in re optimum factu sit, vix paulò prudentiorem quemquam latere possit. Repeterent modò memoria illud tempus, quum Matthias Coruinus Vngariæ rex, parua quidem, sed lectissima fortissimorum militum manu, quam ab armorum colore Nigram appellabant, ingenteis sæpè Turcarum exercitus fuderit, fugauerit, prostrauerit; Vngariæq́ue securitaté, quoad vixit, pepererit. Quod exemplũ si reuocetur nec in paucos tantùm menses, vt hactenus, sed ad minimum, in quinquennium exercitus alatur: facile fore & hostem temporum momenta captando nec opinantem aggredi; & copijs in omnem euentum paratis, vndiq; lacessere atque vrgere. Neque verò hanc Cæsareæ Maiestatis petitionem eò pertinere, vt Imperij status (quorũ hæc è mera voluntate atque arbitrio pendeant) idem in futurum præstandi necessitate constringere velit;
 sed

Anno 1598. sed vt, expensis periculis, non communi tantùm saluti, sed etiam suæ quisque securitati prospicerent, quarum vtraque hac in consultatione ageretur. Neque enim obscurum esse quid Turcarum tyrānus moliatur, vt scilicet consumptis miseræ Vngariæ reliquijs (cuius propugnaculis tutę hactenus fuerint Imperij regiones) vniuersam Europam superbissimo suo dominatui subijciat, & à stirpe sublatis nobiliorib⁹ familijs Christiana religione exterminata, execrandas superstitiones cum immanissima barbarie coniunctas, longè lateque propaget. Sed Dei benignitate, Principum auxilijs, Cæsaris vigilantia & studio non modò, hactenus ea spe deiectum, verùmetiam ita coërcitum esse, vt ex eo tempore, quo rerum in Vngaria Austriaca familia potita est, res eius nunquam magis fuerint accisæ, nec insigniores victorias Christiani ab hostibus reportârint. Tanto ergo magis fremere, inclusum; omniaque conuellere tentantem, quà vi, quà fraude & perfidia pugnare. Cæsarem quidem vt hactenus tam iustum & necessarium bellū summa cum sollicitudine procurârit, inque id vniuersas pęnè regnorum suorum facultates effuderit: ita porrò nullum boni principis, patriæque patris officium prætermissurum: eundē ab Ordinibus sperare, facturos omnia quibus & suum in rem Christianam amorem, & pium erga Cæsareā maiestatem adfectum testentur. Summa petitionis fuit, vt quinque proximis annis singulis tricenū in mensiū auxilia Status penderēt: duodecim peditū, quatuor equitū millia parata haberēt, quibus velut subsidiaria cohorte, & exercitus suppleri, & fortè offensione accepta (vt sunt incerta belli) ingruenti periculo obsisti, parta verò victoria, hostibus insisti,

ac

ac bellum latius spargi posset. Ab ijsdem Statibus petitũ, vt Viennæ, & hostibus vicinæ, & necessario ad defensionem apparatu tot expeditionibus nudatæ, curam gerere vellent: qua expugnatâ, dubiũ nemini esse, quin hosti procliuia omnia sint futura id tamẽ omne, quid quãtũ quisq; tribuere vellent, arbitrio ipsorũ permissum. Secũdũ hæc, Martinus Episcopus Segouiensis, exhibito legationis suæ diplomate, ad Imperij senatũ verba fecit; multa de Turcarũ immanitate cõquestus, ac dolẽter admodum Stiriæ, Carinthiæ ac Carniolę regionum, quarũ legatũ agebat, miserias deplorãs, opẽq; Imperij rebus pœnè perditis exposcens. Post aliquot dierũ disceptationẽ, Cæsari triginta, Stirijs & finitimis duorũ mensiũ auxilia sunt decreta: ad illud item quod de subsidijs petitum fuerat, assensus est præbitus. Postridie Calendas Februarij prægrandis balæna inter Seueringam & Catuicũ, Hollandiæ pagos, septẽtrionali Oceano adsitos, in litus eiecta, multis hominum millib⁹ diu spectaculo fuit. Lõgũ id mõstrũ fuit pedes quinquaginta duos, Interstitiũ à labro oris superiori ad oculos, denos quinos pedes explebat. Ab oculis inde ad brãchias quatuor pedũ interuallũ patebat. Inferior mandibula septẽ pedes lõga, & reliqua corporis proportione gracilis admodũ erat, vtrimque dẽtibus eboris cãdorẽ præ se ferẽtibus, ijsq; obtusis valdè, adinstar qui, armata. Cauda, quà latissima erat, ternos denos pedes cõplectebatur. Crassities incognita mãsit: q& corporis moles arenæ q̃ altissimè impressa iaceret, & teterrim⁹ odor nõ tã ũ ppè adstãtes, sed & eminᵘs veniẽtes adflaret atq; abigeret. Portẽti loco hæc res (q̃ tamẽ in maritimis locis nõ insolẽs) habita multis sermonib⁹ materiem præbuit

Anno 1598.

Ordinum decretum.

Balæna Hollandico litori appulsa.

dum

Anno 1598. dum pro suo quisque ingenio alius in bonam, alius in malam partem omen interpretatur. Nos vt non temerè hæc interdum fieri lubenter fatemur: ita sapientia sua abuti eos existimamus, qui ex eiusmodi casibus, tanquam libris Sibyllinis, futura prædicere conantur: quorum notitiam Deus sibi soli reseruauit; hominibus verò coniecturam reliquit, qua se & alios sæpius ludunt. Quæ tamen sequenti æstate consequuta sunt, eorum qui hæc superstitiosius accipiunt & interpretantur opinionem non nihil iuuerint: quum Hispanorum exercitus vniuersus Belgicæ confœderatæ prouincias magno sui terrore compleuit; non sine earum per quas ductus est, & in quibus hybernauit regionum damno, vt postea dicemus.

Iaurinum recuperatũ. Vulnus Christianæ rei superioribus annis, Iaurino præsertim nostrorum perfidiâ ab hostibus occupato, inflictum, hic annus si non persanauit, leniuit certè. Quam victoriam post homines natos maximam, paulò lubentius describimus, quàm Christianorum mutuis se vulneribus lacerantiũ furorem. Adolphus Schuartzenbergius, vir consilio iuxta manuque promptus, adhibitis in conscientiam suscepti facinoris, viris nonnullis fortissimis, & rei militaris peritis, fortunam experiri, decreuerat; ac, si fortè, bonam Cæsareæ Maiestati atque vniuersæ rei Christianæ operam nauare. Igitur paucis diebus in pontonibus, scalis, pyrobolis, alijsque rebus necessarijs ei negotio, consumptis; ducum & militum, fortissimum quemque legit: deque Iaurini situ, vijs, semitis, portis, munitionibus, quæ necessaria videbantur, edoctus, non minus magno animo, quàm prudentia, singulari pulcherrimum facinus aggreditur. Comara profe-

ctus,

ctus, Danubium quem ponte iungi antè curauerat, Anno
cum vniuersis copijs traijcit; præmissa parte equi- 1598.
tatus, quæ iter exploraret, & obuios interciperet, ne quà de militum aduentu rumor ad hostem permanaret. Quum iam haud procul à Iaurino abessent; ibi demum militum ducibus exponit, quò ducerentur, quæque rei conficiendæ esset ratio, edocet. Fabacurtio mandat, vt machinarum vna clathros ligneos, qui ante portam, effringat: Cauiaco negociũ datum vt maiorem (plures enim id genus machinas aduexerant) quàm posset occultissimè admoueret, eiusq; vi foribus portę disiectis & cõminutis, aditum patefaceret. Inde locus cuiq; designatus, ad quẽ se oppido occupato reciperet. Ita militibus facilè persuasis vt duces suos sequerentur: machinas ceterumq; inuadendæ vrbi apparatum expediri iubet; ac paulò ante lucẽ ad oppidum ducit. Sed omnis rei feliciter gerendę ratio in eo vertebatur, vt quũ mœnia subire clam hostibus non possent, eos astu eluderent. Ex Hussaris igitur 5. Turcici idiomatis periti subornantur, quibus Turcarũ res satis cognitæ essent. Eos Turcę excubitores cõspicati, inclamant, & ex militię disciplina, cuiates sint, rogant: Respondent, Buda se venire: prędmissos, qui de cõmeatibus, qui apportarẽtur, nuncium adferrent: litteras etiã ad Aaronis Agę Budensis sponsam, aliaq; nonnulla habere; quã cõmeatibus importatis sponsi domũ deducere in mandatis haberent. Ceterùm quũ Christiani hostes vicina longè lateq; frequentibus excursionibus infesta habeant: valdè vereri, ne sui, qui non procul iam abessent, cladẽ aliquã ab eis acciperent. Pontẽ ergo demitterent, quò ante lucem commeatus importari possent. Hoc modò Hussari, quũ vera dice-

Anno 1597. verà dicere crederentur, facilè pro Turcis fefellerunt. Hæc quamquam ex animi sententia nostris succederent: ille tamen restabat timor, ne quum cœlum plurimarum stellarum lumine fulgeret, & dies iam appeteret, conatus eorum è superiori loco à vigilibus deprehenderetur. quum subitò caligo densa è Danubio ascendens, ita cœlũ texit, vt custodibus in muro stãtibus pœnè omnẽ earũ rerũ quæ infra gererentur prospectum adimeret: tanta etiam vis venti exorta est, vt faciẽ, quũ præsertim nostris aduersus esset, omnẽ strepitũ aduentantis exercitus à Turcarum auribus auerterit. Hoc velut omine, ac certo diuinæ opis indicio, nostri in certam spem erecti, quam possunt cautissimè muros oppidi subeũt: pontem demissum, præter spem, reperiunt: Mox magna cum celeritate machinam ad portam interiorem (exterior enim quod clusa nõ fuisset, ad primam nostrorum manum patuit) admouent: Ibi demũ vigiles quid ageretur animaduertentes, clamorem edunt, & sclopорum ictibus tres è nostris conficiunt. Sed serum nimis hoc fuerat remedium. Iam enim ingenti cum fragore porta dissilierat, aditũque nostris præbebat. Mox effusi nostri in vrbem milites, obuios quosque contrucidant, loca munita, & tormenta capiunt, reliquas portas obsident, ordinibus ab expeditionis duce descriptis, quàm diligentissimè seruatis. Quæ tum captæ vrbis fuerit facies, lectori cogitandum relinquo. Hinc Turcæ subito tumultu lectulis suis exciti, trepidare, discurrere, inermes, seminudi arma capere; illinc nostri pertinacissimè pugnanteis cædere, fugientibus instare; non sexui, non ætati parcere: puerorum heiulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, priuata publicaq;

omnia

omnia circumsonare. Quinque durauit horas hic Anno conflictus, in quo tanta contentione à Turcis prę- 1598. sidiarijs pugnatum est, vt arma frustrà experti, vltrò nostris mactandos se cateruatim obijcerent: in primis Bassa, vrbi præfectus, vtraque manu acinacem vibrans, quum diu fortissimè se defendisset, vitam tandem vnà cum armis proiecit, cuius caput abscissum, in loco maximè conspicuo posteà defixum fuit. Non pauci, feminæ præsertim, è muris in fossas subiectas se præcipitârunt, ibique vel aquis absorpti, vel à nostris, qui aditus exitusque obseruabant, confect iperierunt. Trecenti circiter Ianitzari quum omnem exitum clausum sibi viderent, nec spes vlla in armis reliqua esset, in munimentum aliquod, in quo magna vis pulueris asseruabatur, sese abdiderant. Inde quum extrahi non possent, & nostri ad eos conficiendos confertim accurrerent: eorum quidam puluere incenso, se suosque eâdem cum hostibus flammâ involuit, mortisque comites sibi adsciuit. Parta non sine multo nostrorum sanguine victoria: Schuartzenbergius prędam omnem comportari iubet; Cęsaris super ea re mandatum exspectans: qui exceptis tormentis & reliquo belli apparatu, quidquid auri, argenti, vestium & ceterarum rerum in milites diuidi iussit. Fama tantæ tamque insperatæ victorię diuulgata, vt nostrorum animos erexit, ita Turcas vehementer debilitauit: qui quantam ad res suas promouendas in hoc loco spem posuerint, è sequenti inscriptione manifestum est, quam nostri aureis litteris Turcicis cœrulei coloris tabulæ insculptam, eique portæ, quæ Albam regalem ducit, superimpositam inuenerunt, hoc sensu:

Sultan-

Anno 1598. *Sultanus Amurathes, Sultani Selymi filius, Sultani nepos, Sinani Bassæ in maledictorum terram exercitum ducere mandauit Hoc mandato accepto, Sinan Bassa hanc in regionem cum exercitu venit, Deo sic volente, maledictos concidit, eorum arma hebetauit, propugnaculum hoc expugnauit, eiq́ Osmanem Bassam præfecit: cuius iussu hæc porta facta est. Huic mortuò succeßit Mehemet Bassa: qui tabulam hanc cum inscriptione hoc loco poni iußit: anno propheta Mahumeti supra millesimum tertio.*

Has minas & superbiam crudelissimorum hominum Deus optimus maximus hac vnica expeditione discussit & repressit, exitiumq́; quod Christi cultoribus machinabantur, in sua ipsorum capita conuertit. Sequentes aliquot dies captiuis recensendis, quibus paucis belli furor pepercerat, & munitionibus reparandis consumti. Missi statim qui de rebus omnibus Cæsaream Maiestatem edocerent: Palfius, Fabacurtius alijq́ue, magnis donati præmijs, & virtutis ergò in equitum numerum allecti: Deo cum primis gratiæ actæ, indictâ in primarijs vrbibus ad omnia templa supplicatione, vt nostris militibus non pugnandi tantùm inspirare ardorem, sed & vim facultatemque vincendi, & tam opulenta regna tamdiu iniustissimè possessa ex immanissimarum belluarum faucibus eripiendi tribuere velit. Quod tu Christe vtinam, viuis ac videntibus nobis, faxis; huiusque rei gestæ gloria ad hunc potissimum Imperatorem, huncq́; augustissimum Imperij senatum referatur.

Transyluanus cum Cæsare contrahit.

Iam pridem Sigismundus Bathorius Transyluanicæ princeps siue tranquillioris vitæ spe, siue alia de causa inductus, omnibus suis ditionibus ces-

surum

Anno 1598.

sinum se, Cæsariq; eas traditurum, significauerat, si Ducatus aliquis, genere suo dignus intra Imperij fines sibi assignaretur. Hanc conditionem Cæsar ita accepit, vt Oppeliensē & Ratisborensem Silesiæ Ducatus ei offerret. Missis igitur Episcopo Vorzensi, D. Pezio, alijsque quos obuiam misso honestissimo equitatu Transyluanus excipi curauit, 4. Aprilis vtrimque pacta confirmata fuēre, Bornamissa verba faciente. Sexto Aprilis princeps ipse proceribus ad se vocatis quum antea seorsum cum eis deliberasset, præsentibus Legatis exponit, quid inter se & Cæsareæ Maiestatis Legatos actum esset: eos iuramentō fidelitatis soluit, & Cæsari porro, quemve is præesse ipsis vellet, parēre iubet. Vtrimque conditiones quædam fuerunt propositæ; quibus vltrò citroque acceptis, Transyluanus ad iter sese parat. Vratislauiæ, alijsque in locis quà iter fecit, honorificè exceptus, 19. Iunij Oppeliā & Ratisbonam peruenit. Ibi tum præstò fuerunt à Cæsare legati, qui subditos iuramento relaxarent, & in verba Transyluani adigerent. Haud ita diu moratus ibi Transyluanus, quod ei præsentia non satis placerent, sibique in permutatione hac Glaucus videretur. 21. Augusti, assumptis duobus tantum [illegible] comitibus, monachi habitu, vt rumor est, quàm occultissimē Trāsyluaniam repetiit & Claudenburgum profectus coniugi sacra facienti superuenit: qua amicis verbis salutatā, ciuibusque de nouo in fidem receptis, pro domino sese gessit. Inde dimissis in omnes partes nuncijs & [illegible] suos de aduentu suo certiores facit, vtque sibi in posterū vt antea parēre velint, rogat: litteras ad Maximilianum Austriacum, cui Cęsar frater prouincias has gubernandas iam dederat, mittit,

in Silesiam venit.

abit.

Anno 1598. hoc argumento: Quum Oppeliæ & Ratisbornæ Ducatus, quos in permutatione à Cæsare accepisset, ditionibus suis nequaquam conferri possint: iccirco magnas sibi & graues causas fuisse in Transyluaniam redeundi: Iamque caput eius regionis, Clausenburgum, tenere; reliquis etiam locis, quæ vel in potestate sua manserint, aut reuersi imperio rursus sese subiecerint, cedere nec velle, nec posse; sed potius omnes rationes initurum, quibus se suaque ab externa vi, si qua fortè vndecunque ingruat, tueri possit. Rogare ergò, vt iter aliquatò serius, quàm oportebat, institutum omittere velit, ne sibi necessitatem imponat, dum suis rebus consulere cogatur, minus benè de ijs, quibus optimè velit, promerendi. Ceterùm se & Cæsaris, & vniuersæ familiæ Austriacæ, sacrique Romani Imperij maiestatem, vt hactenus, ita porrò, comiter obseruaturum; eorumque vtilitatibus pro virili consulturum. Dum Transyluanus recipiendis locis munitioribus, suisque ciuibus nouo sacramento obstringendis occupatur: Archidux Maximilianus currus aliquot, argento facto atque infecto, & id genus magni precij supellectili onustos, cum parte aliqua aulici comitatus intercipit, & Cassouiam deduci imperat. Molestè hoc tulit Transyluanus; vtque se vlcisceretur, Cæsaris quibusdam procuratoribus manus injicit, tantisper eos se detenturum interminatus, quoad sua sibi restituerentur. Hæc semina fuerunt atrocissimi belli, quod postea non Sarmaticas tantùm regiones grauissimè concussit, & exercuit, sed etiam nostrorum vires distraxit, & maiorem infensissimis hostibus peperit securitatem: magno exemplo, ne consilia sua præcipitent iuuenes principes, eoque pedem

Cōtractum reuocat:

contra vim se parat.

pedem induant, vnde referre non possint: sed inprimis, ne temeritatem cumulent perfidiæ culpa.

Anno 1598.

Quibus ex causis motus Ferrariensis processerit, quibus item legibus fuerit compositus, supra à nobis est explicatum. Quum verò præsens rerum status Pontificis requirere videretur præsentiam: Romæ magno studio, quæ ad iter requirebantur, prouideri cœpta sunt. Primùm numini placando supplicationes habitæ: quibus Pontifex ipse septem vrbis templa primaria adijt; & processione finita, ad D. Mariæ diuertit, ibique Deum, diuos, diuasque omnes, vt iter hoc suum fortunare vellent, est comprecatus. Inde tota vrbe conquisiti, ad impedimenta portanda equi & muli clitellarij. Vicesimo Aprilis, Pontifex, celebratis sacris, lecticam ascendit, & per portam Angelicam elatus, magno & splendidissimo comitatu, iter auspicatur. Vrbem egressus, sedecim Cardinales, quos interea Romæ manere volebat, regredi iubet: ipse paucis diebus magnis itineribus Narniam peruenit: vbi magna cum pompa triumphantis in modum exceptus, templum ad eius itineris memoriam extrui iubet, annuis prouentibus ad alendos sacerdotes ex Apostolica Camera adsignatis. Maceratæ, languor Pontificem biduum detinuit. Igitur pro salute eius vota facta: & apertis carceribus captiui omnes emissi. Lauretum inde peruentum; vbi Pontifex magno cum hominum concursu & applausu exceptus, postridiè in celeberrimo eius loci sacello sacrũ peregit. Anconæ 26. Aprilis Venetæ triremes ei præstò fuerũt: inde per agrũ Vrbinatẽ ab ipso Duce deduct⁹, ad Riminũ in Cæsarẽ, &

Pontifex Ferrariam cogitat.

Posteaquam filiam nostram charissimam cum Alberto Archiduce matrimonio copulare decreuimus, quod eas nuptias ad vniuersæ Christianæ Reipublicæ quietem & commodum maximopere pertinere intelligeremus; eidem nostræ filiæ, vt & charissimo nostro nepoti, & cognato, de facultatibus pro ipsorum dignitate quam liberalissime prospicere volentes, omnes nostras Belgicas prouincias ad dictarum nuptiarum promotionem dedimus, cessimus, contulimus, hocque ipso damus, cedimus, conferimus: Anno 1598.

Conditiones matrimonij inter Albertum Archiducē & Isabellā Infantem.

I. *Hac primum lege, vt ex vi Dispensationis, à sanctissimo Patre nostro, Pontifice eum in finem concessæ, filia nostra cum Alberto Archiduce matrimonio copuletur, ac dotis nomine prouincias Belgicas & Burgundiæ comitatum accipiat: quod matrimonio quocunque ex caussa impedito; donationem hanc reuocamus, cessionemque hanc pro nō facta volumus haberi.*

II. *Hac item lege, vt qui ex hoc matrimonio nascentur liberorum maiores natu minoribus, masculi fœminis præferantur; eaque prærogatiua de manu in manum tradita vniuersarum prouinciarum hæreditatem accipiant, omni vel diuellendi eas, vel alienandi facultate adempta. Cui illud addimus, natos ex filio & filia primogenitis, patruo, auunculo, ceterisque in transuersa linea, potiores habendos.*

III. *Hac item lege, vt si fortè sterile fuerit hoc matrimonium, aut liberi ex eo nati, mortuo coniugum altero, [illegible]re desierint, cessio hæc siue transportatio vigorem omnem amittat. Quo in casu si filia nostra vidua permanere voluerit: sua ei legitima pars tam ex bo-*

Anno 1598. ex bonis paternis, quàm dote materna adsignator. Sin Archidux Albertus filiæ nostræ superstes fuerit: dictarum prouinciarum administrationem eius nomine, ad quem earum hæreditas deuoluta fuerit, quoad viuet, obtineto.

IV. Quod si hæredes alterutrius sexus è linea descēdente, nulli procreati fuerint, ita vt nemo ad quem ea iure pertineat hæreditas, sit superstes: vniuersas prouincias ad Hispaniarum regem, qui à nobis descenderit, redire iubemus: cui vel quibus hoc ipso ratam eā volumus esse donationem.

V. Nullum item nec filiæ nostræ, nec quibuscumq; ad prædictam hæreditatem vel successionem vocatis, vel distrahendi prouincias, vel donandi, vel quoquo modo in alium transferēdi, sine nostro vel successoris nostri expresso consensu, ius esto.

VI. Quæcumq; fœmina Belgicarū prouinciarum domina fuerit: Hispaniarum regis vel eius filij qui tum erit matrimonium sequi teneatur; præcedente tamē, si opus sit, dispensatione. Quod si ea nubere vel nolit, vel non possit: eam in cuiusquam matrimonium coire, aut quidquam ex prouincijs datis nomine in virum conferre, nobis vel hærede nostro non assentientibus vetamus. Quod si secus fiat, quæcūq; à nobis donata hoc vel concessa sunt, ad hæredes nostros recident; nō aliter quàm si præsens donatio, cessio, vel transportatio nunquam fuisset facta.

VII. Hac item lege, vt quicumq; dictarū prouinciarum principatum tenuerint, filij vel filiabus suis de nostro, aut hæredum nostrorum, Hispaniæ regum, consilio & assensu vxores maritosue dare teneantur.

Filiæ

IIX. Filiæ item nostræ, eius marito, omnibusq; eorū Anno
successoribus, ad quos Belgicarū regionū possessio de- 1598.
uoluetur, nullū ius esto, subditis permittendi ad Indias tam orientales quàm occidentales, quocunq; sub prætextu, nauigare, multò minus negociari: quod si fecerint, donatione hac excidisse eos pronunciamus. Quod si subditorum aliquis, ipsis vel inuitis vel nescientibus facere id ausus fuerit: non bonis tantùm multator, sed etiam capite plectitor.

IX. Vt Albertus Archidux filiæ nostræ, susceptis ex ea liberis superuixerit: omnium bonorum, quæ ad pupillos pertinent, tutelæ nomine penes eū administratio esto. Insuper earum omnium regionum vsumfructum, quoad vixerit, sibi habeto: ita tamen vt dignam ipsorum genere educationem alimentationemq; eis præstet; eiq; maximo natu, siue filio siue filiæ, Ducatum Luxēburgicum, cum Chinea Comitatu, quæq; iis annexa, reddat ac tradet, quos, viuo patre, teneat, eodemq; è vita sublato, vniuersarum prouinciarum, vtpote legitimus hæres, capiat possessionem. Quod tamen ita intelligi volumus, vt de quo modò diximus, vsusfructus, ad solum Archiducē Albertū pertineat; neq; idē iuris ab aliquo prædicti Archiducis hæredibus prætendi queat.

X. Illam etiam legem nostris dicimus, eamq; præ ceteris sanctam & inuiolatam haberi volumus, vt omnes matrimonij huius liberi religionem Catholicam, ex decreto Romanæ Ecclesiæ, colant atq; amplectantur, in eaq; ad extremum vsq; vitæ spiritum perseuerent. Quem in finem, antequam vllam Reipublicæ partem capessant, solemni iuramento, his verbis concepto esse obstringent. Ego iuro ad sancta Dei Euangelia,

Anno 1598. *quod semper vsque ad extremum vitæ meæ spiritum sacrosanctam fidem Catholicam, quam tenet, docet & prædicat S. Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, communis Ecclesiarum mater & magistra, cōstanter profitebor, & fideliter firmiterq; credam, & veraciter tenebo, ac etiam à meis subditis teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curabo. Sic me Deus adiuuet, & hæc S. Dei Euangelia. Quod si quis (quod Deus clementer auertat!) prædictarum regionū hæres à Catholica Romana deficiat Ecclesia, inq; hæresim prolabatur, ac talis (hæreticus scilicet) à sanctissimo domino nostro Papa fuerit proclamatus: eum omni administratione possessione, proprietate sæpe dictarum prouinciarum deiectum volumus & priuatū, proque mortuo haberi, subditos etiam obedire ei vlla in re vetamus: quibus tum imperabit sanguine proximus ex ea stirpe, idemq; Catholicus princeps.*

XI. *Quumq; id vnicè in votis habeamus idq; æquitati omninò & naturæ consentaneum sit, vt inter hæc regna nostra, & prædictas prouincias & qui vtrimq; à nobis orti sunt, successores, pax firma & stabilis, & æterna sit amicitia: eorum erit, qui futuro tempore & Belgij & Burgundiæ dominatum hæreditario iure acquirent, quæ præcedenti articulo perscripta sunt, approbare & confirmare.*

XII. *His omnibus & singulis suprà positis legibus quia omninò morem geri satisq; fieri volumus: Isabellæ-Claræ-Eugeniæ, filiæ nostræ carißimæ, dotis nomine dedimus, ceßimus, trāsportauimus, donauimus hocque ipso damus, cedimus, transportamus, donamus*

omnes

[illegible] nostras regiones, itemq; Burgundia & Anno
[illegible], cum omnibus Principatibus, 1598.
[illegible], Marchionatibus, Comitatibus, Baronati-
[illegible] tatibus, castellis: cum omnibus i-
[illegible], Ecclesiastica & secularis iuris-
[illegible], ornamentis, munijs, bonis, redi-
[illegible], fructibus, confiscationibus, mulctis,
[illegible] fructu, iure patronatus, omnibus de-
[illegible] priuilegijs, honoribus, iure, quod in
[illegible] omnes & singulas habuimus, cedimus;
[illegible] filia nostra, vti a nobis possessa & vsur-
[illegible] & vsurpari volumus: cui volunta-
[illegible] presentis scripturæ vitiū (si quod
[illegible] vitium obstabit: hactenus tamen vt
[illegible] omnia capita, & præter ea, quæ à patre
[illegible] memoriæ anno millesimo, quingē-
[illegible] quinquagesimo, mense Nouembri, sanci-
[illegible] seruentur: quorum vno illud contine-
[illegible] prædictas Belgiæ prouincias, quibuscunq;
[illegible] quocunq; modo vel ratione, disiungere lice-
[illegible] separare. Volumus etiam, idque hac scriptura
[illegible], vt filia nostra & futurus eius maritus
[illegible] Albertus omne æs alienum, quo vel à nobis
[illegible] nostro Imperatore Carolo, patrimo-
[illegible] in Belgica prouincijs & Burgundia gra-
[illegible] exsoluant, itemq; ratas omnes, quæ vel à
[illegible] patre nostro in quascūq; personas factæ sunt,
[illegible] donationes. His igitur conditionibus filiam
nostram, infantem, Belgicarum prouinciarum, Bur-
gundiæ, Carolasij, dominam pronunciamus, declara-
mus, [illegible]upamus: ac præter singularum dictarum

Anno 1598. *prouinciarum titulos, Burgundici etiam Ducatus titulum vsurpandi ius concedimus: (quem eundem tamen, vt & ius omne, quod in modò dictum nobis competit Ducatum; speciatim verò summam aurei velleris, de eo in posterum pro nostro arbitrio statuendi, potestatem nobis etiam & filio nostro Hispaniarum principi, quoad nobis videbitur, retinemus, & excipimus.) potestatem ei insuper damus absolutam & irreuocabilem plenariç possessionis omnium suprà dictarum regionum vel suo vel futuri mariti nomine capiundæ, comitiorum habendorum moderandorumque, provt consultissimum ei videbitur, iuramenti subditis præstandi, ab ijsque accipiendi; omnium denique faciundorum, quæ ab ijs, qui prædictos principatus ineunt, fieri solent & debent.*

Interea verò dum hæc confiunt, & tantisper quoad confecta fuerint, rerum summam in nostra volumus esse manu. Et quò hęc ad eorum omnium quorum interest perueniant notitiam: hoc apertum diploma, voluntatis nostrę testimonium, filię nostrę prędictę exhiberi & tradi iubemus: cui eidem magistratuum creandorum, legendorum iudicum, constituendi ærarij, omnia denique summi magistratus munia vsurpandi, vti à nobis vsurpata sunt, vel vsurpari potuissent, facultas esto: ita tamen vt quę supra fieri iussimus, ea omnia & singula damnás sit facere. atque hunc in finem omnes Episcopos, Abbates, Prçlatos aliosque è sacerdotum ordine: omnes item Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Gubernatores, Chiliarchas, Centuriones: omnes item Collegiorum prę sides, Cãcellarios, iuri dicundo præfectos, comarchos, silentiarios

palatiorum, arcium, aut quorumuis oppidorum custodes, Anno
capitanei, clientes, ciues inquilinos Belgicarum prouin- 1598.
ciarum, Burgundię, & Carolęsij, iuramento fidelita-
tis & obsequij, sacramentoq; quo nobis obstricti tene-
bantur, exsoluimus: vtque Infantem filiam nostram,
eiusque futurum maritum pro legitimis dominis ag-
noscant, habeant, colant, venerentur, in verba eorum
iurent, omnia denique faciant, quę bonorum subdito-
rum est facere, mandamus. Atque vt ne quid omnino
sit quod Donationi huius Cessioni vel Transportatio-
ni obstare possit, supplentes, volentes, ex regię potestatis
plenitudine, qua nobis vti visum nobis est, derogamus
omnibus legibus, constitutionibus, consuetudinibus, &
quibuscunque huic nostro facto repugnare & contraue-
nire videntur. Est enim hęc animi nostri sententia, &
liquida voluntas. Vtque his omnibus quęcumque heic
perscripta sunt, pondus, fides & auctoritas addatur:
manu nostra subscripsimus, signumque nostrum impri-
mi, et in actis referri iussimus: &c. Actum Madritij
Carpetanorum, 6. May, MDXCIIX.

Hisce ita, vti iam diximus, confectis: matrimonioque in has leges inter Archiducem Albertum & Isabellam Hispaniarum Infantē contracto, fratris super ea re consensus fuit requisitus. Is sorori vnice gratificari cupiens, statim præsentes litteras expediri iubet.

Approbatur donatio Isabelæ à patre facta, per fratrē Principem.

Philippus, DEI gratia, Princeps, filius vnicus & hæres Hispaniarum, regionum, & dominiorum Philippi II. regis, domini ac patris nostri, vniuersis præsentibus & futuris, halce litteras lectu-

Anno 1598 lectitis, aut legi audiueris. Quandoquidem dominus ac pater noster, Infantem serenissimam, Claram Eugeniam, sororem nostram charissimam, Archiduci Alberto, auunculo & cognato nostro, nuptam dare decreuit, & eidem ob graues seriasq; boni publici causas, maximè verò, ad quietem & tranquillitatem Belgicarum regionum restituendam & promouendam, nostramque sororem pro dignitate eius eximia & meritis ornandam & cohonestandam, Belgicas, Burgundicasque donare prouincias de nostro consensu, statuit: notum facimus, Nos rebus supradictis vniuersis & singulis consideratis, expenso etiam communi Christiani orbis bono inde prouenturo, & amore singulari quo dictam nostram sororem, vti par est, ob multa & magna eius in nos merita, prosequimur inducti: eadem laudamus, approbamus, & rata habemus, per hanc nostram scripturam, non obstante quocunque detrimento, quod vel nobis, vel successoribus nostris, nunc vel posterius existere inde queat. Et eadem de causa assentimur & concedimus, vt dictæ prouinciæ Belgicæ cum Burgundiæ & Carolæsij Comitatibus in rem sororis nostræ cedantur, transferatur, & donentur, eo modo quo pater noster eas cessit & donauit, aut quo fieri potest optimo, firmissimeque: Atque ad maiorem fidem, corroborationem, & stabilitatē eorum, quę pater noster de ijsdem in fauorem sororis nostræ disposuit & decreuit: nos similiter, si necesse est, in fauorem eiusdem, eadem forma & modo, vltrò ac sponte nostra, re nulla cogente, aut vim adhibente, sine fraude & dolo, nec auctoritate, aut reuerentia paterna moti, neque suspicione vlla, vel metu, nec iuris, vel facti ignorantia, disponimus & sta-

& statuimus. Est enim sententia nostra & voluntas, vt dictæ prouinciæ ad dilectam sororem nostram, Infantem, Isabellam Claram Eugeniam, eiusque successores pertineant, iuxta dictam patris nostri dispositionem. Quod vt plenum & integrū effectum consequatur, & in perpetuum firmum sit & stabile, omni beneficio, quod vel nobis, vel illi de iure competere, aut his aduersandi materiam dare posset, in fauorem sororis nostræ, nostro & successorum nostrorum nomine, restitutioni etiam in integrum hoc ipso renunciamus. Certa siquidem & determinata nostra voluntas est, ne res vlla contra hanc donationem, concessionem & translationem dictarum prouinciarum forma & modo supradictis factam, vim habeat vllam. Quapropter iuramentum, tactis manu nostra sacrosanctis Euangeliis, diximus & præstitimus, nos ea obseruaturos, prȩstituros, completuros, & exactè obseruari, præstari, & compleri facturos, nullaque excusatione vel exceptione vsuros, aut quemquā nostro nomine vti permissuros. Pro qua re fidem nostram, vt principis veracis, interponimus; promittimusque daturos nos operam, vti hæc omnia, vti perscripta sunt, efficiantur: quia hæc, vt diximus, spontanea nostra est & deliberata voluntas. In cuius rei fidem præsentes litteras patentes manu nostra subscriptas expediri, & per status rerum Belgicarum & Burgundicarum patris nostri Secretarium subsignari iussimus, magno regiæ Maiestatis sigillo funiculis aureis appenso, præsentibus testibus in eam rem vocatis, D. Gomesio de Auila, Marchione de Velada iuuentutis nostræ moderatore, magnoq; œconomo nostro: D. Christophoro de Mora, Comite castri Rodericij, magno militiæ

Anno 1598.

Anno 598. tiæ Alcantaræ Commendatore, sacri cubiculi regij corporisq; custode: D. Ioã. de Idiaques, magno Legionis Cõmendatore, consilij, q Status vocant, senatoribus: & D. Nicolao Damãtio equite, qui & ipse à consilijs Status est, & Sigillorũ regiorum ad prouincias Belgicas & Burgundicas spectantiũ custos, ac Brabantiæ Ducatus Cancellarius, &c.

Belgici ac Burgundici Principatus cessionem hoc modo à rege patre factam, à principe filio cõprobatã, Infãs Hispaniarũ statim acceptauit, ratãq; habuit, hanc in formam concepto Instrumento:

Isabella Infans cessionẽ. accipit. Isabella-Clara-Eugenia, Dei gratia, Hispaniarũ Infans, vniuersis præsentibus, & futuris, has litteras inspecturis, vel recitatas audituris. Quemadmodum pro affectu & amore singulari, quo rex Catholicus, clementissimus dominus & pater noster, nos semper prosecutus est, & pro omni fauore & beneficijs nobis præstitis, iam pridẽ illi placuit, serenissimo Principe Philippo fratre nostro assentiente, prouincias suas Belgicas & Burgundicas nobis cedere, donare & concedere, sub certis quibusdã legibus, &c. Notum facimus, Nos magni vti par est, beneficium hoc æstimantes, quo rex pater & princeps frater nostri nos afficere voluerũt & pro ipsorum splendore & magnitudine, se in rem nostram munificos exhibere: eandẽ donationem, concessionẽ, & translationem, nostro & successorũ, quantum ad eos spectat, nomine, acceptasse & recepisse, eaq; forma ac modo, quibus de iure id fieri potest, acceptare & recipere ex libera nostra & vltronea volũtate, non interueniente vllius persuasione, sine iuris & facti ignorãtia, nullo etiã respectu, aut paterna reuerẽtia, vel metu, nos ad onera & cõditiones quib. dictæ prouinciæ per litteras nobis cessæ, donatę, vel cõcessæ sunt, hac scri

pura obligantes. Quare promittimus nos ijsdem animū adhæsuras, nec secus facturas, vel in vniuerso, vel in parte, in præsens, aut in posterū, neq; secus fieri cōsensuras aut permissuras; sed ea omnia obseruaturas, & exactè executuras & cōpleturas sine defectu aut deminutione: immò si quid secus factum fuerit nos pœnis in formula prædictæ Cessionis expressis, ijsq;, quæ de iure in trāsgressores sunt statutæ, obnoxias submittimus: vt omnino modis ea, quæ in patētib⁹ literis cōtinētur, inuiolatè & integrè seruētur, fiāt & cōpleātur, ex arbitrio & volūtate regis patris, & principis fratris nostri, cui nostrū quoq; adiūgimus assensū. Ad maiorem quoq; securitatē & firmitatē, omnib⁹ & quibuscunq; iuribus & cōsuetudinib⁹ q̄ pdictis aduersantibus scriptura renūciamus, neq; quicq̄ validum esse volumus, nisi in euētum integri cōplemēti et obseruationis omniū eorū q̄ in pdictis literis patentibus sunt expressa. Præterea cōsiderato beneficio et fauore à patre nostro, et principe fratre nobis præstito, nobisq; satisfactū esse cognoscētes, plus q̄ ex iure paternæ hæreditatis et dotis maternæ partes nobis debebantur: dictæ paternæ portioni legitimæ et doti maternæ renūciauimus et renunciamus expresse per præsentes, et non vltrà, idq; in patris nostri et Principis fratris fauorē: ita vt eā ob causā nihil petere possimus, nisi in casu expresso, quē patri declarare placuit in dictarū puinciarū donatione, cōcessione, translatione nobis facta. Iuramus denique per sacrosāct. Dei Euāgelia, quæ manu nostra tangimus, nos neq; ab ijs, q̄ hac acceptationis ratificationisq; testificatione cōphēdūtur, nec in parte contrauēturas, nec præsenti, nec futuro tēpore, quacūq; de causa, quocumq; modo, discessuras, aut secus aliquid facturas. In quorum fidem præsentes has litteras

Anno 1598.

Anno 1598. fieri, manu noſtra ſubſcriptas, & per Secretarium Status Regis, patris noſtri, quo in Belgicis ac Burgundicis rebus vtitur, ſubſignari, magnoque regio ſigillo communiri fecimus, præſentibus & ad teſtimonium vocatis ijſdem qui ſupra ſunt ſcripti. &cæt.

Literis his publicis ita confectis: regis filius venerabundus patris manum exoſculatur, eique pro beneuolentia ſuam erga ſororem, meritiſque gratias agit: inde ad Infantem cōuerſus, ei de eo quod factum erat gratulatur, multa bona precatus. Idem deinde ab Infante factum. Sequens veſper per ludum & lætitiam ab aulicis tranſactus: quam tamē regis valetudo nonnihil turbauit. Biduo poſt, qui octauus erat Maij, in aulam venit Imperatrix, regis ſoror, eademque Alberti Archiducis mater, comitantibus Legato Imperatoris, Marchione de Vellada, Chriſtophoro de Mora, Ioanne Didiaco, alijſque: quibus præſentibus, Hiſpaniarum Infans Iſabella-Clara-Eugenia Alberto Archiduci, pro quo mater ſtipulabatur, abſenti deſpondetur. Cærimonijs peractis, noua nupta cum amita, eademque ſocru iam ſua, amiciſſimè congreditur, & oſculo excepta dimittitur. Translato in Infantem rerum Belgicarum dominio, quas tum Albertus pro rege adminiſtrabat: publicum diploma ab Infante ad ſponſum ex Hiſpania mittitur, quo is ad capiendam poſſeſſionem conſtituitur, hac forma:

Inſtrumētum procuratorium Iſabellæ ad Albertum. Iſabella Clara Eugenia, Dei gratia Hiſpaniarum Infans, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi & Geldriæ, Comes Flandriæ, Arteſiæ & Burgundiæ, Palatina etiam Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Namurci & Zutphoniæ, Marchio S.R. Imperij, Domina Friſiæ, Salina-

tum

rū & Machliniæ, ciuitatis & ditionis Vltraiectinę, Anno Trans Isalanæ, & Groningæ: Vniuersis & singulis 1598. præsentibus & futuris, qui vel ipsi litteras has legent, vel legi audient. Quandoquidem reipublicæ Christianæ bono, & priuato Belgicarum prouinciarum commodo, alijsque de caussis, regi, domino ac patri meo visum est, ad promotionem futuri nostri matrimonij cum Alberto Archiduce, cognato nostro charissimo, præcedente Pontificis maximi dispensatione, & Principe potentissimo, Philippo, fratre nostro, consentiente, approbante & ratum habente, vniuersas Belgij & Burgundiæ ditiones nobis cedere, donare & conferre, iuxta publicarū litterarum, ipsorum manibus signatarū, & pridie Nonas & Maij expeditarum tenorem; nobis quoque, vti liquet ex eodem diplomate, eam donationem cessionemque acceptantibus, vt eæ Belgicæ & Burgundicæ prouinciæ à nobis, heredibus & successoribus nostris habeantur, retineantur, & ea forma, modo, & conditionibus, quæ in prædictis literis publicis expressæ sunt, possideātur: data quoque & concessa nobis facultate, absoluta & irreuocabili potestate, vt priuata auctoritate nostra, nulla alia permissione requisita, per nos vel nostro nomine, per futurum maritum nostrum Archiducem Albertum, misso ei procuratorio, dictarum Belgicarum prouinciarum, & Comitatus Burgundiæ ac Carolæsij integram plenamq; possessionem capere & apprehendere possemus, & in eo negocio omnia gerere & facere, quæ in dicto diplomate publico continentur: notum facimus, nos ob caussas suprà recensitas, & vt regiæ voluntati in omnibus obsequamur, eaq; omnia præstemus, quæ ante nostram in Belgium profectionē

Anno 1598. fieri omnino debent, ex certa nostra scientia & potestatis plenitudine, auctoritatem & mandatum absolutum & irreuocabile, cum omni facultate, generali & speciali, dedisse, concessisse, & per præsentes literas dare & concedere marito nostro futuro Archiduci Alberto, vt nostro nomine, & ex parte nostra, per se, vel per alium, quem substituet, prout ipsi videbitur, virtute præsentium, semel aut sæpius, vniuersa & singula faciat, quæ nomine nostro & ex parte nostra, de prouincijs Belgij omnibus, & Comitatu Burgundiæ & Carolæsij generaliter & per Ordines singularum prouinciarum requiruntur & necessaria erunt, ad capiendam, apprehendẽdã, habendam & tenendam nostro nomine integram, realem, plenamque possessionem omnium & singularum dictarum prouinciarum, omniumque rerum dependentium, vt integrè, pacificè, & sine contradictione aut impedimento ijsdem frui possimus: Ad Ordines prouinciarum generales vel priuatos conuocandos & congregandos, ad præstanda nostro nomine iuramenta requisita, & ad eadem ab Ordinibus alijsque recipienda, pro consuetudine; & ad omnia facienda & exsequenda, quæ in ijs rebus personaliter præsentes facere & exsequi possemus: etiamsi aliquid amplius foret quod mandatum requireret magis speciale & restrictius, quàm quod his litteris continetur. Quocirca verbo Principis, & quantum nostri honoris existimationem saluam esse cupimus, spõdemus & promittimus, nos gratum, firmum, ratũq; habituras, obseruaturas, ac vt obseruentur curaturas, & bona fide impleturas in perpetuum, quidquid per dictum Archiducem Albertum futurum maritum nostrum, ac per eos, quos sibi ipse sub-

stituet

stitues, aut ex vi huius diplomatis iam substituti sunt, quantum ad realem, plenamque prouinciarum Belgicarum & Burgundicarum possessionem, sub forma & modo suprà in publico cessionis, donationis, transmissionisue diplomate, ad quod nos referimus, expressis, actum, gestum, & confectum fuerit: quibus etiam rebus nunquam aduersabimur nec directè, aut indirectè quemquam aduersari vllo modo patiemur. Ita enim fieri nobis placet. &c. Madricij prid. Calendas Iunij CIↃ. IↃ. IIC.

Anno 1598.

His mandatis acceptis; Archidux Albertus Ordinum omnium comitia ad 17. Cal. Septemb. indicit, quibus de voluntate regis cognosceretur, atque interim de statu prouinciarum componendo ageretur. Eorum quis euentus fuerit, paulò post à nobis dicetur.

Anglia regina cum ordinibus Belgicis cōfederatis agit.

Facta inter Hispaniæ & Galliæ reges pace: multus de ea quoque in Anglia passim rumor ferebatur, omnium animis in earum rerum, quæ tum tractabantur, euentum erectis. Nam & regina Angliæ Belgicarum prouinciarum traditionem suspectam habebat: & à federe diuulso iam Gallorum rege, vt in vnam se omnis Hispanorum vis conuerteretur, metuebat. Spes tamen aliqua erat in Belgorum cōfederatorum armis: quorum vt sententiam exquireret; Legatum ad eos misit Franciscum Verium, equitem notæ fortitudinis, cum his ferè mandatis: Quæ de pace inter Hispanos & Gallos acta essent, iamque agerentur, quæque ex his consecutura essent prospicientem se idoneum hominem in Gallias misisse, ad exploranda ea, quæ ad conseruandam PROVINCIARVM salutem cognitu necessaria essent; in primis illud, vtrum in ar-

Anno mis an pacificatione melior tutiorque spes esset.
1598. Oblatas sibi pacis conditiones:eas tamen hactenus repudiâsse;quod tanta in re nihil ipsis inconsultis, præcipitandum videretur: Galliarum interim regem ad sui regni vtilitatem & tempora, consilia sua accommodâsse. Iamque sibi multò grauiora aduersaria constituta esse, facilè intelligere;quod inuidia tàm atrocis & pestilentis belli in solam sesessura sit:pacem tantoperè cupiente, aut certè cupiditatem eius simulante Hispano; in quam desinant tandē bella omnia,quæ præsertim inter Christianos geruntur,necesse est. Ea de re cum Legatis ipsorum collocutam:qui cum excusarent se,nihilque eorum quæ ad pacis cum Hispano tractationē pertinent, in mandatis habere se dicerent, quæsiuisse, ecquid de subsidijs & rationibus belli gerēdi mandatum à suis accepissent. Quū & hîc quidquam sibi mandatum negarent: iustam sibi cōquerendi fuisse caussam; quod nec pacem facere vellent,nec quibus commodè bellum hoc grauissimū geri posset,rationes in promtu haberent. Aequum enim sibi videri,vt si quum alijs caussis, tum etiam confederatorum commodis, quorum caussam prodere nollet,à pacis tractatione abduci se pateretur, intelligat etiam quomodo eorum opibus ad sui aut potius communem defensionem vti possit. Antea quidem non semel ea de re conquestam esse:responsum tamen,in quo acquiescere posset, nullum hactenus accepisse. Quos sumptus fecerit, quæ pericula, quæ odia in se prouocârit in Belgij libertate,rebus pœnè deploratis,vindicanda; scire ipsos quàm optimè: nec arbitrari quemquam tam impudentem fore, qui non maiora quam sperauerant auxilia à se præstita fateatur. Summam rerum

rum, ad se delatam, recusâsse: quod tamen de su[illegible] p-tibus rependendis promissum fuerat, acce[illegible]isse. Anno 1598.
Non esse ergo vt pro numorum repræsentatione, verborum in co[illegible] tractu quærant & comminiscantur per cauillum interpretationem: Certè neo, inquit, exemplo moniti reges haud ita facile fortunã suam rebus eorum miscebunt, quos ex aliorum incommodis sua tantùm comparare commoda animaduerterint. Proinde non quis præsens sit rerum vestrarum status, sed qui olim fuerit quum ad nostram opem tam cupidè quàm trepide confugistis, cogitandum vobis est: qui certè, vt quam leuissimè dicam, dubius admodum fuit & periculosus. Et quia alterutrum faciendum est, vt aut pacificandi ratio cum hoste ineatur, aut bellum ijs viribus geratur & continuetur, quæ diuina ope subnixæ, prope certam boni & felicis exitus spem præbeant: equidem non video, cur si hoc minus detur, illud alterũ reijcere debeã, præsertim quum prona & facilis videatur compositio futura. Nec enim HISPANVS quidquam mihi vi ereptum tenet: successus verò belli inter nos gesti is fuit, vt iactandi se nullam habeat caussam. Ad bellum verò persequendum si vel alia omnia inuitent; vix tamen sinunt ærarij angustiæ, quod ego pœnè vniuersum in bellum hoc effudi: cuius a vobis suscepti onus quum ferre non possetis, mihi haud sanè minimam eius partem imposuistis. Neque verò hæc eò à me dicuntur quod caussæ vestræ susceptæ me pœniteat: sed vt intelligatis, par esse, vt cuius opera maximè, secundum DEVM, in libertatem, atque adeò etiam non pessimum statum restituti, opibusque pro vestris vsi estis; ei tandem

Anno 1598. aliquam non verbis tantùm, sed reipsa gratiam persoluatis: quum alios pecunia & armis inueritis. Equidem quantam inuidiam è bello hoc sustineam: vel nuperum IMPERATORIS decretum, quo is omnes meos ciues, mercatores, Imperij finibus exegit, testimonio est: quam pacis; quæ iam procuratur, refectio, non parum, vt credibile est, augebit. Interim tamen illud vobis persuadeatis velim, nullius consilij me vobis auctorem fore, quod quidquam securitati vestræ detrahere, rebusue nocere queat: hoc saltem veris & solidis rationibus demonstrari cupio, tutissimum scilicet esse ab omni pacis tractatione abstinere. Super his mandatis concilio habito; Ordines confederati, qui iam antè bellum cōtinuare, ac non modò pacem, sed ne inducias quidem vllas facere decreuerant, ad reginam, quam & æqua postulare, nec paci admodum fidere animaduertebant; honorificam mittunt legationem, quæ eam de rebus omnibus ad pacem & bellum spectantibus edoceret, & debiti parte aliqua repræsentata, ad fœdus tuendum contra Hispanos sollicitaret. Die 23. Iulij ad reginam introducti, legationis suæ capita exponunt: à qua generali accepto responso, ad delectos quosdam è primoribus suis fuêre remissi. Post variam disputationem in hæc capita fuit conuentum: Vti Contractus anno 1585. cum regina initus, exceptis quæ ad reipublicę administrationem pertinent, cetera vigorem suum retineat: Ordinum senatui vnus aliquis à regina delectus, vt antè, ita posthac quoque intersit, qui eum de rebus omnibus, quas scire ipsius intersit, faciat certiorem: regina auxilia, si quæ Belgis præstare velit, ex voluntate sua moderetur; hocq; cumprimis quod in prædicto

Hollandorum ad postulata Angliæ responso.

Cum ea Contractus.

Con-

Contractu est, de suppetijs ferendis, irritum, nisi quantum velit, intelligatur: vti militem in Anglia Anglis ductoribus conscribere Ordines ne prohibeantur: si Hispani, belli faciendi caussa in Angliam descenderint; Ordines quinque peditũ millia, equites quingentos auxilio mittant: Classi Anglicanæ, si qua contra Hispanos ornetur, triginta vel quadraginta naues adiungant. Debiti summa ad octingéties mille libras Anglicas fuit reducta: quarũ singulæ aureos habent Brabãticos decem, plus minus. Exinde solutioni præstituti dies, vt scilicet dena quina librarum millia præsenti & proximè sequenti annis, numerarentur; inde tricena millia quotannis, quoad bellum duraret, & debiti semissis esset persoluta: de reliqua solutione tum ageretur, quum Angla de pace cũm Hispanis agere vellet: mille centum quinquaginta præsidiarijs in ijs locis, quæ hypothecæ nomine Anglis tradita essent, stipendium Ordines, ceteris Angla numeraret: pars vtraque actionibus omnibus, quas altera alteri intentare posset, abstineret, exceptis quas Spinola, & Horatius Palauicinus prætenderent: in ceteras verò prouincias, quæ extra fœdus essent, ius suum integrũ regina haberet. His ita rebus cõfectis, Legati adulta iam æstate in Hollandiam redierunt. Ceterum bellum renouari, Angli nõ molestè ferebant. Homines enim naualibus copijs instructissimi magnã sibi & continuã veluti ꝓ certo spondebãt prædã; ꝗ & naues omnes, quæ in Hispania cursũ tenerẽt, inuolare, & si quid rerũ vetitarũ portarent, diripere; quæ verò merces ex Hispanijs peterẽtur, facilè eas ab vicinis sumere liceret. Nec verò magnoperè sibi metuẽdã Hispani potẽtiã existimabãt; cuius ditiones vt lõgè lateq; atque adeò

Anno 1598.

Anno 1598. per vniuersum orbem terrarum sparsæ sunt; ita ad omnem iniuriam magis opportunæ videbantur, Indiæ præsertim, è quibus non semel suos cum ingenti præda rediisse meminerant.

Aquisgranenses proscripti. Aquisgranensibus, qui superioribus annis tumultuati fuerant, & nonnullos, qui minus placebant, magistratu deiectos, vrbe expulerant, mense Iulio, Cæsar aqua & igni interdixit. Coloniensi & Treuerensi Archiepiscopis, Duci item Iuliacensi negocium datum, vt rebelles ad parendum vi cogerent: quod si ad id efficiendum satis virium non haberent, Alberti Archiducis auxilio, qui paratum iis in locis habebat exercitum, vterentur. Ciuium animis hoc insperato ictu vehementer attonitis: Senatorum quidam, aliique, qui hoc mandato se præcipuè peti intelligebant, profugiunt; ceteri magistratu se abdicant; de communi tribuum sententia, ad quas imperij summam magistratus detulerant, Lutherani concionatores profligantur. Interea Iuliacenses, itemque Limburgicæ copiæ agros omnes occupant, ex ijs pecora abigunt, prædasque agunt. Ciues de rebus suis solliciti, viribusque ad vim repellendam diffisi, per internuncios Archiepiscopum Coloniensem orant & obtestantur, vt arbitrum se interponat, atque imminentem à se tempestatem auertat, tantisper dum controuersiæ omnes componerentur, Cæsarisque & Imperij mandatis satisfieret. Is assentiēs, cum vicinis Principibus agit, vt res sine armis disceptetur. Quo impetrato: exsules restituuntur, magistratus omnes Catholicis mandantur; cultus omnes religionis ad veteres Romanæ Ecclesiæ ceremonias reducũtur, his frementibus, illis in lætitiam effusis.

De maritimis Hollandorum in Indias expediti-

onibus

onibus suprà aliquid à nobis dictum est; quarum Anno
id fuit consilium, vt Hispanis quibuscumque pos- 1598.
sent rationibus vires detraherent; suasque opes ex *Insula Prin-*
ipsorum detrimentis augerent. Ad id perficiendũ *cipis à Se-*
priuati quidam mercatores, inter quos præcipuus *landis occu-*
Balthasar quidam Musseronius, de Comitis Mauri- *pata.*
tij, rei maritimæ præfecti, & Ordinum vniuerso-
rum consensu, naues quinque ornant, & militibus
centum quinquaginta, & ducentis classiarijs im-
positis, ad occupandam Principis Insulam mittũt:
quod ea magnas in Indiam nauigantibus commo-
ditates allatura videretur. Nam & nauibus statio-
nem habet satis tutam, & vel maximæ classis capa-
cem: & ipsa regio frugibus & pascuis fęcunda est,
amœnitate verò & fructiferarum arborum pro-
uentu nulli cedit. Naues hæ quas diximus è portu
Campverano 28. Martij egressæ, Augusto demum
mense in prædictam Insulam appulsæ sunt, diu ad-
uersis tempestatibus iactatæ. Erat iam antę notũ
inter Insulanos, commerciorum frequentia, Mus-
seronij nomen. Egressus igitur in terram nepos e-
ius, incolis persuadet, ipsum ad classem pręsentem
esse Musseronium; velle suorum, qui sæpius illic
præternauigarent, eis commẽdare salutem. Vt ad-
essent rogati honoratissimus quisquę, quique ijs
in locis cum imperio erant, naues ingrediuntur.
Lautè, honorificeque exceptis; diploma Mauritij
Comitis, & Musseronij litteræ exhibentur, quibus
caussa ipsorum aduentus explicabatur; simulque
rogantur Insulani, vt classi præfectis dicto audien-
tes, inque eorum ditione & potestate esse velint.
Re inopinata perculsi Insulani, quum insidijs se
circumuentos cernerent, nullam sinistræ volun-
tatis dant significationem; sed promptè in verba

Anno 1598. Mufferonij, præeunte Iuliano Clerhagio, militum prefecto, iurant; quem Mufferonij legatum, & prædictæ Insulæ gubernatorem proclamant. Triduo post Insulani, conspiratione facta, magnis viribus Mufferonianos oppugnant; à quibus, locorum, quæ iam occupauerant, commoditate fretis, non sine cæde reiecti, ad interiora Insulæ se receperũt. Mufferoniani, vt incolarum animos, quos vi cogere difficile erat, mansuetudine delinirent; Edictũ promulgant, quo ad prioris facti impunitatẽ, spem omnibus ostendant; quæ res sesquimestrem ipsis peperit quietem. Interea arci exstruendæ fundamenta iaciunt: sed quũ segnius aliquantò Clerhagius ageret, quàm res postulabat; ac suæ magis quàm eius, cuius vices agebat, vtilitati studeret. Insulani, ne ceruicibus suis iugũ imponeretur præuertendũ sibi rati; denuò coniurant, & de munitionibus disturbandis consilia occultè agitant. Caput cõspirationis fuisse dicitur, quidã è sacerdotũ ordine, qui religionẽ ijs in locis procurabat. Ad eum siue verè, siue falsò insimulatum, comprehendendum missi Franciscus Fortius, Mufferonij alter nepos, & Stephanus Quaresimus, quorum hic rerum capitaliũ iudex, ille ærarij præfectus erat constitutus, à domesticis Patris Vicarij occiduntur: idem non multò post comprehensus, capitis damnatur, & laqueo vitã finit. Quum iam res ad apertum bellum spectaret: Insulani Antonium Menesium, Santomæ propinquæ insulæ, gubernatorem, in auxilium vocant: cuius viribus freti, facilem sibi de peregrinis, ijsq; non adeò multis, promittebant victoriã. Nam & classiariorum magna pars morbis, è victus intemperãtia contractis, perierat: nouũ gubernatorẽ non tantũ rei malè gestę, sed et

iam

iam perfidiæ insimulatũ animi ægritudo confecit. In eius locũ suffectus Strebosius quidã, tribus septimanis eo honore, deinde vitã functus est. Amissis ducib⁹, & classiarijs multis extinctis, quũ graue bellum impenderet, & subsidiorum spes longa esset: quidquid possunt in naues comportant; flammisq; in ædificia iniectis, insulanis damnosissimæ, sibi verò laboriosæ admodũ & sumptuosæ expeditionis fructum, haud ita magnum, domum secũ retulère. Anno 1598.

Mense Augusto, Angli in Hibernia non mediocrem cladẽ receperunt. Tironius enim castellum ab Anglis ad Eagum lacũ, non procul ab Armaga oppido, exstructum oppugnabat. Ad obsidionem soluendã missus, Henricus Bagnalius, quanta colligi poterat, cum manu Hibernorum castra benè munita, præter opinionem offendit. Hiberni enim locis munitis se includere pro timiditatis signo habent; sed viri existimant, spem omnẽ in armis positam habere. Angli castrorum oppugnationem 24 Augusti aggressi, magna cum cæde ab Hibernis reijciuntur; multisq; centurionibus desideratis, præcipiti fuga pars Armagam, pars in locum obsessum se recipiunt: vbi fame & oppugnantium ferocia compulsi, non ita multò post, vitã modò & incolumitatem pacti, hostibus sese dedunt. *Anglorum clades in Hibernia.*

Comitia ad 18. Cal. Sept. Bruxellæ ab Alberto Archiduce indicta, magna Ordinum frequentiâ celebrata sunt. Initio Archiepiscopus Machliniẽsis causam huius cõuẽtus, latina, breuiq; oratione exposuit: vt nimirum de prouinciarum cessione, & translatione, communi consilio ageretur. Prolatis, lectisq; publicarum litterarum exemplis, archetypi inspectio ab omnibus est postulata. Cũq; *Comitia Bruxellæ habita.*

de fine

Anno 1598. de ſingulorum Legatorum inſtrumento procuratorio exhibendo ageretur, pleriſque refragantibus, quod quædam peculiaria legationis mandata, in ijſdem inſtrumentis afferrent contineri, omnibus ibi præſentibus de idoneo mandato & auctoritate proſpectum eſſe declarantibus, placuit & conuenit, vt facta à ſingulis mandati ſui editione Philippo Maſio Ordinibus Brabantiæ à conſilijs & ab actis, ſatis de omnium auctoritate conſtaret. Euicit quoque ſuffragiorum numerus, vt octo dierum ſpacium ad deliberandum à ſua Celſitudine peteretur. Poſtero die in frequenti omnium conſeſſu, quaternæ tabulæ originales, regis donantis, filij Principis annuentis, Infantis donationem acceptam habentis, futurumque maritum, Archiducem conſtituentis, à dicto actuario perlectæ ſunt, & ſingulis legatis archetypus ſubſcriptionũ oſtenſus. Quibus peractis, Præſes Richardottus in concilium ingreſſus eſt, qui ſuam Celſitudinem haud longiorem quatriduo moram concedere illis poſſe certis de cauſis, declarauit, & vt ſinguli mandatorum ſuorum inſtrumenta ipſi traderent, poſtulauit. Cui inde egreſſo, paulò poſt reuerſo, graphiarius omnium nomine reſpondit, ad exhibendum procuratorium paratos eſſe omnes: Brabantiæ verò Ordines, ſi imparati eſſent, haud procul tamen abeſſe. Quibus ſeorſim accerſitis, Præſes omnem difficultatis quo offendebantur, ſcrupulum exemit, vt ſentẽtiam ſuam, de Principe recipiendo, poſtero die prolaturos ſe promitterent; ſi reliqui legati idem facerent, quam primùm decerni de re ſumma poſſe. Poſt triduum denuò cõuenerunt, ac ſinguli aliarum prouinciarum Legati conſilia cum Ordinibus Brabantiæ contulerunt.

Po-

Postridie cùm omnes iterum conuenissent, coram dicto Præside, Ordines Brabantiæ per suum Graphiarium sententiam protulerunt, qui palàm pronuntiauit, Ordines ita censuisse: se Alberto Archiduci, serenissimæ Infantis nomine, tanquam Principis legitimæ harum prouinciarum iusiurandum dicere paratos quidem esse, si mutuum ipsis iusiurandum præstetur, & de obseruandis patriæ priuilegijs, & de ijs sarciendis, quæ contra maiorum instituta & auspicia innouata aut abrogata sunt, iuxta formam scripto exhibendam, promisso caueatur: denique vt res quædam spectantes ad rempublicam, quæ recensebantur, suæ Celsitudini per libellum declarentur. In hanc quidem sententiã omnes transierunt: & de legatione ab Ordinibus vniuersis in Hispaniam mittenda similiter cõsenserunt; nisi quod nonnulli ampliori mandato opus sibi esse dicerent. Gratiæ à Præside Ordinibus sunt actæ, de propensa omnium ad dicendum iusiurandum & recipiendum voluntate. Dies huic rei proponendæ posterus, locus in magna palatij aula dictus est. Ibi exortis inter Ordines sermonibus de eo constituendo, qui ad propositionem, omnium nomine responderet: Brabanti sui hoc iuris esse asserebant, tum quod Brabantia prima ordine sit prouincia, & proinde consessus prærogatiuam habeat; tum quod apud ipsos comitia agerentur: quam tamen rem ad iniuriam cuiusquam, quæ in tali casu ius aliquod prætenderet, prouinciæ pertinere se nolle, publicè sunt protestati. Omnium demum offensu, relatuque Præsidis, partes respondendi Philippo Masio delatæ, & ab eo susceptæ sunt. Die itaque & loco, dictis conuenerunt Brabantiæ & aliarum prouinciarum Ordi-

Anno 1598.

nes

Anno 1598. nes. Archidux Albertus, cum familia Palatina, aurei velleris equitibus, prouinciarum præfectis, cõsilijs status, priuato, & ærarij magistris, præeuntibus caduceatoribus, magnaque diuersarum nationum frequentia comitante, in consessum venit, solioque editiori, & splendidè apparato consedit. Facto silentio, omnibusque ad attentè audiendum compositis, præses Richardottus, hanc habuit orationem:

Richardotti ad Ordines oratio. Si quæ vobis declaranda in mandatis habeo de conuentus huius causa, Ordines amplissimi, ignota vobis essent, & si apud eos, qui rerum quas tractamus multò antè non essent facti certiores, verba facturus, primus nuncium adferrem, cuius nouitate magnopere perculsos vos fuisse certè scio: magis equidem commouerer, aliumque oratorem ad dicendi munus eligi, & desertiorem præferri mihi optassem, qui eodem tempore quum animis ægritudinem non vulgarem accepistis, lenire hũc dolorem eloquentia sua posset, & remedium adhibere. Hæc à me dicuntur eò, quòd quum res qua de agitur, tanta ac tam ardua sit, vt à multis sæculis haud eiusmodi causa ad orbis vniuersi panegyrim delata sit: dubium mihi non est, quin prima statim fronte, re non satis intellecta, incredibilem affectuum concursationem in animo senseritis. Tales etenim motus quò magis repentini sunt è casibus impensis; eò magis hominum animos turbant, neque rationi locum relinquunt, vt bonum à malo, vtile ab inutili, facile à difficili discernere planè queant. Nuncio itaque ad nos perlato, sensus nostri præcipites rapti, ceu excusso rationis freno, ingenti nos horrore, & veluti sudore frigido perfuderunt; quem in corporibus morbo debilitatis letha-

lethalem medici indicant. Quocirca in recenti perturbatione priusquam nos colligeremus, de totius reipublicæ forma immutanda, quam prudentes viri, vtpote spectantem ad euersionem, semper reformidant, iam nunc cogitabamus. Ad hæc Principis mutatio exspectatione euentus sollicitos omnes reddit, & fideles subditos, quo nomine vos compello, eò magis facit trepidos, quò meliori principe orbatos se existimant. Cuius rei (vt cum exiguis magna comparemus) exemplum à priuata aliqua domo capere licet: in qua patrefamilias recenter vita functo, plena omnia fletu & dolore conspicimus: vxor, liberi, famuli, cognati & affines magnam lachrymarum vim effundunt; in mœstitiæ partem etiam vicini veniunt: atrati omnes prodeunt, lugubrem amictum luminibus obstructis etiam parietes ipsi sumunt. Hæc videmus quotidiè; tametsi ad valdè paucos, familiæ eius homines, luctus ille pertinet. Verùm vbi Princeps, vbi rex desideratur, qui populo vniuerso, patris loco est, (quod vt rarò videmus, ita numquam accidere debere existimamus) eoque subditi; qui liberorum vice sunt, se orbatos vident, qui ipsorum commodis consulebat, qui opem ferebat, & in cuius tutela & solatio conquiescebant; quàm ille omnium mœror priori est dissimilis, quàm dispar lamentatio? Non enim ibi lugent familiæ vnius liberi, nec gemunt tantùm alicuius vici aut pagi incolæ, aut oppidi vnius ciues; sed ad vnum omnes subditi, iuuenes, senesque, nobiles & plebeij; diuites & tenuiores: de rebus suis anxius vnusquisq; meditatur, & iacturam Principis, inter sua detrimenta ducit: præsertim quum eiusmodi

Anno 1598.

est

Anno 1598. est qualem nos amisimus, inter bonos reges optimum, inter pios clementissimum, inter magnos potentissimum: qui religione & pietate in Deum, charitate in proximum, bonitate, mansuetudine, benignitate erga subditos, cum magno illo Dauide, quem Deus rectorem populi sui elegerat, conferri rectè potest. Quamobrem non est mirum, si allato humani ad nos casus nuncio, animis conciderimus, & vehementer primùm consternati fuerimus, dum ad nos reuersi iustas & legitimas rationes perpenderimus, quæ optimum principem ad sanctum hoc & benignum capiendum consilium induxerunt: & quas benè intellectas, & per nos examinatas laudauimus & probauimus, & ob eas votis nostris satisfactum esse sciuimus, vt non alijs verborum ad consolationem blandimentis egeamus, nec ad mitigandam acerbitatem, illam quæ mutationi huic inesse videbatur, aliud omninò delinimentũ requiramus. Quare his omissis, quę non sunt necessaria, narrationẽ aggrediamur. Post elapsum bimestre cum quatriduo, anni numerabuntur quadraginta & tres, quum in hoc ipso loco, sicut aliqui vestrûm, qui interfuerũt, adhuc meminerũt, alij à parentibus & maioribus acceperũt, Carolus Cæsar, Augustus, nomine Quintus, factis verè magnus, cuius quidem memoria per vniuersum orbem erit immortalis, nobis autem & posteris sacrosancta & venerabilis, & de quo plura dicerem, nisi eius gratissima vobis recordatione profusissimas lacrumas expressurum me vererer: tot nunc, inquam, anni sunt, quum se viribus fractum infirmatumque sentiens, non tam ætate ingrauescente, quæ non excedebat quinquagesimum quintum annum, quàm continuis laboribus & expediti-

tionibus, quas ante plenam pubertatem in grauissimis actionibus, & ad bellum nunc in Galliam, modò in Germaniam, sæpè contra Barbaros, Christiani nominis hostes, terra marique susceperat, vt demum tam aduersa vteretur valetudine, quæ ipsum non modò à tractanda republica penitus excusaret, sed præsentiam suam plus impedimenti in rebus gerendis, quàm commodi in promouendis adferre cognosceret, se imperio abdicare & secedere decreuit: quod & paulò post fecit, regique Philippo has prouincias cessit; dolere se affirmans, quòd eum graui bello & periculoso, cum hoste potentissimo, Galliæ rege Henrico, implicatum relinqueret. Vobis igitur filium Principem, & vos illi commendabat, vtrisque verò maximè fidei & religionis Catholicæ defensionem, & in suo statu conseruationem, in mandatis dabat. Rex accepto Principatu, & Cæsare digresso, rempublicam seriò & strenuè capessit, ad bellum se parat, castra præsentia sua confirmat, & breui admodum tempore, binis præclarissimis victorijs potitur, vnâ propè fanum Sancti Quintini, ipso die qui diuo Laurentio sacer erat; alterâ prope Grauelingam: quæ vt erant memorabiles; ita Gallicam monarchiam si non euertere, at labefactare posse videbantur. Pacis certè causam celeberrimæ & vtilissimæ, quæ à loco, vbi facta est, Cameracensis appellatur, opportunam prabuerunt. Ea tranquillitatem nobis conciliauit, quæ non modò diuturna, sed perpetua etiam sperabatur. Rex qui summo nos amore complectebatur, & diutius apud nos morari desiderabat; serijs & permagnis aliorum suorum regnorum negotijs eum aliò vocantibus, in Hispaniam nauigaturus,

Anno 1598.

Anno 1598. rebus hic quam poterat optimè constitutis, nihil fore suspicatus est, quod quietem nobis partam interturbare posset. Discessit itaq; cum triumphis amplissimis, Principum felicissimus, Deóque gratissimus, quod omnia illi fausta & prospera euenirent, reuera iudicatus. Sed humana tantùm fuerũt hæc iudicia, nam qui propius accedunt ad Dei dilectionem, certiora multò habent diuini erga homines amoris testimonia: aduersitates dico, & tã animi quàm corporis, cum regio diademate incredibiles molestias, quas recensere possem, si locus postularet, aut tempus hoc permitteret. Rex quum aliquot annos esset in Hispania commoratus, prouinciæ verò Belgicæ in summo splendoris & felicitatis culmine conquiescerent: exiguæ primùm belli faces, domesticum nobis incendium excitârunt, quo omnium facultates, & fortunæ deflagrârunt, & ad tantam inopiam prouincias redegerunt, vt non omnem modò succum & sanguinem amiserint, sed colorem etiam & speciem Reipublicæ: neque aliud supersit quàm lingua ad conquerendum, & oculi ad deflendum luctuosissimi belli diuturnam calamitatem. Princeps, vt hoc malum à nobis auerteret, aut vt tempestiuè, præsensque mederetur, profectionem parauit, ad nos certò venturus, nisi dissuadentes, ipsoq; hinc absente nihilo minus res in Belgio componi & sedari posse, allegantes, audiuisset. O præpostera consilia! ô noxios consultores, ignarosque potentiæ, quàm Principis oculus habet! cuius solus aspectus pericula propulsare, belli flammas restinguere, prouincias in officio continere potuisset. Sed errorem consiliorum Rex breui animaduertit, neque quidquam omisit, nullisque viribus, nec æra-

ærario, nullis rebus pepercit, quas ad restituendum prouinciarum statum, nostramque salutem pertinere iudicabat. Hoc curæ, hoc assiduæ eius sollicitudines, & immensa vis auri & argenti, quã profudit, hoc Indicæ fodinæ, quas exhausit, demonstrârunt, & exercitus florentissimi, quos bellum hoc Belgicum absumpsit, ac firmissima virorum militarium auxilia, paterni in nos amoris testimonia ediderunt: nihil denique non tentauit, nihil reliquit inexpertum, vt eos qui ab eius obsequio desciuerunt, lenitate reduceret, eorum animos ab ipso alienatos, beneuolentia sibi adiungeret. Sed quum neque hoc, neque illo modo quidquam proficere se videret; illis culpæ secessionis diffidentiam prætexentibus, vel criminum conscientia de reditu in gratiam, & venia desperantibus: alia via aggrediundum, vt nos ex his ærumnis aliquando eximeret, censuit. Quod dum secum meditatur, credibile est regem optimum diuino spiritu afflatum, ea quæ ad sacrosanctum Dei ministerium, & salutem nostram attineant, instinctu diuinitatis cœlitus accepisse. In hanc demum sententiam, sanctæ eius cogitationes & consilia abierunt, & ad commune bonum orbis Christiani, ad conseruationem augustæ domus Austriacæ, vt malo, quo nos angimur, remediũ applicaret, serenissimam Infantem, filiam suam Isabellã nuptum dare decreuit Alberto Archiduci, Principi clementissimo, & has Belgij prouincias cũ Burgundiæ Comitatibus in dotẽ concedere, cũ summi Pontificis dispensatione, sororis Augustæ, & Augusti Cæsaris assensu præcedente, filio etiam Principe nuptias, & dotalem donationem comprobãte. Hoc vobis inconsultis tamẽ exsequi noluit, sed

Anno 1598.

Anno 1598. vt intelligatis quo vos loco ille habeat, & quanti vos faciat à menſe Nouembri datis ad vos litteris, animi ſui ſententiam clementer aperuit, & vos ad conſilium in rem veſtram adhibuit. Neque quiſquam veſtrûm fuit, quin ad vnum omnes, intellecto regis animo, in ſingulis prouincijs ſingularem prudentiam laudibus extuleritis, benignumque conſilium non communi ſolùm calculo, ſed actis etiam gratijs, omninò probaueritis. Qui vbi animaduertit tam mirificam animorum hac in re cõſenſionem, diplomata expediri ad confectionem negocij neceſſaria, & tranſmitti mandauit, quemadmodum litteris ſuis vos quoque fecit certiores. Nolite exiſtimare, ſalutare hoc conſilium ab humanis ſenſibus, ſed à diuina prouidentia defluxiſſe: tùm vt hoc beneficio, ceu vnico remedio, malis noſtris applicando, reipublicæ medeatur; tum vt vniuerſo terrarum orbi ſignificet, quàm beneuolo affectu pius ille Princeps ſubditos ſuos proſequatur, qui eo pignore priuari ſe permittit, quo nec pretij maioris, nec charius vllum habet. De Infante mihi ſermo eſt, filia eius dilectiſſima, quam in Principem nobis donat, at cuiuſmodi Principem? quæ timorem Dei & religionem cum ipſo nutricis lacte ſuxit, in paterna domo regia ſanctè educata, vbi nihil vidit niſi honeſta omnia, virtutis & pietatis plena, non ſecus ac ſi inter virgines ſanctimoniales Deo ſacras & dicatas ætatem omnem exegiſſet. Si quis fortè me roget, an ad res gerendas, ad rempublicam adminiſtrandam, an ad gubernandam edocta, ac idonea ſit? quis in dubium hoc reuocet, quin ea quæ ab octodecim aut viginti annis nunquam à patris ſui latere diſceſſit, quæ arduis & conſilijs & deliberationibus aſſiduè inter

terfuit, quæ de maximis totius mundi rebus consulentes&agentes non audiuit solùm, sed sententiam etiam dixit,& prudentia& rerum vsu non ad Belgium modò nostrum,sed adpaternā monarchiam vniuersam administrandam & regendam prædita sit?Hęc est illa mutatio ad cuius primùm nuncium tantoperè attoniti fuimus: si aut vlla nouitas aut mutatio dici potest,quæ in commune commodum, in rem nostram facta est. Audite me,quæso, me ipsum explicantem:Patrem habuimus Principem hactenus nostrum, cui in Principatu succesisset filius.Eius nos aspectu perpetuò caruissemus ille nos inuisere nequaquam potuisset. Etsi enim eius ætas & iuuentutis flosculus ad profectiones& expeditiones vtilis & idonea sit: Rex tamen suis litteris ipse nobisdeclarauit,eū propter res arduas & incredibiles aliorum regnorum , quibus illi à Deo cumulatè est prospectum, ad nos venire non posse.Nunc filiam suam nobis donat, quæ è conspectu nostro nunquam discessura est,quæ præsens malos puniet,bonorum fidem experietur, nec vim nobis inferri,nec opprimi nos sinet. Alia præterea & seria consideratio est.Patrem habebamus, post eum filium,Principem habituri : nunc patrem habuimus & eius filiam,post parentem verò fratrem & sororem habebimus. De patre dico,quod is filiam, quam plus oculis suis amauit,nunquam deserturus erat:de fratre dubium non est,quin quum ab infantia à sorore nutritus sit, eiusq; vberibus quodammodo lactatus, eam non minus ac seipsum diligat, reuereatur,& amet,& quin omnes potentiæ suæ vires explicaturus sit,vt integrum sorori dotale munus conseruetur , quo eam donari liberaliter consensit:ac in posterum, ætate paullatim con- Anno 1598.

Anno 1598. firmata, quanti sua intersit, ipse diiudicabit. Neque ignoratis, quis futuræ Principi maritus coniungatur, quem præsentem hîc videtis, optimum principem & prudentissimum, & cuius virtutes iam vobis innotescent, de quo præsente timidius dico: tanta enim est eius modestia, vt ex sua laude pudore afficeretur. Ego quoque mihi partes simpliciter & fideliter Principi meo consulendi, quàm in os laudandi vel assentandi malim tribui. Cęterùm bellicam virtutem ex recentibus, quamdiu apud nos fuit, expeditionibus & victorijs perspexistis, prudentiam ex pace, præter opinionem omnium vobis parta. Et cum venia dixerim augustissimorum Austriacæ domus Principum, qui vt omnes boni sunt, & summa laude digni, ita nemo diffitebitur, Regem hunc legisse veluti quendam ex optimis propaginis eius palmitem; nos verò in has nuptias tàm rari exempli coniugum, spem nostram collocare, & ex hac cõiunctione, ceu publicæ fœlicitatis fonte, manaturam prosperitatem exspectare oportere. Reliquum est, vt gaudiũ, voluptatem, & lætitiam, quam cogitatione futuri boni præcipimus, hilari vultu testatam faciamus: & conceptis votis Deo supplicemus, vt eos nobis sospites, omniumque bonorum affluentia cumulatos & ornatos conseruet, & fecundo ipsorum thalamo posteritati Principum consulat, ad quem regnum serò transmittant: nobis denique ad volũtatem, quam habemus propensissimam, debita ipsis obsequia præstandi adiungat facultatem: vtrisque exoptatæ, rebus restitutis, fruendæ pacis copiam.

Quum sic Præses peroråsset; Philippus Masius, cui erant delatæ respondendi partes omnium

Ordi-

Ordinum nomine, in hæc verba exorsus est: Anno 1598.

Per litteras regiæ Maiestatis, Serenissime Princeps, pridie Cal. Iun. ad prouinciarum Ordines scriptas, donationem concessionem & donationem Belgicarum ditionum cum Comitatu Burgundiæ & Carolesij, quam in fauorem & promotionem futurarum nuptiarum serenissimæ Infantis, filiæ suæ, cum tua Celsitudine cōtrahendarum, Principis Hispaniarum consensu accedente, facere decreuerat, ijdem intellexerunt; tam iuxta regij diplomatis & aliorum Instrumentorum, quæ & visa & lecta sunt, tenorem; quàm præsentem Celsitudinis tuæ nomine factam viua voce declarationem. Nec mirum videri cuiquam debet, quòd accepto primo nūcio Ordines rei nouitate consternati sunt, si consideremus, quadraginta tres iam annos effluxisse, quum à diuo Cæsare harum inferiorum ditionum Principatus regiæ Maiestati concessus sit & traditus. Rex ab eo tempore, tanquam Princeps legitimus, & iure naturali ad successionem vocatus, nihil prætermisit, quod ad conseruationem prouinciarum suarum, bonorumq; subditorum perseuerantiam in fide Catholica, & mutuum, prouincijs pacatis, commercium ac salutē pertineret. Neq; propè infinitis pecuniæ myriadibus pepercit, quas ex Indicis et regnorū Hispaniæ thesauris amplissimis deprompsit, ad prouincias cōseruandas & ab hostibus defendendas. Ob quam liberalitatē ex benigno Regis in nos animo profectā, hic cōsessus Prælatorū, Nobiliū, & Ciuitatū, q. Ordines generales repræsentant, eius Maiestati in perpetuū obligati & obstricti permanebūt, & eidē immēsas ob ingētia beneficia gratias omnes agunt. Tāetsi tot tātosq; labo-

Philippi Masij Ordinum nomine ad eam responsio.

Anno 1598. *labores, sollicitudines & sumptus, necdum Deo visum fuit, vt bonæ voluntatis eius fructū perciperemus; sed ad delictorum nostrorum punitionem, post tot annos elapsos, prouincias ad extremam calamitatem & miseriam redigi permisit: & maiores clades, atque adeò interitum nobis minatur belli huius continuatio; nisi nos diuina respiciat clementia, pacem cœlo mittat, & animos alienatos nobiscum reconciliet: quod communibus votis supplices efflagitamus, & vt cœptis nostris propitius adsit Deus, donec vi & armis ad officium reuocentur. Ad quod efficiendum etsi regij nominis autoritas & potentia videtur necessaria, eò quod hoc ipso bello auspicijs Regis gesto, publicæ prouinciarum opes funditus sunt exhaustæ, ac priuatæ omnium fortunæ tam in vrbibus, quàm in agris euersæ & imminutæ, vt ex crebris querimonijs Celsitudo tua animaduertere potuit: res vna tamen nos consolatur, quod quum serijs aliorum regnorum negocijs Maiestas sua distineatur, & affecta iam ætate & aduersa valetudine, quominus ad nos venire possit, excusetur, filiam suam, Principem nobis dedit: quæ præter ceteras, quas habet singulares perfectasque virtutes, eandem in subditos suos pietatem, quam à paterna educatione accepit, secum allatura est, maximè quum eiusdem nominis & familiæ Principem, quem nos & maiores nostri summa perpetuò obseruantia coluimus, maritum habebit: qui vt ijsdem virtutibus est præditus; ita nobis earum vicinisque Principibus illustre specimen dedit, Quapropter confidimus, quòd vt forma quædam continuati potius quàm mutati Principatus est; ita Regia Maiestas nihil similiter de paterno affectu suo*

erga

erga filiam dilectissimam, optimosq; subditos, nec de Anno
sua pietate aut subsidijs quidquam remissura sit; sicu- 1598.
ti pari, qua solet, liberalitate, per litteras ad nos datas declarauit & promisit: vt post tam diuturnum ac calamitosum bellum, (quod vt intestinum ac domesticum malum est, sic ad euertendam & perdendam rempublicam quàm maximas vires habet) prouinciæ conquiescere, ac nitori suo pristino restitui tandē queant. Qua spe freti, Prælati, Nobiles, & Ciuitatum legati ex benigno Regis hoc consilio, de hac Cessione & Donatione, ingentem lætitiam animo concipiunt, eiusq; Maiestati ingentes gratias agunt, ac virtute mandatorum, quibus sunt muniti, eidem Cessioni interesse parati sunt, tuaq́ue Celsitudini in rem Infantis serenissimæ, ceu prouinciarum Principis legitimæ, iusiurandum & omnia officia necessaria ac solita præstare, ea conditione, vt Celsitudo tua, vigore instrumenti procuratorij, quod ab ea habet, mutuum dicat Ordinibus iusiurandum, & eiusmodi quale in simili imperij translatione Maiestas sua dixit: de conseruandis antiquis patriæ iuribus, priuilegijs, libertatibus, immunitatibus, consuetudinibus, læti introitus obseruantia, reconciliationibus, conuentionibus, donationibus, & pactionibus, rebusq́ue eò spectantibus, quæ ad prouincias & earum membra generalia & particularia pertinuerunt & pertinent, nulla rerum præteritarum habita ratione, & sine vtriusque partis præiudicio, ijs rebus quàm primùm in integrum restitutis, quæ aut derogatæ, aut perperam innouatę sunt, & ijs quę in pręsens emendari nequeunt, intra annum restaurandis: & vt intra idem spacium in

Anno 1598. *aduentu sereniſſimæ Infantis, idem iuſiurandum per eius ac per tuam Celſitudinem renouetur, ac in ſingulis prouincijs lociſq; pręſtetur, in quibus Regia Maieſtas idem fecit. Atq; eo pacto certum, exploratum & perſuaſum ſibi habent Ordines generales, vtpote nihil prius nec antiquius habentes, quàm Principum ſuorum mandatis rectè obſequi, & pari fide & obſeruãtia, qua ſemper legitimos Principes ſuos coluerunt, nihil prętermiſſuri, quod ad cultum, honorem & obſequium veſtrum quouis modo pertinebit. Reliquum eſt ſereniſſime Princeps, Deo ſupplicare, vt his cœptis faueat, ad nominis ſui gloriam, Catholicæ fidei propagationem, & vt omnia in commodum veſtrarum Celſitudinum, & poſteritatis, in commune afflictę Reipublicæ bonum & alleuiamentum, ac proſperitatem totius Belgij cedant, & benè vertant.*

Hæc quum dixiſſet Maſius, dimiſſo in poſterum diẽ cõuentu, omnes ibidem denuò cõparuerunt. Ibi Præſes Richardottus Archiducis Infantis nomine Ordinib⁹ gratias egit, & de optima in illos voluntate & affectu ſecuros eſſe iuſſit. Suã enim Celſitudinem animũ induxiſſe obnixè omnia facere, noctes dieſque operam dare, nullis laboribus nec ſudoribus parcere, vt, pace communi reipub. bono parta, eorũ votis ſatisfiat, & ipſorũ iura, libertates, priuilegia ſarta tecta cõſeruẽtur. Ceterũ quia ad dicẽdũ vtrimq; iuſiurãdũ ampliſſim⁹ hic cõſeſſus fuerat inſtitut⁹, Archiducẽ ad ea q̃ p̃ſtãda ipſi eſsẽt, paratũ ſe offerre; ipſi ordine vti idẽ faciãt ſinguli ſe cõponãt. Inde Princeps in Ordinũ; ordines in Principis verba iurârũt, ſigillatim euocati: Princepſq; ſingulos accedentes, atq; ea, qua par eſt, obſeruantia

Archidux iuramentũ præſtat.

tia gratulantes, benignè compellauit. Deinde Philippus Masius scriptum quoddam nomine Ordinũ Archiduci porrecturus, ita eum allocutus est: Ordines existimare officij sui esse, de quibusdã rebus tã ad Principis quã prouinciarũ cómoda pertinẽtibus, Celsitudinem eius scripto admonere, in quo inter cetera erat, Nihil Principis præsentia prouincijs esse gratius, nihil ipsi, reipub. vel subditis vtiliꝰ. Hoc superiorum tẽporũ exẽpliscomprobari. Nunc duabus potissimum de caussis eam expeti. Primam esse dicebat, difficilimis temporibus impeditũ rerũ statum; alteram in fiduciam & exspectationem de Principum præsentia conceptam reijciebat. Ordines verò non sine dolore intellexisse, suam Celsitudinem discessum meditari, & profectionẽ in Hispaniam instituere. Ad periculi magnitudinem, dũ abesset longius, accedere aliquid posse, haud facilè restaurandum. Quo metu vt eos liberet, de mutando consilio vehemẽter orare. Diei porrò eius acta ingẽti gaudio omnes affecisse, q̃ ex partiũ voto benè fortunetDeus. Sua deniq; Celsitudo sibi persuadeat certò, Ordines facultatum vitæque suæ iacturam, præ fide & obsequio Principibus suis debito, parui facturos esse. Sic Masius: cui Præses, & libello quẽ obtulerat Principi, in hunc modũ respõdit: Anno 1598. Ordinum postulata vel monita

Haud mediocri voluptate affectus est Archiducis animus, amplissimi viri, dũ inter dicẽdũ solemne sacramentum, hilarẽ omnes vultũ præ se ferre conspexit: existimans vnumquẽq; lætitiam huius diei quã de rari exempli serenissima sua Principe, mente conceperit, ore & oculis, animi indicibus, testatum reddere voluisse, eoq; argumẽto vos illã, quũ aduenerit nõ solũ libenter & cũ gaudio excepturos, & eidem fidẽ vestrã & obsequiũ ꝓbaturos, Principis responsio.

verùm

Anno 1598. verùm etiam prudentibus consilijs adfuturos, & vestris facultatibus, vt oneri reipublicæ ferundo sufficiat, subsidio venturos, coniecturam certam facit. Eo autem officio, vtpote Archiducem tam propè attingente, vos illum magnoperè demeriti vobis estis; ac me vobis declarare iubet, se, quantum humanæ facultates ferunt, omnem operam daturum, vt re ipsa intelligatis, quàm grata, quàm accepta illi vestra fuerit voluntas: sic Deum votis suis propitium fore confidens, vt & ipse, & Infans serenissima, vbi venerit, singularem in has prouincias amorem demonstrare possit: nec se minus incredibili, easdem nitori ac pristinæ magnitudini quàm primùm restituendi, flagrare desiderio, quàm dolore affici, quod eas tot cladibus iam dudum acceptis, tot adhuc malis affligi conspiciat. Ad ea quæ scripto vestro exposuistis, responsum Princeps dabit, ad omnem æquitatem & gratiam conformatum, quantum præsens rerum status, è reipublicæ bono, feret. Quòd verò ad Hispanicam profectionem attinet, cuius consilium mutari cupitis; id vestræ erga Principem beneuolentiæ attribuitur: cuius quidem præsentia, vt solatio vobis esset, sic reipublicæ expediret; nisi aliter Regi visum foret, cui mos gerẽdus est. Nam Principum actiones à Deo diriguntur, & eorum consilia diuinitati sunt proxima: ac Regiæ voluntati eò minus refragandum est, quo Infantis aduentum maturari magis conuenit, vt vterque Princeps, rebus nostris consulere, remedia malis quærere, & vulnera reipublicæ sanare præsens queat. Itaque haud inutilem profectionem fore; & priusquam itineri se det, Principem ceteroqui prouidum & prudẽtem, ne quid, eo absente, detrimẽti capiamus, pro-

spectu-

ſpectarum cogitate. Vnum adhuc dicendum vobis restat; de cuius exordio, ne ad lachrymas vos impellam, ambiguus certè hæreo; hunc nimirum vltimum velut actum eſſe, qui Regis nomine fiet; eũ nobis hodie valedicere, hodie nos dimittere, & in omnibus litteris & diplomatis craſtino die Iſabella, non Philippus, loquetur. Sed quæ hæc conuerſio eſt, quæ cum gaudio & voluptate dolorem miſtum habet: dum Regem vos deſerere, qui tam benignè vos quadraginta tribus annis rexit, vulgari quadam opinione pertimeſcitis? Hoc reuera dici nequit: nec pro deſerturo haberi debet, qui apud vos manebit optima ſui parte, & qui filiam dilectiſſimam in Principem vobis donans, nihil de auxilio, quo iuuare vos ſolet, remiſſurum ſe promiſit. Nec vos eum deſeretis, ſed in eius clientela, dum ſupererit, permanebitis, & ad Principem, eius filium, ſceptri ſucceſſorem, parem obſeruantiam, fidemque transmittetis. Noui enim noſtri Principes pro ſuis haud agnoſcerent, qui parentem optimum, & germanum ſuauiſſimum non venerarentur, colerent, obſeruarent. Hoc quàm facere teneamini, tum demum comperietis, quum beneficiorũ ab ipſo acceptorum calculus ſubducetur, & ad diſſoluenda nomina, quibus ipſi obſtricti eſtis, rationes inibuntur. Vos eius in vos ingentium meritorum ignari non eſtis, nec curarum eius pro tranquillitate veſtra, nec laborũ pro quiete ſuſceptorum immemores eſſe poteſtis. Quantum ſuppeditauerit ex ærario ſanctiori, vt ab hoſtibus vos aſſereret; & quantoperè vos deuinciat, precioſum hoc monile, filiam ſuam dulciſſimam vobis dãdo, ceu conſolidatis rationibus expendite: & ne fides veſtra periclitetur, paratam ad hoc æs alienum diſſoluen-

Anno 1598.

Anno 1598. soluendum voluntatem ostendite. Etenim in tanta fortunarum tenuitate lachrymas & suspiria in partem debiti accipiet, pro numis aureis preces, & argenti loco vota publica computabit: quæ pro salute eius & Principis florentissimi incolumitate, affectusque in nos paterni successione, pro felicibus deniq; nouorum Principum auspiciis, vnanimiter concipiamus.

Quum finem dicendi fecisset Richardottus; rex caduceatorum, Franciscus Damantius, vniuersum consessum postero die ad conuiuium Celsitudini suæ iussit adesse: cui etiam omnes dicto die interfuerunt. Conditiones verò, sub quibus Ordines Archiduci Alberto iuramentum fidelitatis præstiterunt (ne quid omittamus, quod curiosus lector desiderare possit) hæ circumferuntur.

Conditiones matrimonij inter Archiducē & Infantē.

Primus articulus Belgicarum ditionum, & Burgundiæ, cum Carolæsio Comitatu donationem, siue translationem; itemque Alberti Archiducis, cū serenissima Infante matrimonium concernit.

Secundus, quibus modis prouinciæ acceptæ sint, & iuramentum vtriusque dictum, exponit.

Tertio: Ordines, intra trimestre, de matrimonio transacto & consummato; fidem sibi fieri volunt.

Quarto: Rex scripto Ordinibus caueat, duodecimum Cessionis articulum Belgicarum prouinciarum libertati & priuilegijs nihil derogaturum, aut detrimento fore.

Quinto: vt omnia tributa remittantur; præsidia militum ex oppidis deducantur, aliaque onera tollantur: suaque Celsitudo ordinarijs prouentibus contenta sit.

Sexto: vt peregrinis militibus Rex stipendiū numeret, eorūq; opera in tuendis finibus, & hostibus inuadendis vtatur.

Septi-

Septimo: Ceteris, Belgis ſcilicet & Germanis, prouinciarum Ordines, quantum ærarij ratio feret, ſatisfaciant: quod eo plus ſumptus fiet, Regi imputetur. Anno 1598.

Octauo: Officia omnia, ſiue munia, Prouinciarum adminiſtrationes, arcium & oppidorum Præfecturæ, intra anni ſpatium, Belgis ciuibus mandentur.

Nono: Omnis extraordinaria Senatus habendi ratio, ad antiquum moré reducatur: itemq; Machlinienſis Curiæ Senatores è Belgis & ciuibus legãtur: eademque lex in Brabantiæ, & Conſilio ſtatus, quod vocant, ordinando obſeruetur.

Decimo: Omnibus prouincijs, ciuitatibus & locis ius, libertas, priuilegia inuiolata cõſeruẽtur.

Vndecimo: Archidux intra Calendas Maij anni proximè ſequentis rediturum ſe polliceatur.

Duodecimo: Idem legatum è ſua familia, qui interea ſummæ rei præſit, ſibi conſtituat: iſq; idem iuramentum dicat, quod Rex olim dixit.

Decimotertio: Ordinibus generalibus, interuentu Archiducis, integrum ſit cum Hollandis & eorum ſocijs de pace agere.

Decimoquarto: Tres è prouinciarum primoribus in Hiſpaniam cum Archiduce mittantur, qui Ordinum vniuerſorum nomine Regi & Principi gratias agant.

Decimoquinto: Archidux fidem & conſtantiã in omnib⁹ q̃ ſupraſcripta ſunt ſeruãdis, promittat.

Decimoſexto: Nemini Gubernatorum, Ducum, militum quidquam noui, abſente Archiduce, attentare fas ſit.

Decimoſeptimo: Reuerſus Archidux Ordinũ vniuerſorũ, quibuscum de rebus ad prouinciarum ſalu-

Anno 1598.

salutem & quietem spectantibus, cōsilia communicet, conuentum indicat.

Andreas Austriacus Cardinalis summae rei Belgicae praeficitur.

Omnibus ad profectionem comparatis, Albertus serenissimum Principem Andream Austriacū, Cardinalem, suo nomine Belgicis rebus cum imperio praeesse iussit; atque Ordines vniuersos, vt eum opera & consilijs adiuuare vellent, seriò est cohortatus: belli verò administrationem Francisco Mendozae, Aragonio thalassiarcho, demandauit. Ante abitum, ad Hollandos & confoederatos scribit, in Hispaniam se iter habere, vt cum serenissima Infante, regis filia, matrimonio copuletur, cui in dotem Belgicae prouinciae concessae sint; quarum maior pars sacramentum sibi & futurae cōiugi, ceu legitimis Principibus, iam dixerit. Sua omnia consilia ad pacem & quietem spectare. Et quandoquidem Rex Belgij dominatum ab Hispania separare omninò decreuerit, vt hoc modò omnes suspicionum, discordiarum, & motuum intestinorum caussae praeciderentur: monere, ne tàm praeclaram occasionem elabi sibi finerent, sed quā primum, Brabantiae, Flandriae, aliarumque prouinciarum exemplum secuti, ad obedientiam eorum, quibus eam deberent, redire vellent. Eodem argumento ad fratrem, Comitem Mauritium, Philippus Nassouius, Auraicae Princeps, litteras mittit, rogatque, vt diuulsis iam ab Hispaniae regno Belgicis ditionibus, quum nihil pacem magnoperè impediturum videatur, in ea promouenda, auctoritatem suam, qua valeret maxima, operamque omnem collocare vellet. Gratius, vniuersaeq; Nassouiorum familiae honorificètius officium, quum in Belgas, tum vniuersos Christianos, proficisci ab ipso hoc tempore non posse. Ad has litteras nihil

Archidux Albertus ad confoederatos scribit.

Auraici ad confoederatos litterae.

ab

ab Ordinibus, vt nec à Mauritio, fuit responsum. Anno 1598.

Parta vndique pace, Galliarum rex, ne motus aliquis intestinus oriretur, eorum quoque securitati, qui à Romana defecerant Ecclesia, prospiciendum sibi duxit. Quare & ministris eorum, & scholarum magistris è censibus regijs annua stipendia dari iussit, loca etiam quædam munita, quæ suæ religionis veluti receptacula quædam, si qua vis fortè ingrueret, tenerent, in protestantium potestate esse voluit. Eam rem Legatus Pontificis & Sorbonistæ Theologi ægerrimè ferentes, qui hac ratione Catholicam religionem prodi dictitabant, regem adeunt, rogant, vti ne Edictum, quod tum in fauorem, vt ipsi loquebantur, hæreticorum cudebatur, promulgari pateretur. Ad ea Rex breuiter: *Galliæ rex paci studet.*

Vera, inquit, esse, quæ dicitis, non negauerim: at rerum nouarum auctorem me nemo dixerit. Mala hæc iam ante meum aduentum regnum inundauerant. Durante bello; ad incendium, vbi maximè furebat, restinguendum accurri: quæ pacis iam sunt opera exsequar. Religionem & iustitiam firmissima esse huius regni fundamenta, non sum nescius: quas pulsas hinc iam diu, sensim reducere, & stabilire decreui, vt cetera facio omnia. Equidem, Dei auxilio fretus, religionē ita procurabo, vt post hominum memoriam meliore loco non fuerit; quū vt vestræ voluntati satisfaciā, tum vt à mea ipsius conscientia omnē culpam segregē. At Parisiorum Lutetia vno die exædificata non est. Vos exemplis ita vulgo prælucete, vt quanto viris offensi sunt, tanto iam opere, virtute vestra ad frugē reducantur & incitentur. Mei vos officij commonefecistis: commonefacio vos & ego vestri. Quod igitur benè vertat, vnū idemq; iter diuersis semitis *Eius ad Sorbonistas Theologos responsio.*

 ingre-

Anno 1598. ingrediamur; vbi si alteri alteris occurrerint, omnia benè habebunt. Qui ante me fuerũt reges, verba vobis dare soliti sunt: ego cum Deo benè iuuante, effecta vobis dabo. Illud vobis persuasum habete, sub diploide hac, quam videtis, animum planè aureum latere. Ceterũ qua de re mecum egistis, de ea ad consilium meum referam, & quantũ fieri potest, pro commodis vestris enitar.

Simili excusatione ad Pontificem vsus, Ne molestè ferret, aut crimini sibi daret, si quæ maiores ipsius perficere etiam cum regni extremis calamitatibus non potuissent, ea ipse attentanda sibi non existimaret, deprecabatur: eum interim de perpetua sua erga Catholicam religionem voluntate & studio securum esse iubet. Idem vt vndique se muniret, Lotharingicam familiam, cuius vires superiori tempore expertus fuerat, noua adfinitate complecti meditabatur. Erat regi soror vnica, Catharina, multis virtutibus insignis. Eam Lotharingi filio, Marchioni de Ponte, collocat, adiectis dotis nomine trecenties mille scutatis Gallicis; & pro censu annuo quinquagenis millibus: ea conditione, vt Nauarrenæ religione sua vti liceret, nec inuita ad cærimonias, quas non probaret, cogeretur.

Catharina Burbonia Lotharingo nubit.

Ineunte mense Septembri, Mendoza Aragonius, quem bello gerendo præfectum fuisse paulò antè diximus, Mosam cum validissimo exercitu traijcit. Erant enim peditum supra viginti quinq; equitũ duo millia: cum magno omnis generis bellico apparatu. Premissus cum copiarum parte Burlotius, militari virtute, quã generis nobilitate notior, vtramq; Rheni ripam occupat, naues bellicas ad obsidendum tuendumq; amnem ab Hollandis passim collocatas, inuadit, atque in tuta se recipere cogit.

Hispanorũ exercitus Rhenũ petit

cogit. Reliquus exercitus per agros Iuliacensem & Coloniensem in Cliuiam descendit. Est ijs in locis oppidulum Orsonia, paulò supra Renbercā, ad ripam Rheni sitam; non illud quidem valdè munitum, tenentibus tamen multas ad res, in primis ad amnem præcludendum, opportunum. Loci commoditate ductus Admirans portis adequitat, intromitti postulat. Id quum facere ciues & præsidiarij abnuerent; scalas expediri & muris applicari iubet, frustrà protestante & deprecāte Horstio, Cliuensis Ducatus Marescallo. Oppidanis inde timor incessit, ne vi oppressi, prædæ & rapinæ militum permitterentur; suæq; pertinaciæ, si non meritas, saltim minus inuidiosas pœnas luerent. Intromissus cum suis Admirans, quamprimum arcem dedi sibi iubet, præsidiarijs omnibus, si vim exspectarent, suspendium interminatus, qui abire inde, quàm pendere ibi maluerunt. Oppido & arce receptis, ac diligenter communitis; copiarum partem Rhenum traijcit, & in aduersa eius ripa, ad pagum Valsum, castello excitando fundamenta iacit, ac dies noctesq; continuatis operibus, breui tempore cœptum absoluit. Interea milites Hispani loca vicina frequentes deprædantur, ac longe lateq; terrorem sui fundunt. Frisiæ præcipuè & Transisalanæ horribilis imminere videbatur tēpestas; quæ tamen postea in Vestphaliam & Cliuiam magna ex parte incubuit. Alpa & Mursa præsidijs occupantur: quarum illam Palatina, hanc Nuenaria viduæ tenebāt, impetratis ab vtraq; parte salui conductus litteris. Contrà Mauritius, audito apparatu hostium, suas & ipse ex aduerso copias cōparat: apparatū castrensē per flumē aduersū nauibus subuehi iubet; quæ diu cum ventis & tempestate

Anno 1598.

Orsonia occupat.

item Alpā et Mursam

Anno 1598. colluctatæ, tandem earum partim Arnemium, partim Neomagum sunt perductæ. Mauritius Scrauévertam properat; ibique de itinere hostium edoctus, loca circumiecta præsidijs munit. Erat in Hispanorum castris O f isij Comitis filius: quem rumor erat Admiranti persuasisse, vt exercitum ad Emdam oppugnandam adducere vellet: quod ei ciuitati lis cum Comite esset, quæ iam ad apertam vim & arma proruperat. Monent ergo N. ssouij per litteras Emdanos, darent operam ne quid detrimenti ipsorum caperet Respublica; præsidiaq; firmandæ ciuitati offerunt; de ciuium quidem periculo fortean, sed vt credibile est, de suo magis solliciti: quod eius vnius ciuitatis occupatio non tantùm magnas adiectura vires Hispanis, verùm etiam certam penè victoriã redditura videretur. Sed hoc consilium aut vanus rumor finxit: aut fortuna discussit. Mauritio in itinere Dotecomum versus, amita, Comitum Bergensium, qui Hispano militant, mater, occurrit. Habet ea in Geldria possessiones quasdam, inter ceteras Serenbergam oppidum & Vistam castellum: quorum illi præsidium imposuerant Hollandi; hoc verò muris nudari, ne hostibus ad vicina loca vexanda esset receptaculum, nó semel iusserant. Datum tamen est dictæ dominæ precibus, vt postquam idoneè cauisset, nihil inde ab hostibus confœderatorum locis damni datum iri, in eo, quo fuerat, statu castellum relinqueretur. Oppidi verò muri, præsidio inde educto, non inuita Comitissa, complanati fuêre: quod non dubitaret quin Hispani oppidum hostili præsidio communitum, aggressuri forent. Aliquantò ergo minori cum damno suorum ligonibus, quàm Hispanorum tormentis muros deijci, oppidique aditum aperiri

Emdani sibi timent.

Comitissa Bergensis cũ Mauritio congreditur.

aperiri posse existimabat. Hæc dum ita primis mẽsis Septembris diebus ad Rhenum gerũtur: Albertus Austriacus, Bruxella decimo octauo Calendas Octobris digressus, profectionis initium religiose auspicatur; & præmissis diebus aliquot antè comitatu Hallæ diuam virginem salutat, ac de bono itineris successu comprecatur. Erat in eius comitatu, præter ceteras plurimas singulari virtute & nobilitate Principes, Comes Soræus: cui Ordines in mandatis & ad regem & ad principem dederant, vt gratias ipsis ageret de benigno donationis prouinciarum consilio, rogaretque vt in tanta Belgicarum prouinciarum inopia sumptus bellicos continuare vellent: Infantis quoque Principis suæ aduentum vrgeret: cum alijs quibusdam rebus prædicti Comitis fidei commissis. Sed profectò tum maximè veluti in scena quadam illustris fortunæ, variæ rerum facies ostendebantur. Dum enim in ipso nuptiarum apparatu hinc Principem Hispaniarum & Albertum Austriacum lætis ominibus ciues prosequuntur; illinc regij exercitus ad Rhenum fulminantis metu consternantur hostes: premuntur innoxij: rex Philippus, post grauissimos exantlatos labores fatis concedit; ac pro hymeneo lessus totâ passim Hispaniâ auditur. Ad senectutis imbecillitatem arthritis, sed Chiragra imprimis accesserat; cuius dolore totum corpus confectum febris inuasit. Vim morbi sentiens, etsi ita fractis erat artubus, vt gestationem vix ferre posset: Madrico tamen ad fanum D. Laurentij, quod incredibili sumptu exstruxerat, lecticariorum humeris transferri voluit. Ingrauescente morbo, quum finem vitæ haud procul esse animaduerteret, peccata, de more Catholicæ Ecclesiæ, confessus, Eucharistiam sumit

Anno 1598.

Archidux Albertus Bruxellis discedit.

Philippus II. Hispaniarum rex æger.

morti se parat.

Anno 1598. sumit: mortui cranium, iuxtaque auream coronam abaco iunctim super imponi, capulum etiam cupreum cubiculo inferri iubet, vt eo signo humanæ mortalitatis admoneretur. Inde vocato ad se filio filiæque corpus pœnè iam tabidum cōmonstrans, En tibi, inquit, ô fili, specimen gloriæ mundanæ! Adspice miserabile hoc corpus! Nullus locus vltra est humanæ opi: nec de morbi remedijs sed de sepultura iam nobis cogitandum. Hęc locutus non sine magna, omnium, qui adstabant, commiseratione, multisq; lacrumis; è cubicularijs ministris vni vidulum adferre mandat: è quo aperto monile preciosissimum, auro & gemmis confectū, depromit, filiæque traditum his verbis cōmendat: Matris hoc quondam tuæ fuit: id iam tu habeto & asseruato, memoriæ monumentum. Ex eadem deinde chartam acceptam filio porrigit, in ea, dicēs, descriptam esse omnem imperij administrandi rationem; eamque vt omnino sequatur monet. Scuticam inde multilorem omnibus conspiciendam proponit, cuius extrema cruoris quædam vestigia præ se ferebant. Eam quum in altum tolli iussisset, Hic, inquit, sanguis est de meo sanguine: non meus ille quidem ipsius, sed patris mei, qui hoc flagello corpus suum castigare solitus fuit. Id ego, vt auitæ vos pietatis & deuotionis commonefacerem, huc vsq; inter preciosissima asseruari iussi. Funeris deniq; pompā cærimoniasque quibus sepeliri vellet, scripto consignatas recitari iubet, hanc ferè in sententiam: Se post imperium quadraginta iam annos & eo amplius administratum, Deo reposcenti animam reddere, vt de ea statuat quod ipsi visum fuerit: corpus exanime vnctum & conditū, regio cultu ornatum, vrnæ ferali imponeretur; finito tempore luctui præstituto, decantatisque precibus, se-

Vltima mādata edit.

sepulcro maiorum inferretur. Interea Infans cum amita in D. Claræ; filius vero Princeps in S. Hieronymi, quod est Madrici cœnobium, sese abderent, ibique sacris, quæ pro mortuo fierent, intercssent. Cubiculum vbi decumbebat, continuis religiosorum votis & supplicationibus frequentabatur; & quò magis omniũ deprecationibus adiuuari posset, mortem suam post animæ excessum, quã primũ voluit diuulgari. Legato Pontificis liberos suos, liberis Romanæ Ecclesiæ obedientiam cõmendat: filiumque successorẽ seorsim allocutus, Tu, inquit, sororem tuam qua par est beneuolentia & fauore prosequere: paci & trãquillitati stude: bonos præmijs excita, malos pœnis coërce. Tandem vltimùm eos complexus, tristes à se dimittit. Princeps cubiculo iam egressurus Christophorum Moram, quo rex omniũ secretorum conscio vsus fuerat, de claui, quam vocant, magistrali percunctatur, num ea penes se esset. Aienti, Eam mihi cedò, inquit. Respondet Mora, fidei hoc pignus à patre sibi cõcreditum, non nisi de eius voluntate & iussu cuiquã tradere se posse: vtq; id bonum in partem accipere velit, summissè orat; simul egredientẽ officij caussa comitatur & deducit. Non multò post reuersus, regi, morbo paullulùm intermittente, exponit, quid a se quæsierit princeps, & quid ipse responderit. Ibi nolle hoc factum, rex dicere: ac vrgente iam vi morbi, extremam vnctionem petere. Ea ab Archiepiscopo Toletano ritè administrata: Princeps, sorore comitante, ingreditur. Venienti Mora occurrit, & flexo in terram altero genu, clauim tradit; de eo quod à se prius factum fuerat, excusans. Eam acceptã Princeps Marchioni Deniano reddit. Lectulum circumsistentibus Principi & INFANTI ministros morti vicinus commendat, Anno 1598.

Anno 1598. & in his præcipuè Christophorum Moram, cuius fideli opera & consilio maximis in rebus vsus esset. Post vltimum vale dictum, vox eum deficere cœpit: eoque in statu biduum permansit. Nō multò antè quū mortis mētio fieret, rex eo die moriturum se negauit: horamque ab homine quodam religioso præsignificatam sibi dixit. Nec dicto fides abfuit. Die enim decima tertia Septembris, circiter horam tertiam matutinam, excedit: quum vixisset annos vnum & septuaginta, & menses quatuor. Mors eius variè mentes hominū affecit, prout eum quisque amabant, aut metuebāt. Tam prospera vsus est corporis valetudine, vt qui primus, ei & postremus fuerit morbus. Erat ei, dū viueret, facies & compositio membrorum decora, statura mediocris, ingenium acre, incredibilis patientia laboris, adeò vt sæpe scribendo aliaque maximi momenti negocia tractando, integras noctes diebus continuaret. Facie Belgam magis quàm Hispanum referebat. Labris erat prominentioribus, vt plerique omnes ex Austriaca familia; capillo flauo barba subrufa: quibus senectus postea venerabilem caniciem adiecit. Ingenio quieto fuit, si suis ei moribus vti licuisset: iniuriarum tamen non ita facilè obliuiscebatur. Qui iniquiores ei sunt, & aliquantò acerbius in vitam eius moresque inquirūt, ambitionis eum & affectatæ monarchiæ insimulant, idque vnum egisse dicunt, vt ceteros Principes inter se committeret, & mutuis cladibus attritos, vel suis armis oppressos, sibi vni faceret obnoxios. Certè non defuerunt Principes, qui his ipsis eum artibus peterent. Non mediocrem etiam inuidiam ei conflauit formidabilis omnibus potentia. Nō enim Hispaniā tantū, vniuersam Lusitaniā, magnam

exit è vita.

Eius statura.

mores.

potentia.

magnam Italiæ partem, insulas penè innumeras, Anno
imperio tenebat, verùm etiā infinitis spacijs in v- 1598.
traq; India, ad solem orientem & occidentem extẽsis terris moderabatur: quarum tamen omnium opes ciuile hoc bellum, in Germania inferiori excitatum, restinguere nō valuēre. Bella variâ fortunâ gessit; sed prosperrimè ea quibus ipse interfuit, primis imperij annis. Religionis patriæ tàm fuit *res gestæ.*
tenax, vt ditiones suas, præsertim quæ in Belgio sūt omni bellorum clade deformatas videre mallet, quàm pullulantibus in ijs nouis opinionibus crescendi dare copiā. Animo fuit liberali, & pecuniarum contemnente. Vxores quatuor duxerat, quibus omnibus fuit superstes. Primā anno 1544. dux- *matrimo-*
it Mariam, Ioannis Lusitaniæ regis filiam, è qua an- *nia.*
no sequenti suscepit filium Carolum, matre paullò post puerperium extincta. De Caroli morte va- *liberi.*
ria circumferuntur, quæ malumus lector ab alijs cognoscat. Secundum matrimonium cū Maria Angliæ regina, an. 1554. cōtraxit: qua sine liberis mortua, Isabellam, Henrici Secundi Francorū regis filiam natu maximam, accepit vxorem: quæ duas ei peperit filias, Infantem-Isabellam-Claram Eugeniam, Belgij dominam, & N.N. quarum illa Alberto Austriaco; hæc Carolo-Emanueli, Sabaudię Duci nupsit, multisq; relictis liberis, non ita pridē decessit. Quartum ei matrimoniū fuit cum Anna Austriaca, Cæsaris Maximiliani filia, Philippi ex sorore nepte, pontificis permissu anno 1570. celebratum: è qua tres ei nati sunt filij, vnaque filia; sed ijs omnibus immatura morte sublatis, solus hic qui iā rerum potitur, tantarum opum relictus est hæres, natus anno millesimo quingentesimo, septuagesimo octauo, mense Iunio. Ei patre viuo, desponsa

Anno 1598. fuerat Margarita Caroli Archiducis filia, pactumque vt eam Albertus in Hispaniam deduceret, ibique geminis celebratis nuptijs, suam inde sponsam, Infantem, in Belgiũ transportaret. Hunc in ipso pęnè itineris procinctu nuncius de morte regis oppressit: sed nihilominus progrediendum sibi ratus per Niuellam & Namurcum, Luxemburgum contendit: tum Macheram eiusdem prouinciæ opidum transgressus, ad pagum peruenit, vbi Sura fluuius, Ausonio natus, in Mosellam exit. Haud procul in de eminenti in loco spectatur nobilissimum venerandæ antiquitatis monumentum, quo cis Alpes celebrius non exstare quidã putant. Moles est marmorea, ex quadrata basi, duocedim pedes alta, paul latim assurgens, ad septuaginta quatuor pedum altitudinem, in quaternis lateribus varijs imaginibus semiplanis insculpta; vt in Itinerario suo annotauit Abrahamus Ortelius, Cogmographorũ decus. Hinc per agrum Treuirensem, Palatinum, Virtembergicum in Bauarię fines, inde in Tirolensem Comitatum peruenit; quacunque transierat munificè hospitaliterque exceptus. Oenipontem transuectus, & aliquot millia progressus; Margaritæ Austriacæ, quam Philippo III. Hispaniarum iam regi desponsam diximus, occurrit, non longè ab illo loco, vbi Carolus V. Cæsar, & Ferdinãdus eius frater, felicissimi occursus memoriam seruari, tabula ænea ibi erecta, Augustos amplexus exprimente, voluerunt. Venerat illa, cum matre Maria, è familia Bauarica, & quingentorum hominum comitatu è Pannonia superiore. Ad Stercingam igitur (quod nomen fortia castra interpretatur Lazius) cõiunctis castris, oppidum sunt ingressi. Inde Bolsena Tridentum peruenerunt, quarto Calendas Nouem-

Philippus III. Hispaniarum rex vxorem ducit.

Monumentum ad Mosellam.

Archidux Albertus Mariæ Austriacæ occurrit.

Nouembris, ibique dies aliquot visitandis sanctorum reliquijs consumpserunt. Haud procul inde abest Venetorum ditio: quam vbi attigissent, duo à Senatu eius Reipublicæ legati adfuerunt, & reginam in pago, cui Dulci nomen est, in Athesis ripa sito, magno cum honore exceperunt. Fluuio ibi, quem ponte subitariò eum in vsum eius loci magistratus consterni iusserat, superato, per reliquam Venetorum in ijs oris ditionem lentis itineribus progrediuntur. Erant in vniuerso comitatu reginæ sponsæ & Archiducis, equi circiter bis mille, hominum tria millia, & quingenti. His omnibus hospitia & lautia, per decem ferè continuos dies, Senatus nomine sunt præbita. Veronam prætervecti, Ducis Mantuani territorium ingressi sunt. Ostia oppiduli nomen est in Padi ripa positi: Huc Vincentius Gonzaga, Dux Mantuæ, cum triginta primariæ nobilitatis viris, ad reginam salutandam celeribus equis aduolauit. Flumini traijciendo nauigia erant parata, atque inter cetera magnifico apparatu instructa thalamegus, qua regina cum matre & Alberto Archiduce, & sexus vtriusque nobilitate vehebatur. erat enim cellis & triclijnijs distincta, & peripatasmatis argêteis exornata. Regina nauim ingressa, mensam epulis & cupidijs lautissimis apparatam inuenit. Reliquus comitatus tribus magnis pontonibus traiecit in alteram Padi ripam, vbi Rouerum est, Ducis Mantuani oppidum. Hinc secundo flumine Ferrariam sunt deuecti, vbi tum Pontifex erat, cum bono purpuratorum numero, ad res Ferrarienses à CAESARE Atestino, vt suprà diximus, turbatas, componendas eò profectus. De aduentu reginæ certior factus, mox obuiam ei mittit duos legatos Cardinaleis

Anno 1598.

Tridentum peruenit.

à Venetis honorificè tractatur.

Ferrariam ingreditur, & à senatu Pontificio splendidissimè excipitur.

Anno 1598. nalcis, Aldobrandinum, & S. Clementis, cum magna Prælatorum & nobilium frequentia. Hi ad tria passuum millia, ad locum, quem Insulas vocant progressi, reginam exscendentem Apostolicæ sedis & Pontificis nomine, honorificè excipiunt, eique rhedam, ferramentis deauratis insignem, ad quam sex equi candidi erant iuncti, offerunt: in qua, cum matre & Archiduce, Ferrariã est ingressa. Extra portam vrbis Catholici Regis ad Pontificem Orator, Sessæ Dux, occurrit, & reginæ sponsæ lecticam aureis pannis coopertam, & argento deaurato, ferramentorum vice, ac reliquo apparatu regaliter instructam cum duabus mulis albis, similiter instratis, & duobus lecticarijs eadem veste ornatis, rhedam quoque & sex equos maculis bicolores, cum duobus rhedarijs, amictu aureo conspicuis, nomine sponsi regis obtulit. Ad portam ciuitatis, quam Angelorum vocant, à duobus alijs Cardinalibus Sfortia & Montalto, in domum materiatam, opere temporario ibidem exstructã, in solium regium est deducta, dum reliquorum purpuratorum patrum cœtus cum frequenti comitatu aduenit. Regina candidum gradarium argenteo panno instratum, mater eius tolutarium, Pontificis item dona, conscenderunt, & multo iã vespere vrbem hoc ordine sunt ingressi. Ingens vehiculorum ac curruum omnis generis multitudo cum impedimentis præcesserat. Sequebantur duæ turmæ equestres, cum lugubri, ob recentem Philippi regis obitum, armorum ornatu: post has ingens aulicorum numerus equitabat: inde duæ aliæ equitum turmæ, ad reginam excipiendã à Pontifice missæ: deinde Cardinalium & aliorum domestici: cum nobiles, procerésque cultissimi, magno

Pompa reginæ.

gno numero: Postea coryne; hori, qui argenteas clauas, insigne Cardinalitium, mulis vecti, ornatu solemni stratis, ferebant: tum, qui aderant, Cardinales, habitu violaceo, qui lugubris patribus color est, amicti. Regina inter Cardinales Sfortiam & Montaltum media vehebatur, stipāte eam Germanorum satellitio, ac matre cum Alberto Archiduce subsequente. Hos proximè sequebatur Insubriæ Comestabilis, quem vocant, Aumalius, Gandius, Auraicus, Dietricstænus, aliique magnæ auctoritatis & nominis viri. Horum tergum claudebant equestres Archiducis, & velitares Pontificis turmæ, cum ingenti cisiorum & rhedarum numero, quibus feminæ & puellæ nobiles vehebantur. Hoc ordine ad hospitium Oratoris Cæsarei, per multos triumphales passim erectos arcus, contendunt. Vbi ad palatium regia sponsa venit; inter principum Apostolorum effigies ascendit, in aditu graduum positas & cum matre & Archiduce in conclaue secessit (quod contiguum erat sacro cōsistorio, vbi pater beatissimus in solio habituque Pontificio sedebat, cum collegio Cardinalium) tātisper ibi morata, dum orationi, quàm Bernardinus Scottus, Mediolanensis, de Austriacæ domus laudibus, felici reginæ aduentu, habebat, finis factus esset. tum regina cum matre & Alberto Archiduce ad pedum oscula sunt admissi: benignè Pontifex omnes excipit, & crucis signo munitis benedictionem impertit. Post regina in gynæceū deducitur, vsui eius exstructum, & regali verè apparatu ornatum. Postero die, vbi sacro inter fuissent à Pontifice celebrato, Pontificiæ mensæ adhibentur. Die verò dominico, qui erat decimus septimus Calendas Decembris, & celebrandis sponsalibus

Anno 1598.

Anno 1598.

ialibus dictus, deposità lugubri, ad solitam omnes vestem redierunt. Qua in re tantus splendor enituit, tanta omnium magnificentia, non in Principum modò vtriusque sexus vestibus, cultu & ornatu immensi sumptus & precij; sed in vario floridoque aulicorum amictu, quo suam quisque familiam producebat, vt nihil Ferraria viderit vmquam sumptuosius. Ad summum templum summus Pontifex præcesserat, acceptoque habitu & diademate Pontificio, sacrum celebraturus in solio consederat. Regina candido amictu, vnionum & gemmarum mundo precij inæstimabilis, & splendore exculta radiansque, vt lectissima illa orbis Margarita, tota gemmea videretur, inter duos Cardinales Santiquatrium & Farnesium, matre cum Archiduce proximè sequentibus, cum frequenti Principum & nobilium comitatu ad idem templum, quod aureis & argenteis peristromatis effulgebat, deducta fuit. Postquam sub aureo cum matre solio est excepta, & Archidux è regione sub suo itidem consedit: sacrum solenne Pontifex auspicatus est. Apostolico fidei symbolo decantato, Regina à Cardinalibus ad Pontificem deducitur, cum matre & frequenti sui sexus comitatu: Archidux cum suo item ex altera parte accedit. Tum prælecto publicè mandati instrumento, quod à rege Catholico Archiduci datum erat; Pontifex matrimonium inter regem Philippum per Albertum auunculum, legatumque eius nomine comparentem, & reginam Margaritam præsentem celebrauit: cui ad solium reductæ omnes Principes auspicatissimas nuptias reuerenter sunt gratulati. Substitit coram Pontifice Archidux Albertus,

Bina sponsalia Pōtifex firmat.

bertus, dum Sessæ Dux accederet, qui cum simili mandato Infantis serenissimæ nomine compareat: quo lecto, Isabella Clara Eugenia per legatū suum Alberto Archiduci per Pontificem desponsatur. Sacris peractis, Pontifex reginæ ad altare adductæ, auream rosam consecratam dedit: quæ inter dona Pontificia eodem apud Principes eius sexus loco est, quo ensis & galerus, qui ad primarios Christiani orbis Principes à Pontifice mitti solent. Tota dehinc ciuitas ad lætitiam, ad ludos, ad hilaritatem, ex augusti hymenæi edicto, se conuertit. Omnia loca, viæ omnes, publicæ ædes & priuatæ plausu, risuque perstrepebant, personatorum vtriusque sexus hominum, cum iocis, ludicris, choreis, per vrbem cursitantium, plena erant omnia: nihilque omninò, quod ad recreandos animos pertinet, ex vlla parte prætermittebatur. Paucis ita diebus, quibus Ferrariæ substiterant, per summam lętitiam transactis: Mantuam porrò contendere instituunt. Reginam Dux Mantuæ Roueri exspectabat, quatuor equitum turmis in occursum missis, quæ Gubernium vsque (castellum est, in Mincij ripa situm) reginam deduxerunt. Ibi bucentaurum nauem verè regiam, ingressa, prono flumine propè Mantuam est delata, mille circiter & quingentis ab vrbe passibus: ibi exscensione facta, & à Principibus vtriusque sexus salutata, rheda vrbem cum matre inuehitur, quacumque iterat, honoris aliquo argumento oculis sese objiciēte. Palatij, in quod diuertit, apparatus planè erat regius. Sed omniū admirationem & fidem superabat scenicus tragicocomœdiæ, quæ sequenti die dominico exhibita fuit, ornatus. Argumentum erat pastoris Myrtili fides, qui pro sua Amaryllide se dijs

Anno 1598.

Regina Mātuam venit

Anno 1598. sed ijs deuoueri & immolari cupiebat: cum fabula nuptiarum Mercurij & Philologiæ. Hoc spectaculo, nihil vnquam magnificentius, nihil admirabilius tota Europa multis sæculis visum memorant: cuius descriptionem ex Italicis libellis, qui harũ rerum studio & delectatione ducũtur, petere possunt. Erit, nisi fallor, vt veterũ spectaculorum artem & magnificentiã non valdè desiderent. Quos verò sumptus Mantuanus in regina tractanda fecerit, vel hinc æstimari potest, quod præter ceteras impensas, & dona preciosissima, in gynæceum distributa, nouem dierum alimoniam hominum quinq; , equitum quatuor millibus præbuit. Mantua per Cremonam Mediolanũ sunt profecti: quæ ceteroqui vrbs frequentissima, tum velut vniuersi orbis theatrum poterat videri. Longum esset singula describere, quæ reginæ & Archiducis, adeoque vniuersæ Austriacæ familiæ, hic data sunt honoribus: qui, & quia vrbs hæc ad Hispaniarum regis pertinet imperium, subsistere ibi decreuerunt, tantisper, dum de regis voluntate cognoscerent, & nauigationi commodum tempus redderetur. Nos verò reginam & Archiducem huc vsque comitati, in Belgium nos recipiamus. Sed eheu, inquis, quò, vbi pro epithalamio Bellonæ flagellũ, pro musica harmonia, terribilem lituorum & tubarum audias clangorem; pro tædis nuptialibus, villarum, pagorum, vrbium videas incendia; vbi pro iubilo lamenta, pro risu fletus aërem complerant? Ita est profectò: & quisquis hæc videre abnuis, huic sæculo parum aptus es, aut potius nostram omnium conditionem ignoras, quibus reciproco quodam nexu, læta tristibus, tristia lætis, in orbem veluti succedunt.

Mantuani liberalitas & magnificentia.

Admi-

Admirans, deliberatione habita, variantibus sententijs, quod quidam in hosticum penetrandū, alij nullos à tergo hostes relinquendos esse dicerent; Rinbercam oppugnare decreuit. Est id oppidum in Rheni ripa, ad Coloniensem pertinens diœcesin: quod tum, vt suprà diximus, Hispanis ereptum, præsidio tenebāt Hollandi: quibuscum paulò antè de eo restituendo egerat Episcopus Coloniensis, missis ad Ordines Ioanne Nassouio Comite, & Gulielmo Quadio, Zoppenbroquio: sed quū de conditionibus, quibus id redderetur, non statim conueniret, ad hāc vsq; obsidionem res fuit extracta. Paulò infra oppidum insulam paruam facit Rhenus. Eam Mauritius, intellecto hostium consilio, præsidio firmat. In oppido tum pestis vehementissimè grassabatur; adeò, vt ex præsidiarijs vix quadringenti reliqui essent, de quorum numero etiam quotidiè vi morbi aliquid decedebat. Admirans, de oppidi statu edoctus, ad Schafium præfectum eius loci, eodem morbo decumbentem, litteras mittit; quibus oppidum sibi Archiducis nomine dedi postulabat. Respōdet humaniter Schafius: missum se eò ab Ordinibus confœderatis & Comite Mauritio, cum præsidio, vt oppidum, dum de restitutione cum Archiepiscopo Coloniensi transigeretur, defenderet, rogare vt à vi interea abstineat, nec actionem cœptam turbet, simul de litteris humaniter scriptis gratias agit. Admirans, vbi hostem minimè obstinatum, vti putabat, animaduertit, denuò ad eundem scribit, & quia breui vi morbi periturus videbatur, eodem argumento litteras ad coniugem eius adiungit; quibus petebat, vt deditioné quantū in se esset, promouere vellent, multa pollicitus. Earum litterarum exemplis Schafius è vesti-

Anno 1598.

Admirans Rinbercam obsidet:

præfectum de vrbe dedenda solicitat.

Anno 1598. gio ad Mauricium missis, quo in statu res sit, docet, & paulò post vitam finit. Ei suffectus Lucas Heddingus, maiori animo quàm spe loci suscipit defensionem. Nam & insulam, cuius modo fecimus mentionem, iam occupauerant Hispani, quum qui ibi relicti erant, ægrè se ad suos in oppidum recepissent: & tormentis vndique muri vrbis ita conuerberabantur, vt iam tum appareret, non nisi expugnato oppido, discessuros inde Hispanos. Interea Admirans copiarum partem ad Budericum, Cliuense oppidum, Vesaliæ vicinum, occupandum mittit. Ciues, grauissimè iniuriam sibi fieri conquesti, impetrare non potuerunt, quo minus externum reciperent militem. Iam enim Hispani ignem portarum alteri iniecerant, & vi introrupturos se minabantur. Suo igitur periculo consternati oppidani, militem admittere, quàm extrema experiri maluerunt. Die Octobris decimoquarto, nebulæ beneficio propius ad oppidum admoto exercitu, Alphonsus Daualus, suo nomine, obsessos de deditione interpellat. Ei tum præsidiarij respondent: Nullum se vniuersos subterfugere velle, vitæ discrimen in eo defendendo, in quo ab Ordinibus & Comite Mauritio sint collocati: simulque monent, ne quis postea cum talibus postulatis ad se rediret, nisi, vt hostis, tractari vellet. Hoc responso perlato, Admirans summa vi oppugnationem aggreditur. Quum horas aliquot in vrbem fulminasset: ecce, horam circiter diei nonam, puluis tormentarius in turri quadam non procul à mœnibus asseruatus, à globo quodã candente illapso incensus, ipsam turrim primùm à fundamentis euertit, proxima ædificia, atque in primis vnam ad portã Rhenanam hosti-

Budericum ab Hispanis occupatum.

bus

bus oblectam munitionem, tanto cum fragore dis- Anno
ijcit atque disturbat, vt oppidum vniuersum fun- 1598.
ditus conuelli videretur. Hac calamitate præsidiarij, partim incendio ambusti, partim ruinis ædificiorum lapidibus ac tignis obruti perierunt; & in his vrbi præfectus, dum fortè illac transit. Hispani à fortuna sibi aditum ad oppidi inuasionem patefactum cernentes, occasioni minimè desunt: sed frustrà tentato aditu, quod recentes iam ab oppidanis in eorum locum, qui perierant, submissæ essent copiæ, per fetialem iterum deditionem vrgent. Obsessi quum puluere omni corrupto in armis exiguam sibi spem esse intelligerent, nec munitionibus & tormentorum vi, & dicta calamitate vehementer laceris & deformatis satis fiderent; vltro citroque datis vadibus, ægrè obtinere potuerunt, vt cum armis & sarcinis, incolumibus abire liceret, dato iureiurando, ne intra quatuor menses contra Hispanum & Archiducem militarent. Multum hac in re beneuolentiæ & humanitatis obsessis præstitit, Alfonsus Daualus, magni nominis inter Italos equitum magister; memor humanæ tractationis, qua superioribus annis Comes Mauritius eum habuerat captiuum. Ita paucis diebus Admirans Rinberca in potestatem redacta; Hollandis omnem Rheni nauigationem præclusit. Ei hac in expeditione cæsi, Virici, Danij, Comitis Falcostænij, mors magnam inuidiam, apud Germanos præsertim, concitauit. Fuit hic Ducis Cliuensis beneficiarius, vir consilio & manu promptus; nec à caussa eius religionis, quam Hollandi profitentur, putabatur alienus. Suis ergo metuens prædijs, quæ ijs in locis magna tenebat & opulenta, vt de vi sibi,

Rinberca deditur.

Virici, Comitis Broncosis mors.

Anno 1598. suísque caueretur, Admirantem per internuncios rogat: qui respondet, Expeditionem hanc & ad publicæ quietis, & Catholicæ religionis conseruationem esse susceptam: quarum vtramque si curæ sibi esse reipsa demonstraret, maiorem in meritis suis, quàm aliâ quauis cautione fiduciam collocare debere. Quum igitur & hinc, & alijs indicijs, quanta apud Hispanos inuidia laboraret, comperisset: præsidium circiter sexaginta virorum, à Cliuensi, in cuius fide & clientela erat, acceptum, castello suo Brocæ imponit, coniuge & gynæceo ad loca tuta præmissis. Vix hæ digressæ erant; quum adsunt Hispani, cum litteris Latinè scriptis. In ijs Admirans primùm conquerebatur, magnâ militibus suis pabulatum egressis, à Comitis ministris, subditisque vim fieri & iniuriam: multos equis spoliatos, nonnullos etiã crudeliter interfectos esse. Ad supplicium ergo facinorum auctores quàm primùm dederet, ac posthac in officio maneret. Deditionis nulla ijs in litteris fiebat mentio; quam tamẽ è vestigio quatuor Hispanorum centuriones fieri poscebant. Comes, cædes, & rapinas, quæ à suis factas dicerentur, à sua conscientia multis verbis remouens, tempus sibi dari ad respondendum petit. Recusant illi, & quantocyus declarare iubent, velletnè arcem in regij exercitus potestatem tradere, vel minus. Comes eam se à Cliuensi Duce accepisse dicit, ea lege, vt eam nemini, nisi eiusdem Ducis iussu, traderet. Proinde quum voluntati eorum sine flagitio obsequi nequeat; rogare atque obtestari, ne sibi nihil tale merito vim fieri paterentur: sin verò precibus his locus nullus sit reliquus, malle se vitæ, quàm existimationis & honoris facere iacturam. Post multa vtrimque commutata verba, & interpo-

& interpositas protestationes, ita discedunt Hispani, vt mox alios interpretes se missuros dicerent. Si ità vobis placet, Comes inquit, equidem prout loquentur, eis respondere constitui. Nec diu moratus, tormenta in muris disposita displodi iubet. Mox Hispani, tribus machinis ex aduerso collocatis, arcis mœnia conuerberant, & muri parte satis magna deiecta, oppugnationem, quod iam multa nox esset, in posterum diem decernunt. Vbi diluxit, Comes, viso ad arcem oppugnandam Hispanorum apparatu, extrema iam sibi imminere intelligens, ad colloquium descendit, & vitæ ac fortunarum incolumitatem pactus, Hispanorum præsidiũ intra arcem admisit: qui superiorum temporum, vt videri volebant, iniurijs irritati, deditítios, miserũ in modum contrucidârunt. Magno etiã tum in vitæ discrimine Comes fuit; ac nisi quorundam Hispanorum centuriorum opera & precibus militaris compressus fuisset furor; eandem procul dubio tum statim, quam reliqui, subijsset fortunam: qui præsenti periculo ereptus, ad maius postea ludibrium est seruatus. Die enim Octobris decimo, inuitatus ab vno & altero, qui in præsidio erant, vt animi caussa prodire cum ipsis vellet, quamquam sinistri aliquid suspicaretur, prodijt tamen, siue arcana vi fatorum tractus, siue vitæ, quæ in alterius esset potestate, pertæsus. Piscinæ adstanti miles à tergo clauam in caput impingit; deiectum alius, & Dei misericordiam implorantem gladio cõfodit. Intereà puer, qui solus eũ comitatus fuerat, in fugam abit, & præterfluentis beneficio elabitur. Mortui cadauer fama est, horreo iniectum, vnà cum eo deflagrâsse.

Anno 1598.

Eius necem Admirans postea scriptis ad Vest-

Anno 1598. phaliæ Circuli proceres litteris, ita excusauit, vt & inuito se commissam eam diceret; & culpam omnem in mortuum, qui multa contra regium exercitum ausus esset hostilia, côferret. Hic exitus fuit intempestiua libertate vsi Comitis, non tam ipsi fortasse calamitosus, quàm in vniuersam Hispanorum gentem apud Germanos inuidiæ plenus.

Admirans Velasienses mulctat. Expugnata Rinberca, alijsque ad Rhenum præsidio firmatis locis: Admirans cum exercitu ad hosticũ propius accedit. Dotecomum, paruũ in Zutphaniensi Comitatu oppidum, obsessurus. De itinere ad Vesalienses mandata mittit, vt duo peditũ millia, cum mille equitibus in vrbem reciperent, sin pecunia redimere se mallent, ducenties mille coronatos quàm primum dependerent, exercitui rebus necessarijs, in primis pane menstruo subuenirent, per obsides interea Budericum missos cauerent, nihil damni regijs, in ipsorum finibus, à Comite Mauritio datum iri. His de rebus conuocatu Senatu, deinde vniuersa ciuium multitudine, placuit vt legati mitterentur, qui precibus alijsq; rationibus Admirantis animum ad æquitatem inflecterent, & tolerabilibus conditionibus, cum eo transigerent. Post multam disceptationem conuẽtum est, vt aureorum centum millia, frumẽti modios mille darent, & suis sumptibus traijciendo Lippæ fluuio pontem facerent. Postquam imperata fecerunt Vesalienses, Admirans Ræsam, Embricam, Santonam, Dinslacam, Holtam, multaque in ijs locis oppida præsidijs occupat, aratoribus passim & hominibus rusticanis ex agris profugientibus. Castris ad Dotecomum sexto Nouembris positis, eodem statim die quatuor machinis portam quà Dusburgum itur, quati iubet, nullo, vt aliàs

moris

moris eſt, præmiſſo, qui oppidanos de deditione interpellaret, caduceatore. Exiſtimabat enim præſidiarijs vi oppreſſis, cetera loca metu perterrita, facilius ad deditionem ventura. Erant in præſidio quatuor peditum ſigna, commeatuum quantum ſatis eſſet vel ad longam obſidionem ſuſtinendam: ciues longo militiæ vſu plerique omnes bellicoſi. Sed quo minus diu oppidum defendi potuerit, fecit & munitionum infirmitas, & hoſtis in ijs tormentorum vi diſturbandis pertinacia. Quantò ergo periculo propiores, tantò magis de vita ſua ſolliciti, poſt tridui oppugnationem per internuncios deditionem offerunt: qui aliquoties repulſi, quod Admirans nulla conditione vniuerſa ſibi permitti vellet, tandem impetrârunt, vt præſidiarij cum armis & ſarcinis, relictis ſignis, egrederentur, & ſex menſibus extra Hollandiæ & Selandiæ fines contra Hiſpanienſem exercitum arma non ferrent.

Anno 1598. Docecomū obſeſſum, & captum.

Ciuibus negatæ conditiones: quibus tamen Admirans vitæ & fortunarum incolumitatem promiſit. Schulenburgum inde, paruum, ſed loci natura munitum caſtellum, oppugnat, præſidiarijs omnibus, niſi quàm primùm ſe dederent, necem minatus: qui tamen minarum ſecuri oppugnationem ſatis viriliter aliquamdiu ſuſtinuerunt: ſed quum viribus multò inferiores ſe eſſe animaduerterent, hoſti arce cum impedimentis omnibus tradita, nudi & inermes abierunt. Interea Mauritius ad Seuenarum cum copijs, quas non ita multas habebat, conſederat, & magna diligentia communitis caſtris, hoſtem obſeruabat. Vbi captum Dotecomum cognouit; DVSBVRGVM, ad Iſalam poſitum oppidum, proficiſcitur, vt vici-

item & Schulēburgum.

Mauritius hoſti occurrit.

Anno 1598. vicinis locis præsidio esset. Sed prius Seuenarum, oppidum & castellum, telonéum itidem, quæ ijs in locis Cliuensis tenebat, inuito extorquet, præsidioque firmat. Constabat omnis eius exercitus equitibus, plus minus, octingentis, & peditatu circiter sex milliũ virorum. His cum copijs hosti se ad Isalam (quæ olim fossa Drusiana) obijcit, in omnes occasiones intentus: vijsque omnibus obsessis, cõmeatuũ penuria affligit. Multa iam hyeme, pabuli alimoniæque inopia confectus Hispanorum exercitus in hyberna deducitur: non in hosticum quidem, vt Andreas Austriacus, cui summam rerum, absente Alberto, commissam fuisse diximus, iusserat (id enim difficile minimeq; tutum videbatur) sed in Cliuiam, Vestphaliam, Marchiam, dioecesin Monasteriensẽ, Romani Imperij ditiones. Ne quis verò nouus existeret motus; Admirans has disciplinæ militibus suis leges præscripsit. Principio inquit, operam dabitis omnes, ij præsertim, qui munus aliquod geritis, vt vitam Christianis dignam agatis, omnesque offensionum caussas, quantum in vobis est, vitetis; ne fortè vitia vestra maleuolis hominibus actiones nostras & cõsilia in peius interpretandi ansa, & calumniandi materia præbeatur. Sacerdotibus, & vtriusque sexus Deo dicatis personis, omnem honorem exhibebitis & reuerẽtiam. Quod si quis contumeliosè ijs illudere, aut quacunque in re damnum inferre ausus fuerit: ei certam grauissimamq; pœnam denunciamus. Eius loci magistratus, vbi versamini, obseruabitis, nec eorum iurisdictionem vllo modo interpellabitis: vtpote qui non vi parere nobis coacti, sed regiæ MAIESTATI gratificari cupientes, vltrò nos hospitio susceperunt. Opificibus nemo obstabit, quo-

Hispani ditiones Imperij inuadunt.

Admirans leges militibus præscribit.

quominus artes suas, ad alendam familiam, liberè exerceant, nec vllum eis onus, nulla exigente necessitate, imponet. Aratores in agris colendis, serendis, ceterisque rusticis operibus, non modò non impediet quisquam; sed pro suis quisque facultatibus adiuuabit. Hospitiorum designationes præsentibus duobus aut tribus è magistratu cuiusque loci, totidemque è nostris fient, vt & ciuium & militum ratio habeatur. Nemini quidquam licere volumus, quod non vel expresso decreto permissum sit, vel ad præsentem rerum statum omninò necessarium reperiatur: nec plures quàm vicenos in singulas peditum cohortes equos, ali. Omnes qui stipendia non merent, è domibus & hospitijs eijciantur, nec ferantur, nisi eius loci præfecto certis de causis ita videatur; vti nec mulieres, nisi quæ lauandis linteis operam præbent. De stipendio suo militum vnusquisque sumptum faciat, nec hospiti suo oneri sit; multò minus per vim quidquam eripiat: quod tamen in victū quotidianum (seruitium vocant) ciuibus imperatum, vel à volentibus collatum fuerit, eo vtentur. Ciuibus & inquilinis vltrò citròque commeandi, commerciorum exercendorum gratia, libera sit potestas; vti ceteris quoque omnibus mercatoribus & peregrinis: ne vllum tributum eo, siue quouis alio nomine ab eis extorqueatur. Militibus per agros suburbanos, villas, & pagos vagandi, & rusticanorum fortunas expilandi licentia nulla erit: immò illud procurabitur, vt eorum armis ager vicinus à vi & iniuria defendatur. Si quid verò tributi nomine imperare nobis visum fuerit, non nisi expresso nostro id fiet mandato. Nulli detur facultas immunitatem à præsidiarijs in ædes suas recipiendis

Anno 1598.

Anno 1598.

piendis pecunia redimendi, nisi ijs de caussis quæ designatoribus & magistratui sint probatæ. Hæc quidem cum iactata fuêre, & promulgata publico edicto: cui si fides constitisset & robur, magni motus, qui postea sequuti sunt, vitari potuissent. Ordines enim Imperij, vicini præsertim Principes, grauissimis sociorum querelis fatigati, ad quos iniuriam, ad se verò etiam exemplum pertinere animaduertebant, conuentus agunt, in quibus de reprimenda externi militis insolentia, ditionibusque Imperij ab iniuria defendendis consultatum fuit, de quorum euentu postea dicemus.

Vestphaliæ Ordines de iniurijs Hispanorum conqueruntur.

Iam antea Vestphaliæ proceres, vt gliscenti malo quàm primum occurreretur, sub finem Septembris comitia priuata Tremoniam indixerant; in quibus decretum fuerat, vt ad Cæsaream Maiestatē, Moguntinum, Coloniensem, Treuirensem & Palatinum Electores, quorum ditiones ad Rhenum sunt, res omnis perscriberetur, eorumque auxilium imploraretur. Earum literarum hæc erat summa: Post Alberti Archiducis in Hispaniam abitum, Franciscum Mendozam, Admirantem Aragonium, cum triginta millium virorum exercitu Cliuensem Ducatum inuasisse, Orsoniam oppidum, eiecto præsidio, occupâsse: Rheno cum maxima copiarum parte traiecto, ad Valsum pagum nouas excitâsse munitiones: eductos inde Hispanos milites Brocam, castellum Virici Dunij, Comitis Falcostænij, in fide & clientela Iuliacensis Principis, admotis machinis oppugnâsse: præsidiarios ad loci defensionem à Principe missos contra fidē datā interfecisse. Comiti nihil mali metuenti post aliquot dierum captiuitatem, per summum scelus

vitam

vitam eripuisse. Nec verò hîc, inquiunt, iniurias e- Anno
orum conquieuisse: sed vlterius progressos Bude- 1598.
ricum, Dinslacum, Holtam, Ræsam, Embricam, aliaque in Cliuensi Ducatu oppida, castella, & vicos per vim occupâsse, diripuisse, & euastasse; subditos cum omni familia sedibus patrijs eiecisse, nulla cuiusquam ætatis, ordinis, aut sexus habita ratione: Vesalienses, minis & metu perculsos, centum aureorum millibus multâsse; quorum pars dimidia statim fuit repræsentata, alterius semissis solutioni dies constitutus præter mille frumenti medimnos. Crudenbergum præterea, Veuelinchouam, Lonam, Vimmendal, Diesfortam, Rosauium, Impelium, Dornicomum, Lacusium, quæ loca partim ad Principem, partim ad nobiles familias spectant, suæ potestatis fecisse, damnis, rapinis, ferro & flammis omnia miscuisse. Sed nec his se finibus eorum furor continuit. Nam & munitiora loca diœceseos Monasteriensis in suam potestatem redegisse, vt ibi cum graui incolarum damno hiberna agerent milites: Essam præterea & Verdam omni belli clade euastâsse. Iam Geldrica præsidia frequentibus excursionibus omnia itinera adeò infesta habere, vt omnia commercia cessent, & agriculturæ studium planè iaceat neglectum: nec vllũ immodicarum exactionum esse finem. Nec verò *item Hollandorum.* segnius alteram belligerantium partem & ipsam ad loca quædam capienda animum adiecisse. Seuenarum enim, & Lobicium, telonéum occupâsset; multos etiam captiuos quotidie abducere, & hostiliter tractare: idque iam agere vtramque factionem videri, vt bellum à suis finibus in Germanici Imperij ditiones transferant: nec obscuras esse minas, quas nonnulli in Hispanorum exerci-

tu con-

Anno 1598. tu contra Simonem Lippiæ Comitem, aliosque effuderint. Quapropter orare atque obtestari, vt pro auctoritate sua agerent; neque se immanissimo militi prædæ & rapinæ permitterent. Electores, his de rebus certiores facti, statim & ipsi ad Cæsarem scribunt; simulque proximo conuentui locũ Coloniam designant.

Tempora tumultuosa. Mirum cui videatur, consideranti, quantis & quàm multis hoc anno, totus terrarum orbis tumultibus & bellis arserit. Nam, vt de Vngaria nihil dicamus, cui perpetuum cum hoste crudelissimo est bellum; & Italiam cõmôrat tumultus Ferrariensis; & è Belgij infelicis penè dicam cineribus, grauissimi belli scintillæ in proximas Germaniæ regiones eiectæ, magnum incendium daturæ videbantur: in Gallia non tam pax erat, quàm bellum cessabat. Vt enim in turbulenta tempestate, etiam quum venti posuêre, mare nihilominus, procellis aliquantisper & fluctibus agitatur, & tum maximè, si nauclerus inscienter cursum moderetur, & velut omni periculo defunctus, armamentis compositis, quieti se det & somno, naufragij est periculum: ita rebus etiam post diuturna bella compositis, motus quidam in ciuium animis residui manent; qui, si non arte tractentur, in bellum exitiabile plerumque erumpunt. Sed profectò Galliæ tot malis vexatæ tandem misertus est Deus, dato eo rege, cuius prudentia deleniti omnium, etiã diuersa sentientium, animi in vnum coalescerẽt, & coniunctis viribus, saluti magis publicę, quàm suæ quisque consulerent cupiditati. Angliam Hibernorum seditio, ab Hispanis fota, fatigabat. Hispanorum regem, cui domi pax erat, bella externa distinebant. Sola Sarmatia Europæa pacis bonis abun-

abundabat: quam tamen & ipsi mala quædam fortuna inuidit. Spes quidem erat, æternam amicitiã inter Polonos fore & Suecos, quorum regna, quod vnum haberent regem, in vnum iam quasi coijsse videbantur. Sed res longè aliter cecidit. Rex enim, quo absente in Suecia multa fiebant, quæ minimè probaret, sæpè iam à Poloniæ Ordinibus veniam in Sueciam proficiscendi petierat: sed postulationi eius propè cunctis refragantibus, hactenus remansit. Præcipiti iam æstate, intra certum tempus rediturum se pollicitus, copias nauibus, quas ad Dantiscum habebat, imponit, & ad Calmariam, maritimum Sueciæ oppidum appellit. Causa expeditionis ferebatur, & reipublicæ constitutio, & reformatio religionis. Magnam ijs in locis, & auctoritatem, & potentiam obtinebat Carolus, Sudermaniæ Dux, regis patruus; in quem, absente rege, omnium oculi erant coniecti. Is vnus maximè obstare videbatur, quo minus & præfectis regijs, quantam vellent, obedientia præstaretur, & Catholica religio, quod in primis rex vrgebat, veluti postliminio restitueretur: quippe qui non minori studio Augustanam confessionem, per totum regnum iam olim receptam, quàm rex Catholicam religionem propugnabat. Ad famam classis appulsæ, pauci Suecorum proceres ad regium exercitum se adiungunt. Interea Carolus per vicinas regiones exercitum quantum potest conscribit, cumq; eo ad Stecoburgum se obijcit. Ibi re leuibus aliquot militum excursionibus vario euentu tentata, Legati ad regem venerunt, nunciantes, si regnum pacificè ingredi vellet, Ducem, patruum, præstò esse qui eum deduceret; rogare, ne arma experiri, sed à fundendo non Christianorum modò, verùm etiam

Anno 1598.

Poloni in Sueciam expeditio.

iam

Anno 1598. iam subditorum suorum sanguine abstinere vellet: sed tum infecta re dimissi, paulò post, confirmatis iam suorum copijs, cum ijsdem mandatis redierunt. Ab vtraque parte tandem duodeni lecti sunt, qui pacis aliquam rationem comminiscerentur. Tridui consultatione frustrà habita, rex, siue rebellium pertinacia offensus, siue rei commodè gerendæ opportunitate & spe ductus, de nocte castra mouet, & Lincopiam versus contendit. Discedentem quanta potest celeritate Carolus insequitur, & collatis castris, denuò caduceatorem de pace mittit: sed & huius orationem rex auersis auribus accepit, & diem locumque constituit, vbi prælio decerneretur. Quum totum eum diem regia acies in procinctu stetisset, Sueci verò têpus locumq; designatum, è suo magis arbitrio quã hostium voluntate bellũ directuri, non obijssent: Poloni læti, velut extorta hostibus metus confessione, in castra reuertuntur, & armis positis, equisque alligatis, securi agunt. Interea trepidũ de Suecorum aduentu in castra nuncium allatum semisopitos excitauit: quem terrorem multum auxit aër eo die valdè nebulosus. Poloni traductis per pontem copijs, aciem instruunt, & Suecos, magno impetu illatos, fortiter primũ excipiunt; sed multitudine oppressi, tandem in fugam vertuntur. Rex suis laborantibus Suecos aliquot equites subsidio miserat: verùm ij siue metu, siue proditione, vix viso eminus hoste, sunt dilapsi. Promouentibus aciem Suecis, rex pontes deijci iubet: quæ res vt Suecos trans flumen cohibuit, ita Polonis omnem ad suos reditum interclusit. Multi è regijs eo in prælio ceciderunt; multos aqua absorpsit: pauci verò, maturè amnem transgressi, ad suos euaserunt. Hac clade

Poloni caeduntur.

clade accepta rex, oratoribus ad Suecos missis, pacē vel inducias petit, & facilè impetrat. Inter leges transactionis fuit, vt Sueci proceres, qui ad regem defecerant, Carolo dederentur; qui capite postea luerūt. Triduo post rex & Dux cum suis vterq; in campum procedunt, & medio in loco, iussis interea consistere militibus, soli congrediuntur. Finito colloquio, Dux regem Lincopiam comitatur, & in regium vnà cum eo palatium diuertit. Paucis ibi diebus exactis rex Stecoburgū, inde Calmariā versus vestigia relegit: vbi cōscēsis navibus, quarū aliquæ fluctibus obrutæ, ceteræ disiectæ & vexatæ fuêre, ad Dantiscum eijcitur magis quā exponitur, conatibus eius vbique aduersante fortuna. Anno 1598.

Exeunte mense Septembri, Omar Bassa, Vezir Turcicus, Varadiuum, Transyluaniæ oppidū, obsidere cœpit. Primum ad Bispacam, vicinum pagū, castra ponit. Arci & oppido præerat Melior Rederus, nobilis Silesius, vir summa doctrinæ & rei bellicæ gloria illustris. Is comperto hostium aduentu, de quo etiam antè Transyluanus ciues admonuerat, sedulò omnia tolerandæ obsidionis præsidia comparat, & militū animos, qua est singulari facundia, ad quęuis pericula subeunda oratione vehementer inflammat: oppidum contra tantam vim non satis firmum, incendit, comportata prius in arcem, quæ ibi reperta erat, alimonia, à ciuibus verò impetrare non potuit, etsi acriter, atque adeò strictis armis instabat, vt in arcem, eādem subituri fortunam se recipere vellent, præter paucos, in quibus duo signa peditum erant, Gotofredo Rubitio ductore. Quod reliquum ignis violentia fecerat, statim à TVRCIS fuit direptum *Varadinum magnum obsidetur.*

Anno 1598. reptum: quorum tamen multi in medio conatu ab Heiduccis oppressi perierunt. E captiuis hostiũ numerus cognitus est, in quibus sexaginta circiter millia virorum fuisse constat. Primo & secundo Octobris diebus Turcæ munitiones excitant, aquã è fossis deriuant, & tormentis fulminare incipiũt. Illis ipsis diebus Rederus, sua cuique statione designata, milites Germanos ad se vocatos, sacramento obstringit, ne quis cum hostibus colloqui, aut consilia communicare, multò minus deditionis vllam facere mentionem ausit. Id enim & capitale ei fore qui fecerit, & ei qui in conscientiam assumptus, non statim ad suum rem omnem detulerit præfectum. Promptè omnes iurârunt; vt & postridie Vngari. Rederus econtrà se vitam fortunasque communi cum eis periculo expositurũ, & ad extremum vsque spiritum fortissimè dimicaturum, sanctè promisit. Quinque præcipua arcis sunt propugnacula, quorum nomina, barbara illa quidem, sed vsitata nostris, ponam, quod ijs frequẽter mihi postea in hac narratione vtendum intelligam.

Primum, quod ad palatium est Kiraliuanum appellant, cuius custodia Niaro Pauli fuit commissa.

Secundum ligneum dicitur, quod è lignis & terra aggesta sit exstructum: cuius defensionem Kyralus Georgius, arcis præfectus, susceperat.

Tertio Tscheucæ nomen est;

Quartum, Aureum; Quintum denique Venetum indigetant: ad quæ Rubitius cum suis excubare iussus. Primus impetus in Ligneum factus est: quod bis à Turcis incensum, nostrorum opera incendio restincto, seruatum est. Ne verò idem periculum sæpè esset subeundum; nostri intra sepi-

oppugnatur

mem-

mentum, quod, terra expletum, ambitu suo propugnaculum vniuersum complectebatur, fossam ducunt, & militum ibi stationem collocant, qui & Turcas inuadere tentantes exciperent, & eorum conatus in tempore anteuerterent & disturbarent. Sexto octobris hostes aquam à mola, quæ paullo supra arcem est, in fossam arcis influentem, aliò diuerterunt; sequenti verò nocte ad Kiralyuanum cuniculos agere cœperunt, quorundam è nostris incuria; qui eam in vigilijs obeundis negligentiã capitis pœna luerunt. Septimo octobris, ne quid ibi damni acciperetur, quatuor Haiducci, promptæ audaciæ, cœptam hostium substructionem ingressi fossores expulerunt, & instrumenta reperta secum asportârunt; qui tamen, nostris digressis, locũ maiori cum numero repetierunt, opusq; continuârunt. Octauo, ad Tscheucæ propugnaculum cryptã iidem moliuntur Turcæ, tanto cum ardore vt collotenus aquis immersi, & crebris vndiq; nostrorũ telis petiti, nihil de labore intermiserint, in cęsorũ locum semper recentibus, alijs atq; alijs, summissis: nec prius absistunt, quàm murum subtergressi, extra teli iactum se constituissent. Ad hos excipiẽdos, nostri ex aduerso cuniculos ducere satagebãt, sed locorum difficultate impediti, hosti pro lubitu agendi, quanquã inuiti, potestatẽ permiserunt. Qui hunc sequutus est, die, nihil quod memorare operæ preciũ sit, accidit: at vndecimo, pedites quidam Vngari, viginti quinq; numero, in eã fossam, quam Ligneo propugnaculo pręrensam fuisse diximus, ad excubias agendas collocati, quum nocturnis vigilijs fessi, circiter meridiẽ somno se dedissent, à Turcis, qui animaduersa nostrorum negligentia, lintribus fossam traiecerunt, oppressi, &

Anno 1598.

Anno 1598. partim morte cum somno continuata, interfecti, partim in arcem compulsi sunt. Hoc successu elati & aliquid amplius audendum rati, lintres ad sepimentum siue loricam ligneam admoliuntur, tugurios primùm, deinde palos recidût, terrâ fossam complent; inde arboribus, quæ ad ligneam propugnaculi partem, succîsis valli materia ligonibus egesta ità se tegunt, vt triginta fossoribus tutus facilè esset locus. Pulueri cuniculis duobus in locis, ad Kyraliuanum scilicet, & Tscheucanum propugnaculum illato, obstructis spiraculis, hostis duodecimo octobris, ignem subiecit, interea in procinctu stans, vt per ruinas in arcem irrumperet: quod consilium solius Dei misericordia discussit. Siue enim meatibus subterraneis non rectè interclusis, siue quauis alia de caussâ, ignis per os cryptæ quà illatus erat, magna cum violétia erupit: & præterquâ quod munitioni nihil nocuit, multos Turcarum, proximè adstantes, afflauit atque ambussit, ceteros ita perculit, vt perspecta oppugnationis difficultate, sensim pedem referrent. Ne tamen eo die nihil egisse viderentur, Ligneum propugnaculum inuadunt; sed acriter à nostris excepti, pauciores, quàm venerant, discesserunt. Sed ne sic quidem absterriti, aggerem eum, dies noctesque continuatis laboribus, demoliuntur, & terra in fossam subiacentem egesta, complanare student. Quod sequutum est quatriduû cuniculis agendis consumserunt. Die decimoseptimo puluis sulphureus, ad euertendum Theuscanum collocatus, igne admoto procurrentem eius extremitatem, cum duabus vtrimque alis, quarum interstitium passus viginti duos complectebatur, à fundamentis conuellit, & muri ruinis fossam complet: per quas Turcæ, agmi-

ne fa-

ne fa..o, mox irruunt, simul idem ad Ligneum propugnaculum faciunt, quo obsessos pluribus locis distinerent atque fatigarent: sed summa Dei benignitate, & incredibili nostrorum militum virtute repulsi, tandem octo signis amissis, receptui cecinerunt. In hoc conflictu Georgius Kyralius, arci præfectus, dum strenui simul ducis & militis officio fungitur, lethale vulnus accepit, atq; ex eo postea vicesimo secundo Octobris die decessit. Paullo ante mortem Rederum ad se vocatum orat atque obtestatur, vt Cæsareæ Maiestati, cui fidelem per multos annos operam nauârit, viduam & pupillos commendare velit. Ei successit Cælestus Ianus; cuius virtus postea in prædicta statione defendenda maximopere enituit. Sed admirabilior fuit Vngaricæ mulieris audacia, quæ durante conflictu inter primos vna manu acinacem tenens, altera saxa & regulas in confertum Turcarum agmen iaciens, tam obstinatè pugnauit, vt non nisi grauiter vulnerata pugna excesserit. Decimo octauo octobris die non vehementem minus quàm antea Turcæ impressionem fecerunt: sed eodem euentu. Quum verò præsidiariorum numerus continuis conflictibus diminueretur, periculumque esset ne nostri vigiliis & laboribus fracti, tandem elanguescerent: Rederus idoneum hominem ad MAXIMILIANVM AVSTRIACVM misit, qui nunciaret quo in statu res esset, rogaretque, vt exercitus quam primum, ad obsidionem soluendam, mitteretur. Vicesimo horam circiter decimam antemeridianam atrox pugna commissa est ad propugnaculum Kyraliuanum. Et itidē suffosso, puluerem subdiderant hostes; cuius vi muris, quan-

Anno 1598. defenditur.

Anno 1598. tumuis firmis, deiectis, hiatus ad vndetriginta circiter cubita patebat: fossa tamen, senos tricenos passus lata, & mediocriter profunda impressionẽ molientes remorabatur. Ei ergo dolia, vtres, aliaque quæ supernatantia flumen portat, injiciunt, his trabes, tigna, gerras superimponunt. Inde tribus locis tanta contentione irruunt, vt mori eo die omninò velle viderentur: quod quidem plurimis euenit. Etsi verò nostri tot pugnis, tanta Turcarum vndique se inferẽtium, multitudine, vehementer defatigati, propediem hostibus prædæ fore videbantur: tamen humano auxilio destitutis, diuina adfuit benignitas; qua freti, non modo nullam timoris dedêre significationem, sed pericula etiam vltrò prouocârunt. Certè nulla cuiusquam audita vox est, vel imperium detrectantis, vel de euentu obsidionis malè ominantis. Turpe enim ducebant, impios hostes maiorem animi fortitudinẽ ad oppugnandam religionem Christianam, quàm ipsos ad eandem defendendam, adferre. Et quemadmodum pericula indies; ita quoque animus eis crescebat; quamuis copiæ, etiam secundis prœliis, valdè essent attritæ. Vicesimo primo die Octobris, Tscheucani propugnaculi, secundùm iam suffossi, pars multò maxima ignito puluere conuulsa, concidit. Mox Turcæ ad impressionem, nostri ad defensionem conuolant. Pugnatum est tribus iterum locis acerrimè, ita tamen, vt Turcas numero, nostros verò diuinæ opis præsentia superiores esse, facilè appareret: quæ eò magis fuit conspicua, quò periculũ tum, non ab hoste tantùm, verùm etiam quorundã è nostris negligentia, maius fuit ac propius. Ignis enim, tormentarij cuiusdã incuriã, pulueri illapsus, longè lateq; diu grassatus est, adeò vt

totum

rocum propugnaculum ardere videretur. Magnam hæc res in Turcarum castris excitauit lætitiā, quæ tamen ipsis diuturna non fuit. Tentato enim aditu, quē facilē sibi, nostris in flamma restinguenda occupatis, promiserant, vitæ sibi exitum inuenerunt, singulari & incredibili nostri militis virtute, sed maximè Dei benignitate, qui flammā ita cōpescuit, vt præter paucos ambustos, noxam dederit haud itā magnam. Nostri tā graui periculo defuncti, multò certiorē spem de omni euentu cōceperunt. Nec Turcæ, licet non mediocri clade affecti, deterriti sunt, quo minus postero die frequentia iterum signa inferrent: sed repulsi, die Veneris, qui vicesimus tertius fuit Octobris, quiescendum sibi statuerunt. Vicesimoquarto rursus fortunam tentârunt, sed ęquè ac antea aduersanté. Interea Ceræsis (fluuij nomen est, arcem præterlabentis) alucum egressus, munitiones hostiles, ex aduerso Kiralyuaui propugnaculi structas, inundat, pontibusq; abruptoq; Turcas, qui ad ea loca defendenda relicti erāt, omni ad castra commeatu interçludit. Magno quidē tum damno hostis affici potuisset; sed pauciores erant nostri, quā vt vel paucos periculo exponere auderent. 26. Octobris, maiore iterum quàm vnquā antea impetu vallū transcendere conati, multis desideratis, sole iam ad occasum vergente, tandem retrocedunt: quumque vi & machinis parum promouere se cernerent, cuniculis iterum rem agunt. Quæ res vt opportunè nostris cecidit, quibus summo quies ab armis erat necessaria; ita maiorem futurum periculi metu sollicitos habebat. Ad eam enim iam redacti erant obsessi paucitatē, vt vix quindecim ex omni numero maximè periclitantibus subsidio mitti possent. Perfectis cuni-

ANNO 1598.

Anno 1598. culis, vicesimonono Octobris, Turcæ puluerem sulphureum caprinis vtribus infusum, intra quartam & quintam horam, paulò ante lucem, inferre incipiunt. Id nostri vigiles conspicati, ducibus renunciant: interea hominem artis pyrobolariæ peritissimum accersunt, & quid facto opus esset consultant. Is ignem missilem è loco opportuno in prætereuntes iacit, semel atque iterum frustra: sed quem tertium miserat sacculus ignitus, forte ad vtrem, quem duo humeris portabat, adhæsit. Mox puluis, igne concepto, ferentes humi deiicit: & flamma, proxima quæque allambens, momento temporis, puluerem omnem iam importatum corripit: qui inflammatus, fornicem subterraneum ingenti cum fragore disijcit, liberumque nactus exitum, non cunicu um tantùm, sed etiam vicina opera corrumpit. Hoc incendio multi Turcarum hausti sunt; ita vt magnus totis castris quiritantium passim audiretur vlulatus. Sed in duobus alijs cuniculis, qui ad Tscheucanum propugnaculum agebantur, spes erat, sed æquè vana. Puluis enim incensus, plus terroris, quàm incommodi, nostris attulit. Quod si tum res Turcis, ex animi sententia successisset, credibile est futurum fuisse, vt nostri viribus animisque tandem concidissent. Hostes spe sua frustrati, & veluti hiantes corui delusi, ne frustrà arma expedijsse viderentur (globos enim fecerant ad inuasionem) tribus locis rursus arcem oppugnant; sed præcipites acti, multisque confecti vulneribus, pars ad Plutonis domum, pars in castra se recipiunt. Vltimus hic fuit insultus, vltimaque dimicatio, quæ Turcarum animos planè fregit & debilitauit. Vasis igitur collectis,

tertia

tertio die Nouembris obsidionem omittunt, & co- Anno
pias Zolnocum, inde Budam ducunt. Inter pau- 1598.
cas memorabilis hæc est obsidio, in qua hostium *liberat.*
cædes in millia, è nostris mille & trecenti varijs
casibus absumpti dicuntur. Gratiæ inde Deo actæ,
hortante in primis, qui toto obsidionis tempore,
cum æterna nominis sui laude, summa cura, peri-
culisque, omnia administrauit, Meliore Redero: de-
inde victoriæ signum tormentorum tonitru da-
tum est. Rederus cum magna captiuorum turba,
vexillis, equis, aliaque præda Cassouiam prote-
ctam, magna cum omnium gratulatione excipitur:
arcis custodia Niaro Pauli, dum Cæsar de ea statu-
eret, commissa. Piè facere eos arbitror, qui soli
Deo victoriam hanc acceptam ferunt: interim ta-
men velim cogitent principes, quanti sit homines
idoneos magnis rebus administrandis præficere:
in quo si maior veræ solidæque virtutis, quàm
vel fauoris, aut splendoris alicuius externi, ratio
haberetur: fortean & multæ superiorum tempo-
rum offensiones, atque adeò clades vitari potuis-
sent, & in posterum rectius omnia & felicius suc-
cessura, spes esset.

Dum Turcæ Varadinum, vti retulimus, infestis *Buda obses-*
copijs nequicquam circumsident; Christianorum *sa.*
exercitus, ductore Schuartzenbergio, ad Budam,
Vngariæ metropolim, castra ponit. Ad primum
nostrorum aduentum Turcæ præsidiarij, quamuis
numero abundarent (vtpote qui ad sex millia fu-
isse scribuntur,) mœnibus se continuerunt, quin
etiam in quosdam è nostris, spe prædæ longius ad
portas vsq; excurrentes, nullum omnino telũ con-
iecerunt; eo, vt postea apparuit, consilio, vt multò
pluribus in insidias pellectis, maius dãnũ nostris

Anno 1598.

darent. Vbi enim totum agmen contra vrbem processit; continuò ingentem globorum missiliũ imbrem effundunt: sed is sine vlla nostrorum insigni calamitate conquieuit. Interea Schuartzenbergius cum Palfio, alijsque quàm possunt proximè ad vrbem accedunt, & loca castris metandis oppugnandæque vrbi opportuna speculantur. Postridie, qui erat quintus octobris, nostri suburbiũ, quod a tergo vrbi est, inuadunt, & expugnãt, non sine magna vtriusque partis cæde. Triduo pòst in castra venit Archidux Matthias, vniuersis copijs præfectus. Eius iussu alterum suburbiũ, quod fronti vrbis prætenditur, summa vi nostri oppugnare adoriuntur, non minus alacriter defendentibus se Turcis. Post duarum horarum conflictum, in quo hostium mille quingenti ceciderunt, nostri tandem loco, magnaque pręda, instrumento scilicet militari omnis generis, tormentis, alimonia, iumentis, & inter hæc multis camelis, potiuntur. Sed nec incruenta nostris fuit victoria, Valonibus præsertim, qui vt primi in oppugnando fuerunt, ità postremi ibi relicti sunt. Vrbi collis imminet, ei castellum imposuerant Turcæ, & triginta præsidiarijs communiuerant; sed quũ nostros per tela & vulnera vndiquaque viderent irruentes; loco diffisi, ignem iniiciunt, & in vrbem se recipiunt. Erat alterum ab ijsdem paullo infra Budam ad Danubij ripam ædificatum castellum, Potentiana nomine; cuius tamen potentia tanta nõ fuit, quin à nostris, Palfio ductore, paucis horis expugnaretur. Præsidiariorum quidquid ibi fuit (trecenti fuisse scribũtur) cæde fuit absumtum. Inde è nostris quidam secundo flumine delapsi, duas Turcarum naues adoriuntur; milites impositos partim cædunt, partim in aquas agunt: e

Potentiana à nostris expugnata.

capti-

captiuis dicunt, pontones disiectos, à Turcis recolligi & restaurari. Duodecimus hic erat octobris: a decimo tertio nostri castellum, Turcarum fuga desertum, occupant, adductisque eò machinis, in vrbem arcemque iaculantur. Non in leui tum discrimine obsessi versabantur, quod & continuis tormentorum ictibus infestarentur, exitusque eis vndique esset præclusus; nostri verò per occultos cuniculos è ciuitate inferiori aditum ad eos moliuntur, qua quidem in re etsi nihil ad summam diligentiam intermittebatur; lentè tamen admodū, imbrium frequentia interruptum opus procedebat. Decimonono octobris die nostri præsidiarios ad deditionem hortantur. Neque enim vrbem, tot ictibus perforato & deiecto muro, diu defendi posse, nec spem auxilij in propinquo esse. Vxoribus ergo, liberis, adeoque sibi ipsis parcerent; quorum ipsi omnium vitę lubenter parcere vellent. Respondent obsessi cordatè, malle se honestè ibi mori, quàm hanc nomini suo inurere ignominiam, vt vitæ cupiditate militaris officij obliti esse dicantur, locumque tam opportunum ignauia magis prodidisse, quam vllâ necessitate perdidisse. Hoc responso irritati nostri, omnibus machinis multò quam vnquam antea vehementius vrbem oppugnant, & explicata acie, signum impressioni propositum exspectant. Sed quominus eo die oppugnatio fieret, imber obstitit, tàm creber, vt fossis omnibus aqua oppletis, solo ad insistendum inhabili, puluere etiam pyrio madefacto, vdis vestimentis grauis miles parum effecturus crederetur. Mora hac interposita benè vsi sunt Turcæ, totaq; ea nocte ruinas pro præsenti copia, magna diligentia reparârunt. Interea imbellis mulierum puerorumque

Anno 1598.

Turcarum pertinacia.

Anno 1598. turba Baſſæ pedibus aduoluitur, obſecrans vt tam præſenti periculo occurrere, & vrbe dedita, ſuæ omnium vitę conſulere velit. Sed plus apud eum valuit erga Otmanicum imperium fides, quam hominum, licet miſericordia digniſſimorum, pericu-lum, & lamenta. Accedebat, quod animum ſuæ natura præferocem, trium Baſſarum, Caramaniæ ſcilicet, Natoliæ, & Boſniæ confirmabat præſentia, & cohibebat auctoritas: quos vt iã periculi ſocios, ita poſteà virtutis & fidei teſtes eſſet habiturus. Vbi de Baſſæ voluntate cognitum eſt: ingens tota vrbe fortunam ſuam deteſtantium, periculaque complorantium exauditus fuit clamor: qui noſtrorũ animos vehementer inflammauit, atque in ſpem potiundæ vrbis erexit: ad quam tamen euentus parùm reſpõdit. Nam & ſequenti die, qui erat viceſimus tertius, oppugnationem intermittere cõtinuę pluuiæ coegerunt: & poſtero noſtrorum conatum in Peſta occupanda Turcarum vigilantia eluſit. Tutiſſima via cuniculis oppugnandi viſa eſt: quibus ad interiores vrbis munitiones perductis, puluis viceſimo quinto die octobris ſuppoſitus plus terroris quàm damni obſeſſis attulit. Cuniculorum enim alter, quod nimis longo ſpacio in vrbem eſſet porrectus, vallo & muris leuiter commotis, domos proximas conuulſit: in altero ignis reſiliens, anteriora taurũ labefactauit, ac pœnè maius ijs qui foris quàm qui intus erant, damnum dedit. Ità ergò rurſus, noſtri, voto fuſtrati, ab oppugnatione, ad quam magno animo ſe præparauerant, deſiſtunt. Vt tamen eo die militare aliquod facinus ederent; ſuburbium quod à tergo vrbi eſt, inuadunt, non tam capiundi eius ſpe, quàm hoſtibus nocendi cupiditate: è quibus non pauci, dum frequẽtes per muros diſcurrunt, diem

Baſſæ Budẽſis fides.

illum

Illum, telis vndique missis confecti, vltimum vide- Anno
runt, sed & e nostris quosdam ἑτεραλκὴς sibi Mars 1598.
[illegible]rauit. Vltim⁹ hic nostrorū fuit conatus. Quū
enim magnæ Turcarum copiæ obsessis auxilio vē-
tiræ, earumque pars aliqua iam ad Pestam conse-
disse dicerentur, vrbs verò valido admodum le-
ctissimorum militum præsidio teneretur, sed max-
imè vi tempestatis iumenta hominesque afflige-
rentur: obsidio solui cœpta est, incensis suburbijs
machinisque omnibus, non sine maximo labore,
tutum in locum transportatis. Calendis Nouem-
bribus vltra septem millia rusticorum, cum liberis
& vxoribus in castra nostra peruenerunt, adductis
rerum omnibus quæ poterāt; reliquis igne corrup-
tis, ne post nostrorum discessum Turcis vsui esset.
Postridie demum, vasis conclamatis, nostri disce-
dunt. Turcæ dum postremum agmen carpere co-
nabantur, etiam cedentium nostrorum vim sensere;
ac multis vtrimque acceptis vulneribus, illi
Budā, hi Varadinū, ambas vt validè con-
cussas, ita fortiter defensas,
sese receperunt.



MERCVRII GAL-LOBELGICI SVCCENTVRIATI

LIBER IIII.

IN QVO RES GESTAE AB ANNO M. D. XCIX *vsque ad annum* M. DC. *exponuntur.*

Cæsar Edictum contra Imperij inuasores promulgat.



VVM ad magnum aliquem motũ in Germania omnia ſpectare viderentur: Cæſar ab Ordinibus imperij, vt diximus, interpellatus, menſe Decembri edictum edit, quo vtriuſque factionis duces exercitum quamprimum ex Imperij finibus abducere, oppida & caſtella dominis reſtituere, deq; damno dato ſatisfacere iubentur, addita in contumaces pœna proſcriptionis. Sed ſerum hoc fuit, oppreſſis iam & expilatis prouincijs remedium. Hiſpani enim quamuis iuſſi decedere, in hibernis nihilominus manebant, & Ordinum milites finitimarum prouinciarum incolas penè hoſtium loco habebant, quod eos hoſtibus ſuis receptaculum præbere non inuitos dicerent. Inde ad fratrem Albertum, Andream Cardinalem eius Legatum, litteras mittit, in quibus & de iniurijs ſacroſancto Imperio factis conqueritur, & in poſterum vis omnis abſtineatur, amanter ſimul & ſeriò monet: prolixè etiam ad Iuliacen-

ſem,

Anno 1599.

[illegible]m,ceterosque principes, ad quos præsentis peri[illegible]uli vel sensus,vel metus pertinebat,scribit,& au[illegible]xilij spem facit. Dici certè non potest,& quantum laborem ac sollicitudinem in sedandis his turbis optimus, pacisque amantissimus Imperator ceperit,& quàm prudenter rebus tam intricatis ac periculosis sese gesserit:dum in id vnicè incumbit, vt & sua Imperio conseruetur dignitas;&ansa omnis [illegible] atque externi motus præcidatur. Has inter curas Cæsaris,Electorum,Principum,ac ciuitatum legati, eorum qui Rhenani & Vestphalici dicuntur,Coloniæ conueniunt,deque rationibus pacandæ Germaniæ consultant. Introducti Gliuenses primùm,deinde Monasteriẽsium,Osnabrugæ,Verdensium,aliarumque ditionum legati, de iniurijs & damnis sibi datis, grauissimè conqueruntur, & [illegible]orum principum opem implorant. Ad hunc conuentum Admirans legatum misit, & litteras, in quibus ea quæ ab Hispanis in Imperij finibus tentata essent,ita excusauit, vt culpam omnem regi rebellantibus imputandam esse diceret:ad quos reprimendos & ad obedientiam reducendos, omnes Imperij Ordines Hispano communia auxilia conferre teneantur. Quod si finitimæ prouinciæ damni aliquid à regijs militibus acceperint: id omne, si cum ingentibus beneficijs à rege in Imperium volueriſum profectis, conferatur, exiguum [illegible] videri; immò multò grauiora vltrò sub[illegible], propter eam,quę sit plerisque Imperij prin[illegible] cum Burgundica domo,antiquissimam so[illegible] & foedus:Quapropter monet atque orat, [illegible] dissidijs occasionem præbeant,vtq; quid[illegible] facto est apud suos, bonā in partem in[illegible]. Sin quis,à quietis consilijs abhorrēs,

Conuentus Coloniensis

Admirãtis ad eum litteræ.

con-

Anno 1599. contra quid machinatus fuerit, fore vt is sera pœnitentia ductus factum suũ postea damnet, res[que] turbatas minimè velit. Post multam disceptationem, quum res grauior videretur, quàm quæ paucorum viribus sustineri posset: Legati ita discedunt, vt rem vniuersam ad ceterorum quoque districtuũ proceres reijcerent; interim tamen afflictis suos non defuturos pollicerentur. Alteri igitur conuentui habendo dies indictus est Confluētiam, ad vndecimum diem Martij, & ad eum Franconiæ & inferioris Saxoniæ principes euocati.

Albertus cũ regina in Hispaniam nauigat. Archidux Albertus, postquam cum regina sponsa duobus circiter mensibus Mediolani subsistisset, & regis mandatum ex Hispanijs, & opportunã anni, aërisq; ad nauigandũ temperiem exspectasset, tandem 3. nonas Februarias, per Ticinum itinere facto, Genuam contẽdit. Vtrobiq; magnificè splẽdideq; excepti; ad 12. Calendas Martij triremes conscendunt, & classem ad portũ Sauonensem appellunt, vbi aliquot dies ob aduersam tempestatẽ commorati, Ligustici litoris oram legunt, Naulum, Finarium, Bargetum, Albingaunum, portum Mauritij, diui Remi Fanum, vallem Oneliam, Villam Francam, siue portum Herculis Monœci, & Nicæam, Genuensis ditionis oppida præternauigantes, tandemque ad portum Massiliæ anchoris iactis subsistunt. Dux Guisius, prouinciæ Narbonensis præfectus, Galliæ regis nomine quæuis officia, cũ beneuolentia & obseruantia quanta potuit maxima, reginæ obtulit, & præstitit, & classem commeatu iuuit ac recreauit. Regina è sua naui non descendit, nisi vt rei diuinæ, quæ sub positis quotidie in litore tabernaculis fiebat, interesset. Archidux Albertus cum duabus triremibus Massiliam pr[illegible]

im profectus est, ibique visitatis sanctorum reliquiis, ad suos est reuersus. Decimo tertio Calendas Aprilis, sinu Narbonensi traiecto, in portum Cohbrensem (veteribus fortasse Illiberis, Ceruariam tamen Nebrissensis putat) sunt delati. Inde maritimam oram Tarraconensis Hispaniæ legentes, Rhodam portum, Lunarium promontorium, ipsam denique Barcinonem celeri remigio prætervecti, in portu constiterunt, vbi nobilissimus Hispaniæ fluuius Iberus duplici ostio in mediterraneum se exonerans mare, insulam efficit & portum, qui ad similitudinem Africanæ Ruspæ olim nomine, Alfaques vulgo dicitur. Hinc Valentiæ regni fines attigerunt: iamque peracto cursu, in portu Binaros, vt Hispani indigetant, regina descendit: missusque ad regem principis Auriæ filius, qui de secunda nauigatione & aduentu certiorem faceret. Pridie Calendas Aprilis, terrestri itinere ad diui Mathæi fanum perrexerunt: quo in loco, eodem tempore Dianij, siue Deniæ vulgo, Marchio superuenit, & reginæ reuerenter salutatæ regis exposuit mandata. Vnde ad Gabanjas, inde ad Villam regalem (locorum sunt nomina) progressi, regina cum matre ad Sagunti ruinas, vbi nunc Moruedre vicus est, iter instituit: Archidux Albertus essedo expedito ad regē sponsamque suam Infantem complectendos perrexit: inde Madricum ad visitandam matrem Augustam profectus, quatriduumque ibi commoratus, Valentiam reuertitur. Rex interea sponsæ suæ videndæ miro quodam desiderio incensus, assumpto equitis habitu, regis nomine ad salutandam reginam missi, ad eam se confert, vbi à matronis nobilissimis, quas tum in suo comitatu regi-

Anno 1599.

ad regem venit & Infantem.

Anno 1599.

Pompa nuptialis, Valentiæ.

regina habebat, agnitus, incredibili cum omnium lætitia & plausu excipitur. Interea Valentiæ ad regias nuptias celebrandas maximi & incredibiles fiebant apparatus: quibus perfectis, decimoquarto Calendas Maij, regina solennem introitum Valentiæ fecit, regali verè cultu & magnificentia, ac tanta Principum & nobilium, qui è diuersis nationibus eò confluxerant, frequentia, tam ingenti satellitum & ministrorum stipante caterua, vt iusti exercitus numerum adæquaret. Ad pompæ dignitatem vestium splendor sumtusque accedebat, ac par omnium elegantia, vt non modò colorum varietas, sed radiantis auri fulgor oculos omnium præstingueret. Quinque turmæ equestres totũ agmen ducebant: tum triginta equites tympanistæ, cum buccinatoribus & regijs tubicinibus per vices alternas sonitu omnia implentibus. Sequebantur, nulla habita ordinis prærogatiua, aulici, generisque amplitudine clarissimi quadringenti, equis vestibusque excultissimi. Famuli omnibus erant, his sex, illis octo, his duodecim, illis viginti, nonnullis viginti quatuor, & plures, amictu omnes diuersi coloris splendidissimo. Pratum dixisses mense Maio varijs florum generibus exornatum. Septingenti habitum reginæ coloresque gestabant ex flauo, rubro & albo holoserico fere omnes. Post equites quatuor corynephori, tum reginæ œconomi, atque ex Hispaniç magnatibus sedecim, deinde caduceatores, cum regijs insignibus in veste acu depictis, tum magnus œconomus, posteà stabuli præfectus pedibus incedebat. Regina gradario candido vehebatur sub vmbella aurea, quæ à Valentianis viginti nobilissimis gestabatur: equum sericis aureisque funiculis seu habenis Valentiæ proceres totidem

tidem, pari vtrimque numero ducebāt. Vestis regi- Anno
næ ex auro erat & argento contexta, vnionibus & 1599.
gemmis preciosissimis conserta, vt nihil ad ornatum cultumque addi amplius potuerit. Sequebantur Archiduces, mater & Albertus cum reginæ gynæceo, adequitantibus nobilibus item viris. Rhedæ & carpenta, sex vel quatuor equis singulis iunctis, quæ clarissimas genere mulieres vehebant, extremum agmen claudebant. In hanc pompam, qua splendidiorem à nemine vnquam visam aut descriptam quidam perhibent, dicuntur insumpta decies centena coronatorum millia. Portam arcu triumphali splendidissimè exornatam transgressa regina, ad templum deducitur, tapetibus & aulæis, precio & arte exquisitissimis vndiq; præfulgens. Summum altare instructum erat, vt vno verbo dicā, regio planè apparatu: ante quod editior puluinus aureis pannis instratus, triū hominum capax, alius item quinque, flectendis genibus percōmodus, cernebatur. Eò se regina contulit, quum prius crucem, reliquijs insignem, esset exosculata, à patriarcha Archiepiscopo Valentiano, porrectam. Quum autem regia eò maiestas cum Infante serenissima per scalam secretam descendissent. Nuncius Apostolicus post solennes ceremonias regem primū, deinde Archiducem interrogat, vtrū matrimonia per Legatos suos contracta, & à Pontifice maximo iam celebrata, rata haberent. Quum vterq; annuisset, omnes simul ad altare accedunt, genibusq; flexis, dum preces decantantur, coniugium consummant. Discessum est inde ad palatiū, vbi nuptialis festiuitas, quanta potuit fieri magnificētia, peracta est, & producta in dies octo, nullo genere spectaculorum quibus animi recreantur, prætermisso. Ex-

Anno 1599. structum ibidem erat theatrum, hominū sexaginta millium capax, spectandis ludis opportunum, tauri puta venatione, ac mutua cannarum, Afrorū more, eiaculatione, equestribus etiam certaminibus, & si quod aliud est ludorum genus, quos Hispani in delicijs habent. Octauo spectaculorū die rex Albertum Archiducem, aliosque duos principes viros aurei velleris creat equites. Pridie Idus Maias vniuersa pōpa Barcinonem traducitur: ibiq; regno vterque inaugurantur. Albertus vreò & Infans de rerum Belgicarum statu solliciti, à regibus beneuolè humaniterq; dimissi, ad prouincias suas magna celeritate contenduut, ac septimo idus Iunias, omnibus ad nauigationem paratis, Barcinone soluunt, & Tarraconense litus prætervecti, traiecto sinu Narbonensi, oramque Ligneæ legentes, in portum Genuensem paucis diebus appellunt: à cuius ciuitatis Duce Laurentio Sauli, in Grimaldi mortui locum nupèr suffecto, & reliquis magistratibus, multis cum honoribus excepti, omnibusque officijs, quo ad ibi substiterunt, culti fuerunt, vt & Ticini, ac imprimis Mediolani, vbi præter oblectamenta quàm plurima, quidquid arte elaboratū in omnibus officinis reperiebatur, palàm eis pervrbē vectis spectandum fuit expositum. Relicta Italia, per Heluetiorum fines profecti, superatis celsissimis Apennini iugis, Lucernam primùm, Basileam inde perueniunt; vbi pro more gentis comiter excepti, & boue auenaq; donati, in Burgundiam iter deflectere decreuerant: sed rebus Belgicis aduentū eorum quàm maturrimum flagitantibus, per Alsatiā, Lotharingiam, agrumque Luxemburgensem, Namurcum tandem sunt ingressi, ibique dies aliquot discutiendis longinqui itineris molestijs dederunt

Infans & Albertus in Belgium proficiscuntur.

derunt. Inter alia, duo certamina ludicra eius loci iuuentus Principibus spectatoribus exhibuit, vnū grallatorium, alterum nauale. Grallatorum paria magno hinc inde numero sunt producta, qui furculis ad perticas longiusculas alligatis, altè insistebant, Aegipanas imitati: graduq; citatissimo in se mutuo incurrentes, corpora collidebant, deiecti plausum turbę clamoremque prouocabant: quemadmodum in nauiculis quoque aduerso remigio velocissimè concurrentes, spectaculi voluptatem reddebāt auctiorem, quò frequentiores in scaphæ puppi stātes certatores excussi, in aquas prolaberētur, omniūq; in se ora risumq; conuerterent. Ad Brabantiæ fines Ducibus præstò fuerunt Ordinum eius prouinciæ legati, cū magno honestissimoque comitatu: qui Principibus aduētū gratulati, Hallā eos, inde Buxellā deduxerūt. Hallę ad eos venit Cardinalis Andreas Austriacus; ibique præfectura, quā Alberto absente gesserat, abdicata, paullo post in Germaniā est reuersus. Iā antè, mense Feb. Antuerpiæ alijsq; in locis Infantis nomine Edictū pmulgatū fuerat, in hanc ferè sententiam: Multas hactenus ab initio huius ciuilis motus, Hollandis eorūque socijs oblatas esse cōditiones luculentissimas vt armis positis ad obedientiam, quam temerè impieque proiecerant, redirent, & ad ceteras prouincias, quę legitimi magistratus agnoscūt imperium, sese aggregarent: Verùm quum ijs nihil proficeretur, ad arma ventum esse, in quibus tamen vsurpādis summa semper à rege iā demortuo adhibita sit clementia & māsuetudo, hac spe, fore vt aliquādo errorē agnoscāt, culpāq; deprecati, veniā gratiāq; vltrò sæpius oblatā, amplectātur. Eā ob causā etiā ijsdē nauigationes, piscationes, cūq; regijs subditis

Anno 1599.

Certamina ludicra.

Albertus Brabantiā intrat.

Edictū Infantis contra Hollandos.

Anno 1599. commercia concessa fuisse: simul, quod metus esset, ne eiusmodi negociationum quæstum vicini nonnulli ad se diuerterẽt: quod quantis sæpè egerint viribus, Hollandos ipsos, quam optimè scire. Sed hoc beneficij genere, non modò non delinitos, verùm etiam insolentiores factos, quotidie magis magisque aures, animosque contra saluberrima pacem suadentium consilia obfirmâsse; non plebem quidem, natura moribusq; sedatam illam quidem, modestiæ, omnisque honestatis amãtem: sed paucos quosdam nouos homines, qui, fascibus vltrò arreptis, consilijs suis multitudinem circũagant, & quocumque velint impellant, interim suæ magis quàm publicæ vtilitati studentes. Ex quo factum sit, vt omnibus repudiatis conditionibus, tot legatis re infecta dimissis, nonnullis etiam planè ab omni aditu exclusis, bellum aluerint, & etiamnum alant, non Belgio tantùm, verùm etiam vniuersæ Europæ perniciosissimum, dum Turcarum immanissimus tyrannus, temporibus insidiatus, Christianis inter se digladiantibus, proxima quæque peruadit & occupat, suique imperij fines longè lateque profert. Sed cum primis magnam esse, minimeque tolerandam iniuriam, quam nuper Cæsari, Imperijque principibus fecerint: quorum legatis de pace ad se missos audire recusârint: nec vero optimum Imperatorem propterea pacificationis studium abiecisse, sed nouam ad eos decreuisse legationem, cuius euentus adhuc sit in incerto. Nec verò eos adhuc vllum principibus suis insultandi fuêre finem. Inde scilicet animos eis creuisse, quod Hispanorum armis, Gallico bello occupatis, quædam commodè ipsis cecidissent. Iam pace cum Gallis facta, ad quam impediendam omnem

omnem lapidem mouerint, à Gallorum rege interpellatos, vt & ipsi ad pacem consilia sua referrent, non modò actionem omnem recusasse, verum etiam bellum maioribus viribus quàm antea redintegrasse, auctoribus prauis quibusdam & inquietis hominibus, qui, non modò imperium ipsi retineant, cetera suiq; de[?]que habent, facileque omnia misceri patiuntur. H[?]s imputandum, quod dulcissimis pacis fructibus, quos à se potissimum sperauerit, Belgiū vniuersum tam diu defraudetur. Ante hac quidem, quo minus vllam pacis tractationem admitterent, illud obstare aiebant, ꝙ ad quos summa rei pertineret, Hispani essent & exteri, quorum imperiū ferre nec vellent, nec possent, nec volūtati satis fiderēt. Hunc quoq; prætextū à rege clemētissimo, qui nihil non pacis causa facere paratus esset, eis ereptum, misso cum imperio Ernesto primū, deinde Alberto Archiducibus, quorū singulare ac perpetuum adiuuandæ reipublicæ studium nemini fuerit obscurum. Vtrumq; enim initio statim administrationis magno studio ad pacem restituendam incubuisse, rationesq; ostendisse, quibus & cū principe suo redire in gratiam, & publicæ tranquillitati consulere possent: sed contemptim illos respōdisse, neq; tanto beneficio vti voluisse. Adeò scilicet miserum vulgus, paucorū tyrānide oppressum, & in desperationē versum, quæ ad salutē suā pertinent omnia, vel non videre, vel aspernari. Quinetiam quā rex nuper illam de exteris querimoniam tollere, ac prouincijs Belgicis suum ac legitimum dare principem constituisset, qđ hęc vna res ad votorum omnium summam deesse videretur; & ceterarū prouinciarū Ordines Hollandos cum socijs cohortati essent, ne & huic tam

Anno 1599.

Anno 1599. praclarę reconciliandi se occasioni, & publicæ tranquillitati deessent, sed communi se, vt antea, principatui subijcerent: legatos sine certo responso dimisisse, quod nonnullos è suis, quorum consilijs omnibus in rebus vterentur, abesse dicerent. Quàm hæc indigna sint, omnium se cogitationi ac iudicijs permittere. Neq; enim dubitare, quin omnes ita iudicaturi sint, cum hominibus, aduersus principem, patriam, ipsumq; Deum tam ingratis, nihil diuini aut humani cõmune esse debere. Hactenus quidem singulari regis beneficio, commerciorum vsum, tam in Hispanijs quàm alibi indultum ipsis fuisse, vt receptum sibi aliquem ad gratiā esse scirent: sed quàm falsas spes fuerit, rem ipsam docere. Vectigalibus enim, portorijs, alijsq; id genus exactionibus in belli sumptus vti: clamare etiam, vulgoque persuadere, quęstuosum sibi magis bellum, quàm damnosũ: quippe quibus libera sit nauigatio, non minus, quā si alta vndiq; pax esset. Regē igitur, fratrem suum, vt hanc eorum insolētiam cõpesceret, eisq; belli neruos incideret, subditis suis sub graui pœna vetuisse, ne cum ijs vllas res, rationesũe contraherent; quoad cum principibus suis reconciliarentur: nec minus vero se quidquā omittere velle, quod ad hunc fratris conatum adiuuandũ pertinere videbitur; sed omnes vias, rationesq; cõminisci, quibus & fideles subditi pacificè regantur, & deuij ad officiũ reducātur. Quandoquidē igitur lenitate & beneficijs vinci nequeant: aliā sibi fuisse ineũdā rationē, asperam illā quidē, sed necessariā omniumq; Senatorũ, maximè verò Andreę Austriaci, Cardinalis, assensu cõprobatam. Velle ergo, atq; pro ea, quę legitimo principi debetur, auctoritate iubere, ne quisquā post hac vllum merci-

mercium genus, terra mariúe, siue exoticarũ, siue indigenarum, ad Hollandos, Selandos, eorumque socios, siue rectà, siue per circuitus transmittat, aut missa ab ijs mercimonia recipiat, vllas denique res, ratione súe cũ ijs contrahat. Omnes etiam litteras salui cõductus, nauigationẽ & piscationẽ concernentes, reuocare, vt & ea diplomata, quæ vltrò citroq; cõmeantibus data sunt: ita tamẽ, vt menstruũ spaciũ ijs cõcedatur, qui interea ad suos reuerti velĩt. Ne quis verò subditorũ existimet, hoc ipso spẽ gratiæ sibi omnẽ pręcisã; testari, se erga eos, qui vltrò veniã delictorũ petierint, debitamq; obedientiam præstiterint, eadem clementia, quã hactenus non semel oblatam amplecti detrectârint, nihilominus deinceps vsuros. Anno 1599

Vix hoc exierat mandatum; quũ Ordines confœderati item contrarium scripto promulgant. Principio, inquiunt, quid Hispani moliãtur, quũ sæpè alias, tũ maximè superiori anno facilè potuit animaduerti; id nimirũ, vt machinis ac cuniculis non Belgij solũ, verùm etiã ceterarũ omnium regionũ libertatem subruant, & non in corpora solùm & fortunas; sed animas etiam & consciẽtias imperium sibi vindicent. Eò scilicet pertinuit ille superiori tempore conatus, quum florentissima Galliæ & Angliæ regna, non clandestinis tantùm machinationibus, verùm etiam aperta & summa vi oppugnârũt. Quo frustrati, ad vicinos Electores, principesq; Imperij vexandos animum nuper adiecerũt: arcibus & oppidis per vim captis, præsidia imposuerunt, agros direptos in solitudinẽ redegerũt; stupris, cædibus, rapinis, nulla sexus, nulla ordinis habita ratione, omnia fœdârũt; à Principũ, Comitum, nobilium ędibus, immò ne à personis quidem vim abstinuerunt. *Hollandorũ contra Hispanos Edictum.*

Anno 1599. Quin etiam minas iaciunt, non prius se cōquieturos, quā omnes qui à Romana defecerint Ecclesia deleti sint, vel ad veteres cæremonias reducti. Inde illud est, quod religionē reiq; publicę administrandæ rationem in ciuitatibus quibusdam imperio subiectis per vim immutant; atque adeò apertē præ se ferunt, dictitantq; capere se cum primis, vt Electores, Principes ceteriq; Status Imperij, armis arreptis, bellum defendant: sic enim commodius quę velint effecturos. In eadē etiam officina nuper illud cusum est consilium, quum Rex Hispaniarū omnem commerciorum vsum sustulit, nautas & mercatores deprehensos, crudelissimè tractauit, nauibus & fortunis manus iniecit, & promissa nō vno modo violauit: cuius exemplum Infans secuta, idem in Belgio fieri mandauit. Malè nimirum eos habet, quod coniunctis animis & viribus intentatum tyrannidem à ceruicibus nostris depulimus, vires elisimus, elusim⁹ fraudes, Dei in primis auxilio freti, & Angliæ reginæ, aliorumque regum ac principum beneficijs adiuti. Quod idē porrò quoque facere constitutum nobis est, omnibusque viribus anniti, non solùm vt fines nostros ab iniuria tueamur, verùm etiam damna data vlciscamur; nihil dubitantes quin tam iustum tamque necessariū nostrum conatum diuinæ benignitatis aura comitatura sit; quoddam ei ceteris regibus ac Principibus eam inspirare mentem videbitur, vt rebus suis prospicere, ac dignitatem suam contra insidiantiū nefarias machinationes, munire tandem aliquando incipiant. Quod si fiat, certa nos spes tenet, breui fore vt eiectis è Germania primum, deinde è Belgio, & profligatis Hispanorum armis, pax optatissima & securitasque, quanta nunquam antea fuit,

resti-

restituatur. Quandoquidem verò ad cœptum hoc Anno
peragendum magnã illud habere vim arbitramur, 1599.
ne quis Hispanos eisque adhærentes, commeatu
mercibus, aut pecunia iuuet: seuerè interdicimus,
ne quis nostrorum ciuium vllum mercimonij genus ijs prouincijs quę Hispanis eorũue cõplicibus parent, importet: piscatores etiam, aliosq; qui maritimam exercent mercaturam, ab ijsdem saluum conductum, vti vocant, accipere vetamus, quo ante hac irretiti non semel, & in grauissima damna cõiecti fuerunt. Homines etiam bona fortunasq; sub Hispanico degentium imperio, quocumque loco deprehensas, ad prædã omnibus permittimus, inuolandas; merces oẽs, naues, plaustra, equos, eorũ qui aliquid hostibus vel terra vel mari aduexerint, non tantum in fiscum inferri, verùm etiã proprietarios, nauarchos, aurigas, pecunia mulctari; quin etiam hac de re vel post annum in deprehensos iudicium dari & animaduerti iubemus. Quò verò tutior nostris præstetur nauigatio, ac præsertim immanibus lytris, quæ à captiuis exigere solẽt hostes, modus aliquis statuatur: si quis nauclerus vel nauta ab hostibus captus fuerit, precium, quod illi redimendo dictum est, è bonis eorum qui vel in Brabantia, vel in Flandria, vel alibi sub hostium nostrorum viuũt imperio, præter ea quæ nobis dependere solent tributa, exigi & restitui mãdamus, &c. Quod de religione in ciuitatibus Imperij ab *Vesaliæ tentata religionis reformatio.* Hispanis mutata dicunt; sic habet. Admirans nõ rebelles tantum domandi, sed etiam Catholicam religionem restituendi cupidus; primum blandis pollicitationibus, deinde quum nihil proficeret minis apud Vesalienses (qui ad clientelam Cliuensis pertinent) tantum perfecit, vt quamuis inuiti,

Anno 1599. mutari religionis ritus paterentur. Cauſſam cur non acrius ſe oppoſuerint Veſalienſes, hanc nonnulli fuiſſe exiſtimant, quod partim coniecturâ, partim certis indicijs accepiſſent, breui à Germaniæ Principibus exercitum decretum iri, ad Hiſpanos ceteroſque è finibus Imperij eijciendos. Tempori igitur obſecundantes, Admirantem & vniuerſum Hiſpanorum exercitum, quem iam antè ſatis iniquum ſibi ſenſerant, in ſevehementius concitatare noluerũt. Admirãs lætus, Coloniâ Nuncium Apoſtolicũ, alioſq; doctiſſimos viros euocat: q̃ vbi Veſaliam veniſſent, templa expiant, altaria reſtaurant, Miſſasq; iamdiu intermiſſas in primarijs templis celebrant, ciuium alijs interea gaudentibus, alijs iratis. Sed paullò poſt Veſalienſes, abducti iam in Batauiæ fines Hiſpanici exercitus metu liberati, & Principum quorundã Proteſtãtiũ, qui hũc Admirãtis conatũ ægerrimè ferebãt, promiſſis confirmati, ità ſe geſſerũt, vt inſidias verit⁹ legatus, Coloniã cœpta magis q̃ perfecta reformatione, ſtatuerit redire.

Conuentus Confluentinus Germanorũ Principum. Diximus ſuprà, Confluentiam à Statibus quibuſdam Imperij indictum eſſe conuentum, in quo de Germaniæ libertate defendenda, & hoſtilia moliẽtiũ reprimẽda inſolẽtia cõſultaretur. Adfuerũt ibi, quinq;, quos vocãt, Circulorũ legati, Moguntini, Treuirenſes, Colonięſes, Palatini: Brandeburgici, Vurciburgẽſes, Hẽnenbergẽſes, Hohenloenſes, Norimbergici: Vormacienſes, Simmerij, Heſſi, Naſſouij: Monaſterienſes, Iuliacenſes, Padebornenſes, Lippenſes: Magdeburgici, Brunſuicenſes, Meggelburgij, Mulhuſenſes. Ibi, re deliberata, decretum in hanc ſententiã factum. *Ibi factum decretum.* Primùm, inquiunt, dici nõ poteſt, quantũ dolorẽ Principes noſtri, pro ea, quæ inter vicinos, eiuſdemq; imperij membra, eſſe

debet,

debet, charitate, ceperint ex iniurijs grauissimisq; Anno
damnis, quæ Vestphalicæ prouinciæ, alijq; finitimi 1599.
ab externo, maximè vero Hispano milite iam diu
pati se cōquerūtur. Et quū ad officiū suū pertinere
intelligāt, operā dare vt & sacrosancti Imperij dignitas trāquillitasq; cōseruetur, & decretis satisfiat: nunquā omnino cōmittent, vt socij desertos se ac proditos merito queri possint. Sed enim expēsis Cæsaris mandatis, atq; ad ea Alberti Archiducis responso (quo inscio, quidquid huius est, ab Admirāte tentatum esse nonnulli dictitent.) Andreæ item Cardinalis promisso, qui propediē effecturum se vt ex Imperij finibus miles deducatur, sanctè, fide interposita receperit: maximę parti visum est, nihil interea contra alterutram factionem mouendum, sed amplius deliberandum, deq; voluntate Cęsaris cognoscendum esse, vt in re longè maximi momēti. Quis enim nescit quantæ sint vtriusque partis vires, quanti veteranorum exercitus? Et quidem ad Hispaniæ regē quod attinet, potentiam eius superiorū tēporū historia satis declarat; quibus etsi cum non vno rege, ciuilibus etiā armis implicitus, bella gessit maxima: à nemine tamen deiectus vnquam aut debellatus fuit; sed post nonnullas acceptas interdum offensiones, maioribus semper quā vnquā antè viribus bellum redintegrauit. Quare si armis in proscriptos vindicandum videatur; planè ratio est, vt par viribus exercitus conscribatur: nec fieri omnino potest, vt non alterutra, vel vtraque etiam factio offendatur, & ad vindictam prouocetur. Quæ res quantum periculū vniuerso Imperio creatura sit; manifestius est, quàm vt longiori egeat demonstratione. Periculum enim est, ne hanc

Anno 1599. transferendi in Germaniam belli illi velut ansam arripiant, multoque eam maioribus cladibus affligant. Quid, quod Cæsar ipse, nihil temerè agendũ, clementissimè monet? Archidux verò Albertus diffidentiam multis verbis per suos deprecatur: seque etiam cum maximo rerum suarum incommodo malis omnibus medicinam allaturum, deque damno dato, abundè satisfacturũ pollicetur. Quocirca cauendum est, ne dicto Archiducis, ob Belgicas ei traditas prouincias, non parem videamur præstare affectum, causamque præbeamus, quo minus is ad promissa explenda obligatum se arbitretur: nihilque præcipitandum, donec de Cæsaris ceterorumque omnium Ordinum Imperij voluntate planè cognoscatur. Interea ad Cæsarem mittendi sunt, qui quod res Imperij tantæ curæ hactenus habuerit, & adhuc habeat, gratias agant, & vt Imperij vniuersi comitia quam primum indicantur, moneant; tum inprimis, vt pacis Belgicæ tractationem, quanto possit, studio promoueat. Nec verò hoc sic accipi volumus, quasi oppressis nihil interea opis præstare cogitemus: quibus iam nouem mensium auxilia decernimus, hac tamen conditione, vt conatus omnis bellicus non ad offensionem, sed defensionem dirigatur, vtque vlterior grassandi in fines Imperij licentia compescatur, loca etiam occupata recuperentur. Quod si quid damni à militibus prouincia aliqua acceperit, pluresúe sumptus, quàm pro rata parte fecerit; illud in tributũ imputaretur, à ceteris prouincijs refunderentur. Etsi verò causæ à Cæsareis delegatis adductæ, cur armis nihil adhuc tentandum sit, graues omninò videntur: negari tamen non potest, Albertum Archiducem, & Andream Cardinalem,

nalem, maturè tam litteris, quàm legatis Electorum ac Principum, quid fieret admonitos, remedium hactenus nondum adhibuisse; ac tantum abest, vt eorum milites ab iniurijs interea abstinuerint, vt etiam quotidie magis magisque per vim sint progressi. Nam & arces, & oppida multò maioribus quàm vmquam anteà copia oppugnata, tormentisque percussa; contributiones in immensum auctæ; acerbissimeque exactæ sunt, etiam ab ijs ciuitatibus quæ Hispanico præsidio nondum tenebantur: pacis publicæ violatores, harumque omnium iniuriarum auctores, qui nescijs & inuitis dominis suis vt quidam volunt, tam multa ab omni æquitate aliena patrauerunt, non modò puniti non sunt, sed & in maiori honore habiti: quę res omnes, quis non videt, quàm à promissis prędictorum Principum videantur alienæ? Iam si vel maximè Cæsareis mandatis satisfaciant Hispani: signi tamen aut coniecturę nihil est, fore, vt altera quoque factio querelis medeatur. Quæ res in vniuersum, quantam ad contumeliam Imperij pertineat, nihil opus est commemorare. Iam in illo quoque quantum publici dedecoris est ac periculi, si exteri in suspicionem veniant, Cæsareę Maiestati, Imperijque Statibus, non voluntatem tantum, verùm etiam vires, decreta à se facta exsequendi, deesse? His alijsque de causis placet, vt Vestphalicæ prouinciæ copijs pecuniaque quam primum iuuentur: bellum tamen ita administretur, vt pari vtraque factio loco habeatur; vt nihil aliud quàm pax Imperijque tranquillitas quæsita, & libertas propugnata videatur. Inde Andreæ Austriaci, Cardinalis, Legati vocantur, & quale decretum sit factum, quoque illud pertineat, docentur: ceterum

Anno 1599.

Anno 1599. rùm si Hispanorum exercitus Cæsareis mandatis parêre in animum induxerit, locaque per vim occupata, sine mora, vti promissum sit, restituantur, non modò nihil hostile, verùm etiam, quam par est, beneuolentiam & fauorem à se exspectare iubent. Scriptæ etiã ad Ordines Belgij confœderati litteræ: quibus idem, quod ab Archiduce petebatur; vt scilicet præsidia à finibus Imperij abducerent, castella in eius solo excitata, in primis Grauenverdam (vulgò propugnaculum Schenckianum) demolirentur; damna data resarcirent, eos qui pacem GERMANIAE violassent, plecterent, excursionum & rapinarum metu Imperij territorium liberarent, commercijs denique nullum afferrent impedimentum. Ad hæc ita respondent Ordines: Non sibi vmquam eam mentem fuisse, vt vel latum pedem ditionum GERMANICARVM inuolarent, idque multis suis factis doceri posse. Quod verò nuper in Ducatu Cliuensi castra fecerint, & quædam loca præsidijs suis occupârint: extrema fecisse coactos necessitate, vt maximum HISPANORVM exercitum à finibus suis reijcerent, eosque in locis ad iniuriam opportunis præoccupandis anteuerterent.

Littera Germanorum ad Confœderatos Belgij Ordines, & postulata.

Ordinum Responsio.

Hactenus se omnem operam dedisse, & porrò quoque enixè omnia facturos, vt, quantum saluis suis possint rebus, pacem & amicitiam cum vniuersis Imperij Statibus colant. Huius suæ voluntatis nuper satis clarum indicium dedisse, quum eorum ditionibus, apud quos commorabantur HISPANI, quantum fieri potuit, hoste tam vicino, pepercerint, & in quos immanissimum furorem Hispani effuderunt, modestè ipsi

tra-

tractârint. Ad locorum restitutionem quod attinet, quæ occupasse dicantur: quàm primum Hispani finibus illis excesserint, præsidia inde abducturos, militumque licentiæ fibulam posituros. Anno 1599.
GRAVENVERDAM Geldros dicere in suo solo esse ædificatam, nec ad Cliuensis iurisdictionem pertinere, Quod si fortè minus hoc Cliuensi probetur, cum Geldriæ Ordinibus, fœderis sui socijs, acturos, vt controuersiam hanc, legatis vtrimque delectis, amicè componi patiantur. De hoc ipso solo litem Imperatori Carolo Quinto, tum Geldriæ Duci, cum Cliuensi fuisse, anno Millesimo, quingentesimo, quadragesimo quarto: eamque ad hoc vsque tempus indecîsam mansisse: nec se hîc quod aliud sequantur habere. Hoc vt responsum bonam in partem accipere velint, vehementer rogare, operamque dent, vt ij per quos stet, quo minus Electorum ac Principum votis satisfacere possint, limitibus Imperij quàm primùm expellantur.

Calendis Martij mortem obijt Ezardus, Frisiæ Orientalis COMES, in medijs discordiarum ciuilium & seditionum turbis. Eius post mortem multi sperabant, optabant certè omnes, res quietiores fore: sed Deo aliter visum. Enno enim, vt dominij, ita quoque paternarum discordiarum hæres successit. Acerbè vtrimque res fuit acta: & Comes quidem ad HISPANORVM; ciues verò ad Belgarum confœderatorum opes respicere videbantur: ac nisi summa Cæsareæ Maiestatis interuenisset sollicitudo & auctoritas, ad insignem aliquam mutationem ijs in locis omnia spectare videbātur. Nobis, quibus nihil dum certi *Tumultus Embdensis.*

con-

facilem sibi victoriarum cursum promittebat: alij verò aliâ hostem inuadendum censebant. Nam & loci eius oppugnationem multa difficilem reddebant: cum primis, quod ea anni tempestate flumen niuibus solutis auctum, valdè excrescere solet, & omnia longè, lateque inundare. Missi ergò, in alpibus parum niuis esse referunt, neque diluuium timendum. Sed Austriacus, inuito admodum Admirante, Bommelam obsidere, relicta Grauenverda, decrêrat. Exercitus omnis ad Resam Ciuiæ oppidum (vbi Admirans hibernauerat) conuenire iussus, inde Embricam versus descendit: vbi per pontem à ciuibus exstructum, copiarum parte traducta, ab vtroque latere, hinc cis Vahalim, inde cis Rhenum, castra, obsidentium specie, metatur. Interim Grauiæ pontones, & reliquus naualis apparatus magno studio præparantur. Præsidiarij ad primum Hispanorum aduentum ad sui defensionem impigrè se comparant, & maioribus, minoribusque tormentis non paucos interficiunt: adeò vt iam tum facilè appareret, quantum difficultatis eius loci habitura esset oppugnatio. Mauricius interea, Dusburgi in omnem euentum intentus, vtriusq; fluminis, Vahalis & Rheni ripas diligēter munit; deque Grauenverdæ obsidione certior factus, suis mox præsidio accurrit. Sed iam Barlotta, Stanlæus, & Sapæna, chiliarchæ præmissi Mosam ponte iunxerant. Verùm vt melius omnia intelligantur, locorum eorum situm paucis describemus. Bommelia insula est, quam Mosa & Vahalis, hic è Germania, ille è Gallijs decurrēs, efficiunt. Mosa enim ad Varvicū pagū Vahali miscetur: ibiq; paruam aliam insulā, Teruoram nomine, circūuit: sed hîc velut diuortio facto, vterq; separatis alueis feruntur.

Anno 1599.

ab Hollandis malè excipiuntur

Bommelia obsidetur:

Anno 1599. tur, donec ad Vorcomum oppidulum rursus commiscentur. Quod eo diuortio comprehenditur terrę, Bõmela appellatur, pagos habet multos, vrbẽ vnã ad Vahalis ripam, naturã & opere munitã. Tota pascuis & agris fecũda est. Teruorã, q̃ ad caput ei⁹ est exigua insula, vt diximus, iamdudũ Ordines cõfœderati propugnaculo satis firmo munierãt, cui, vt & loco, Teruorę nomẽ. Ad hoc occupandũ Stanlęus missus, operam lusit. Sapæna & Barlotta, expugnato ad alterã Mosæ ripam Creuecurio, non magni nominis propugnaçulo, sed Buscoducensibus valdè infesto, insulam ingrediuntur. Duo erant ibi aggeres, tenentibus valdè opportuni. Eos quo minus statim occupârint Hispani, quibus id mandatum fuerat, noctis effecit obscuritas, quæ tamen in re non maxima (quamquam in bello nihil non magnum haberi debet) negligẽtia multum eis postea nocuit. Mauritius, hostis itinere explorato, & ipse ad eundem contendit locum, & ponte Vahali imposito, cum magna exercitus sui parte in insulam traijcit. Dici non potest, quanta fuerit ciuium primùm trepidatio, inde fuga etiam: sed Mauritij aduentu recreati, animum resumunt. Ruinis murorum, quâ noua nuper ædificari cœpta erant propugnacula, neque dum perfecta, incredibili celeritate restauratis, tormentisque, quæ aduexerat, dispositis, Mauritius ante mœnia castra ponit, operibusque mirum in modum muniit sic vt vrbem oppugnanti, castra, vrbi prætenta, prius expugnãda essent. Vtrimque multi conatus suscepti; vario euentu, modò his, modò illis felices, ijs tamen qui vtrimque cadebant (nec verò pauci erant) semper nimis quàm infelices. Vulnerati multi, in his magni nominis Alfonsus Daualus, dum in hostiles

muni-

munitiones ingressus, non sine multa suorum cæde eisdem expellitur: itemq; Affricurtius, dum nebulæ vsi beneficio Nassouiani & ipsi hostilia castra peruadunt, nec minus fortiter reijciûtur. Multa impediméta Hispanorũ reb⁹ pulueris torméctarij, ceterorumq; bellicorũ commeatuum afferebat inopia, quibus hostes abũdè instructi, magnã quotidie non vilium tantùm animarum, verùm etiam fortissimorum militum edebant stragem. Cardinalis igitur rei frumentariæ & pecuniariæ caussâ Buscoducum profectus, Fridericum Comitem Vambergium, Ræsam mittit, & quæ ad bellum necessaria relicta ibi erant, in castra adducere iubet. Is non sine periculo, quod multa loca vicina, quã transeundum erat, hostili præsidio tenerentur, duobus peditum millibus, & sedecim equitum turmis comitatus, tormenta sex maiora, & ducentos curros puluere onustos, aduexit: cumque eo vnà in castra venit Marchio BVRGAVIVS, Cardinalis frater. Iam Archiducis exercitus valdè erat accîsus, quod multos quotidie non tantùm vis Martis percelleret, sed milites etiam dilapsi, signa infrequentia relinquerent. Cardinalis igitur Duci Arscotano, Margrauio Antuerpiensi, & Comiti Embdano negocium dat, vt nouum militem è Valonibus, Belgis, Germanis conscribant. Dum ad Bommelam ita desidetur, graues simultates inter Admirantem & rei tormentariæ præfectum, itemque Barlottam, & chiliarchas nonnullos Hispanos exstiterunt; frustrà dissidia componere annitente Cardinali. Inde factum est, vt vix quidquã in cõmune consuleretur, nec imperia ritè administrarentur, nec, vt oportebat, obirẽtur. Milites pręterea, multarum rerum penuria cõfecti,

Anno 1599.

Dissentio inter Hispanos & Barlottam

Anno 1599. & ad omnem hostis impetum expositis, vix à seditione poterant contineri, ij præsertim qui vt prædæ spe ad quoduis facinus vltrò ꝓuolant; ità eâ destituti, omne imperium quantumuis iustum, detrectant. Accedebat hostis in propinquo, ad resistendum parati, vis, quem profligari posse, eo rerũ statu exigua spes erat. Iam supra duo millia in castris occisa numerabantur, præter fugitiuos transfugas; vulneratis & ægris vicina omnia xenodochia & nosocomia erant referta: sic vt multi obsidionem soluendam esse censerent. Cõcilio super ea re coacto, dum alius aliud censet: transfuga Germanus, metator, ad Cardinalem venit, locumque castello ædificando valdè opportunum commonstrat; quo vtriusque fluminis nauigatio impediri, vicinisque locis omnibus veluti compedes inijci possint. Cũ hoc, quod non absurda dicere videretur, missi qui loci situm diligenter explorarent, referunt, & vtile fore, nec omninò rem esse difficilem. Cardinalis igitur ipse cum nonnullis magnæ experientiæ viris ad inspiciendum locum profectus, consilium probat, operisque initium quàm primum fieri iubet. Præsidijs igitur vndique dispositis, ne ab hostibus quid damni acciperetur, obsidionẽ soluit. Ad hostis discessum Mauritius omnia tormenta displodi iubet, tanto cum fragore, vt cœlum ac terrà ruere viderentur; hostiumque cognito consilio, suas ex aduerso copias opponit, & Vahalis ripam, qui intermedius fluebat, multis operibus munit: ipse ad Teruoram, vbi breuissimus erat ad hostium castra transitus, considet. Intra tertium vel quartum lapidem ab eo loco, vbi castello regio ædificando iacta erant fundamenta, Hervarda vicus est ignobilis; eum rebus suis commodum ratus, Mauritius

lorica

lorica & fossa cingit. Ad hunc conatum impediē- Anno 1599.
dum Hispani animosè magis quàm prudenter cō-
ferto agmine se inferunt; sed & conferti cadunt,
missilibus, quæ tàm è munitionibus quàm nauibus
præsidiarijs confertim iaciebantur, confecti. Inter
alios, non paucos, perijt eo in conflictu Paciotus,
vir admirabili quodam ingenio, & magno animi
robore prędius, planeque tanto patre, (cuius cele-
bre hodieque nomen ob descriptam ab eo castelli
Antuerpiensis formam) dignus filius. Cetera mi-
nutatim exsequi non est animus: ne Diarium, non
Historiam conscribere videamur. Illud certè verè
affirmauerim, nullum pœnè diem præterijsse, in
quo non vel à gregarijs militibus magnū aliquod,
& planè militare facinus sit patratum: & tàm hos
quàm illos, quasi cum hoste sibi res esset, sensisse.
Fecit ea res vt fortalitij exædificationem Austria-
cus quantum poterat, maturaret. Vtq; omnia non *Propugnaculum S. Andreæ exstruitur.*
augustiora tantùm viderentur, verùm etiam pro-
sperè succederent: multis cum cæremonijs vt mos
habet, fundamentum ipse sua manu ponit. Ad hanc
solennem actionē inuitati aderant, Burgauius &
Mauritius Saxo: quos aduenientes vniuersus exer-
citus horribili tormentorū strepitu, verùm ne pul-
uis inutiliter consumeretur, maioribus omnibus
machinis, globis ferreis inditis, hostem vna eadēq;
opera salutat: qui, credo ne parum gratus aut ciui-
lis haberetur, multo cum fenore gratias regessit.
sed vtrimq; tantùm non irrita vota cecidère: quod
iamdiu ad istas res omnia prouisa essent. Inde ca-
stello nomen S. Andreæ impositum, idque Cardi-
nalis honori datum, qui vt commune nomen gere-
bat, ita Diuum illum singulari veneratione prose-
quebatur. E propugnaculis (quorum bina Mosam,

Anno 1599. bina Vahalim, quintum Bommelam oppidum spectabant) Austria primum, secundum Burgauia, tertium Saxonia, Aragonia quartum, quintum Velasco, de principum nominibus appellata fuerunt. Finitis cæremonijs, quibus non interfuit tantũ, sed præfuit etiam Octauius Frangipanis, Apostolicus in Belgio Legatus, in Admirantis tentorium, pransum conceduntunt; non sine grandi vitæ periculo. Dũ enim iuncti equitant, duo hostilibus tormentis excussi globi, equorum alter pœnè capita strinxerat, alter in solũ incidens, puluere & terra proximos consperserat. Sequentibus diebus aliquot leues conflictus miscebantur, modò his, modò illis victoribus, ambigua etiam sæpè victoria, quum vtrinque caderẽt non pauci. Multa etiam atrocia cõmissa sunt prœlia, adeò vt eductis nonnunquam pœnè omnibus copijs, de summa rei decertatũ iri videretur: sed periculi magnitudo, victis certò imminentis animos, quãuis pugnãdi auidissimos, cõtinebat. Nassouiani quidẽ omnibus viribus ædificantes impedire conabantur: sed frustrà: nihil ad summam diligentiã reliquum facientibus Hispanis, adeoq; nec vitę parcẽtibus, dum sibi hibernãdi in hostico locum pararent: quibus tamen Hollandi ità iam tum illudebant, vt dicerent, multũ se eis debere, qui tantis impensis, tantis laboribus, tam egregiam in ipsorum solo exstruerent arcem, quam rebus omnibus instructam, paucos post menses, ipsis essent tradituri. Quod, tum ioco dictum atque acceptum, augurium fuisse, paullò post euentus comprobauit. Quod eò dicimus, vt voces etiã temerè iactas nõ negligendas esse interdũ, moneam⁹ Sed psẽtib⁹ plerũq; homines, futurorũ securi, fidere solet, & icti demũ sapiunt, immò sępè ne icti qdẽ.

Hollandi cum socijs, vt Hispanos modis omni-

bus vexarent,& non terrâ tantùm, sed mari etiam distinerent;classem centum circiter nauiũ, omnibus rebus instructissimã ad infestanda Hispaniæ, aut aliarum Insularum,quę Hispani ditione tenẽt, litora,emittunt,eique vniuersę Petrum Dusam,rei naualis peritissimum,pręficiunt.Ea 25.Maij vela in altum fecit, & ad Curonnam Galitiæ portum, 15. Iunij interim subsistit, dum de primo assultu faciendo deliberatur.Ibi ex captiuis cognitum est, eã oram, quod de aduentu ipsorum iam diu fama increbuisset,à quatuor peditum millibus & aliquot equitum turmis,præsidio missis, teneri. Quare ijs in locis manifesto cum periculo fortunam experiri,minimè consultum videbatur. Iter igitur versus promontorium S. Vincentij dirigunt,& Lancerottam,Forteuenturam,aliasque insulas pręteruecti,in magnam Canariam 26.Iunij appellunt,& ad Alegonam oppidum insulæ,anchoris iactis,in terram descendunt.Est id oppidum, vt in illis locis, satis munitum, in primis arce amplissima, quam Gratiosam appellant, ad occasum æstiuum positũ. Heic eminus aliquamdiu tormentis pugnatum, dũ thalassiarchus suos in terram exponere, insulani exscensionẽ prohibere conantur.Nec leuia vtrimque damna,maximè à classiarijs, qui ad omnem ictũ expositi patebãt: & naues etiã nõnullæ globis perforatæ,vix quò se reciperẽt habebãt;donec classiariorũ sociorũq; naualiũ magna pars in scaphas insilientes,velis remisq; terrã petũt.Insulani in litoris arena tribus machinis cãpestribus collocatis, magno numero exscẽsionẽ facere moliẽtes exspectãt&sclopis manuarijs excipiũt,nõ minus integrę se defendentes.Quũ verò insulani plurimis licet & cõtinuis ictibus peteti, ne pedẽ q̃dẽ retrocederent,

Anno 1599.

Classis Hollandicæ expeditio in Canarias

Magna Canaria ab Hollandis expugnata.

Anno 1599. scaphæ, aquis destitutæ, ad littus appelli non possent. thalassiarchus vir magni animi, primus omnium è schapha in mare desilit, cuius exemplum vniuersa classiariorum turba, præter eos, qui scaphas custodire iussi erant, sequuta, nō sine magna suorum iactura, in terram euadunt, licet pertinacissimè, loci commoditate adiuti, obniterentur insulani; è quibus quadraginta circiter ceciderunt. Sed maximè eos consternauit oppido Præfecti infelix casus: cui alterum crus machinæ ictu confractum erat. Eo igitur sic monoscelo ablato, & machinis hosti relictis; in arcem se recipiunt, præter triginta sex, qui sepulchro magis in quo reconderentur, quàm asylo in quod perfugerent, indigerent. Thalassiarchus, tribus sed leuibus acceptis vulneribus debilitatus, magno fuerat in vitæ discrimine. In eum, inter confertos strenuè pugnantem, magno impetu illatus Hispanus miles quum iam iam impari pugnæ genere deprehensū confecturus videretur, ab alio, qui, animaduerso periculo, in tempore accurrerat, confoditur. Hollandi, terra potiti, è nauibus auxilia euocant, acieque instructa, sub signis arcem versus progrediuntur: sed eos qui intus erant, acta expugnata tantus inuaserat metus, vt fidei hostis se potius credere, quàm vim vltrà experiri maluerint. Abiectis igitur armis, & quinquaginta suorum in custodiam traditis, arce patefacta, Hollandos intromittunt. Repertæ machinæ æneæ nouem, è ferro sex, cum mediocri apparatu. Captiuis ceteris in Hispanicam nauem, paulò antè interceptam, impositis, tres è præcipuis thalassiarchus secum retinuit, è quibus de hostium rebus omnibus certi aliquid cognosceret. Arce capta, deiectis quæ Hispaniorum regis inst-

insignia gerebant, vexillis, Mauritianum supponit; Anno 1599.
copiasque omnes in tres cateruas dispertit: vnam sub oppidi vallo, alterā ad montium radices collocat, tertiam litus custodire iubet. Vbi tota ea nocte in acie stetissent: summo mane, iunctis ordinibus, ad oppidum accedunt, eiusque oppugnandi faciunt initium. Præter eam, quam expugnatam iam diximus ex aduersa oppidi parte, altera arx erat, è qua in insulā continuò iaculati, multos interficiebant. Ad eam conuerberandam dum machinis locum aptant Hollandi, prius dies in noctem desijt, quàm cœptum opus absolueretur, quam & ipsam in armis transegerunt. Interea qui ad montana loca confugerant, noctis beneficio vsi, è latibulis suis prodeunt, & minoribus aliquot tormētis per montium iuga dispositis, hostes petunt. Sequentis diei summo mane thalassiarchus arcem quatuor machinis pulsat, quintam itidem contra eos, qui montes insederant, dirigit. Insulani in arcis vallū & monumēta, per se nō satis firma, vtres, saccos, doliaq; lapidibus referta congesserant; quibus pro lorica vtebantur. Sed multis perniciosum fuit hoc consilium. Globi enim magna vi tormentorū adacti, lapides, dissipatis dolijs, in circumstātes ita spargebant, vt ab eis longè maius, quàm ipsis tormentorum ictibus obsessi, acciperent damnum. Nam & quo densior erat saxorum nimbus, in tantò plures incidebat: & in munitionibus, tot ictibus conuulsis, itemq; corruptis tormētis defensoribus iam parum spei reliquū erat. Interim thalassiarchus quatuor signa peditum mittit, qui insulanos ad tormenta collocatos, montibus deijcerent: ipse cum paucis in oppidi portam ignem conijcit, qui obuia quæque complexus, quum nemo ad re-

Anno 1599. stinguendum accurreret, tumultu & trepidatione omnia miscuit. Insulani in tanto periculo, quũ hinc ignis, illinc hostis vrgeret, cõvasatis, quas poterãt, rebus, tam arce quã oppido furtim excedunt, & in montiũ cauernas ac speluncas se abdunt. Circiter meridiem Hollandi scalas duas oppidi muris applicant, quarum altera pro loci altitudine satis erat breuis. Per eas thalassiarchus inter primos enititur, & nemine omninò vel lapidem conijciente, in murum euadit, militesque per patentem portam accipit. Ratus oppidanos in arcem confugisse: suos rectà ad eam ducit; sed eadem ibi, quæ in oppido, deprehensa solitudo. In arce subterraneum meatum Insulani puluere opplêrant, fomite ita attemperato, vt, digressis ipsis, ignis in puluerem incidens, hostes nihil tale metuentes corriperet. Sed prius detecta fraus, quàm eò vsque essent progressi milites, periculum omne discussit. Arce & oppido hunc in modum occupatis, thalassiarchus suos iterum sub signa cogit, & in humili quadam planicie intra mœnia aciem instruit, quasi exercitum lustraturus. Ibi ad eum adducitur Vlissingensis quidam, carcere extractus. Eo monstrante, thalassiarchus ipse omnes custodias & carceres adit, & captiuos educit sex & triginta; è quibus cognoscit, paulò ante ciuium fugam duos è suorum numero, Anglum vnum, Germanum alterum, hæreseos ab Inquisitoribus damnatos, vt & à fugentibus abductos esse, & quo minus iam viui sint combusti, Hollandorum aduẽtum obstitisse. Sub vesperã singulis centurionibus oppidi regiones, in quibus cũ suis quisq; pernoctarent, descriptæ sunt; & quia Insulani conferta agmina in montiũ iugis ostentabãt, extra oppidũ, ad retardã-

dos

dos eorum conatus, statio fuit fuit collocata. Oppido direpto, thalassiarchus edicit, vt quidquid prædæ repertum ibi fuerat, ad rei maritimæ præfectos cõportaretur, graui pœna proposita in eos, qui inde quidq̃ sibi reseruassent. Sequẽti luce è nautis quidã ad montana loca profecti, ab Insulanis, locorũ multò peritioribus, circũueniuntur, & 20. eorũ interfectis, reliqui ꝑ salebrosa & inuia magno cũ vitæ periculo ægrè se abducunt. Ea res etsi Hollandis excurrendi ardorem valdè restinxit: Insulanos tamen non omni metu liberauit. Timebant enim domicilijs suis, in quibus hostes diuersabantur, à quibus digredientibus nullam aliam hospitij mercedẽ sperabant, quã eiusmodi inquilini ꝑsoluere solent. Aliquoties ergo, missis internũcijs, cũ thalassiarcho de lytro, quo sua ab incẽdio redimerẽt, egerunt: sed transigi inter eos nihil potuit, ꝙ alteri nimio plus postulare, alteri minus quàm par erat offerre viderentur. Cõportari ergò prædã omnẽ ad naues iubet: & in primario tẽplo, suæ religionis ritu, sacris peractis, duo circiter hominũ millia, ad eos persequendos mittit, qui in syluas & montes profugerant; qui tamen nulla re perfecta, septuaginta suorum amissis, in quibus vnus nauarchus, paulò post sunt reuersi. Quarto demum die Iulij arcem oppidi puluere subiecto euertit, templa, monasteria, aliaque ædificia suburbana, ipsum denique oppidum incendit; & dato profectionis signo, ad alterum CASTELLVM, quod primum expugnatum fuisse diximus, Gratiosam nomine, ad classem reuehuntur. Vix à terra soluerant; quum INSVLANI è latibulis suis, cognito HOSTIVM discessu, prodeunt, & ad restinguendum incendium accurrunt.

Anno 1599.

Inte-

Anno 1599

InteraGratiosam&ipsam cuniculis suffossam pulvis incensus horribili cum fragore, & magna Insulanorum trepidatione disijcit & disturbat. Thalassiarch' collectis ad classem omnibus militibus, concilium conuocat, cumque ijs qui locorum eorum periti erant, de inuadendis reliquis insulis deliberat. Explicatis iam velis, Insulanorum quidam, pacis insigne gerentes, in litore dant se conspiciẽdos. Ad eos celoce missa intelligit, de captiuis, redimendis agere velle: è quibus nonnulli statim, repræsẽtato lytro, fuêre dimissi, ceteri abducti. Hinc

Teneriffa.

ad Teneriffam, quæ & ipsa in Canariarum est numero, classis, aduersis tempestatibus acta, anchoram iecit, Heîc scaphę omnes aquatum fuêre emissæ. Classiarij in terram descendentes nullo omnino homine conspecto, sine vllo impedimento aquam nauibus important, & præcelsas lignorum strues, quæ toto litore multæ visebantur, ad eius, vt videbatur, defensionem factæ, concremant. Nullo

Gomera inuaditur.

ergò hîc operę precio facto, cursum versus Gomeram dirigunt, vno oppido munitam. Ventus tum inconstans admodum & procellosus classem hinc inde disiecerat: verùm vbi ea se, remittente tempestate, collegit, thalassiarchus, vno solùm catascopio phaselo comitante, quàm proximè potest ad litus vrbi vicinum nauem suam appellit; & in anchoris stans socios exspectat, qui totam eam noctem incredibili cum labore, vt litore potirentur, incubuêre. Mane, classiarij in scaphas impositi, in terram egrediuntur. Hîc omnia fugæ vestigijs plena conspiciunt, & oppido defensoribus vacuo, itemque arce non procul inde ad litus posita occupatis, quadringenti circiter, vt fugientes cũ præda interciperent, alia parte in vallem quandam descen-

descendunt, sed elusi, ad montana vsque persequuntur. Insulani quantum possunt, se cum ijs quas asportauerant rebus, in cauernas & nota cubilia abdunt: inde in classiarios, iam in loca insidijs opportuna præcipitatos, vndique impetu facto, eorũ omnium exitio imminebant, qui ad se perdendos venerant. Classiarij loci iniquitate circumuenti, præcluso omni ad fugam exitu, armis, in quibus solis spes erat, quàm possunt fortissimè se tuentur, tandemque multis vtrimque occisis viam soli patefaciunt, trepideque sole iam ad occasum vergente in vrbem vt diximus occupatam ad suos reuertuntur. Ibi per stationes distributi pernoctant: mane sequenti loca omnia, in quibus defossum aliquid credebatur, excutiunt: sed præter pauca vini dolia, tres machinas æneas, & campanas aliquot, nihil repertum. Etsi verò quam difficilis esset ad montes, in quibus Insulani delitescebant, aditus, quantoque difficilior exitus, suo antè malo senserant: tantum tamen in nonnullis potuit prædæ auiditas, vt, contemptis omnibus etiam præsentissimis vitæ periculis, ad ea vsque loca procurrerent, vnde multi, pedem non retulerunt. Ne ergo non necessario discrimini suos obijceret, thalassiarchus copias recenset, & cum præda, exigua illa quidem, & carè emta, nauibus rursus imponit, omnibus prius ferro flammaque vastatis. Ita duæ longa pace florentissimæ insulæ, & quæ meritò, si cœli spectes solique ingenium, inter Fortunatas haberi possunt, ab Hollandis occupatæ, omnes belli calamitates sunt expertæ, & alienam inuidiam odiumque grauissimè luerũt. Sec nec Hollandis felix admodum ea fuit expeditio: quippe qui ne vnũ quidem terræ pedem occupatum retinuerunt: & præda

Anno 1599.

Anno 1599. præda quidem omnis, si cum immensis sumptibus in classem factis comparetur, exigua admodum videri possit, minimeque digna, quæ tot periculis, laboribus, mortibus emereretur. His ita, vt commemoramus, rebus gestis, thalassiarchus concilio habito primùm omnibus gratias agit pro opera patriæ & principi Mauritio contra Hispanorum regem benè & fideliter nauata: inde ex omni numero naues triginta & quinque seligit, firmissimas, easque nautis, classiarijs, ceterisque rebus omnibus munit: ceteras, præfecto Ioanne Gerbrandi, cum præda domum remittit. Vt hoc faceret multę eum causę impellebant. Nã & in nonnullis nauibus magna pars alimoniæ jam absumpta erat; & classiariorum epibatarumque numerus non leuiter imminutus: prę terea ex eo, quod pœnè nullos qui resisterent hactenus offendisset; existimabat tantis viribus, quãtæ in vniuersa classe erant, sibi opus non esse. Quũ ergo alteri alteris valedixissent, omniaque fausta precati essent: hi in patriam, illi versus insulas ad occidentem sitas, diuersis itineribus contendunt. Nauium quæ domum properabant multis tempestatibus agitatæ, & disiectę tandem altera post alteram in diuersos portus appulsæ sunt: Thalassiarchus cum suis Santomarã insulã, quam alij à pręcipua vrbe S. Thomæ appellãt, sub ipso ęquinoctiali sitam petit. Habitant ibi Lusitani: tota quum alijs rebus, tum maximè saccari prouentu, abundat. Expositis in terram militibus, thalassiarchus oppidũ S. Thomæ oppugnat, & segniter se defendentibus Insulanis, sine magna suorum iactura, expugnat, capto Francisco Menesio, totius Insulæ præfecto. Hîc quum gens è septentrionalibus locis profecta & frigoribus potius ferendis, quàm æstibus, qui ardentissi-

S. Thomæ oppidum expugnatũ.

dentissimi ibi sint, assueta, cupidè se aqua ingurgitarent, quam & ipsam ab insulanis corruptam aliqui existimant, humi etiã assiduè cubarent: morbus & vehemens & contagiosus vniuersum exercitum peruasit, quo plures magno cum dolorum cruciatu quotidie extinguebantur. Præda igitur aliquanto ampliore, quam quæ in Canarijs reperta, nauibus illata domũ redire thalassiarchus decreuit. Sed iam plerique omnes morbi pestilentissimi semina conceperant: qui tanta immanitate grassatus est: vt præter magnum classiariorum & nautarũ numerũ, thalassiarchus, omnesq; cum eo centuriones, duobus tantùm exceptis, Cãpio & Caluardo, eo perierint, inque maris fundo fuerint sepulti. Miserabilis erat facies, videre alios morientes, alios animam agentes, alios præcordijs iam conceptam mortem signis ostendentes: dum alij in mare alios abijciunt, mox & ipsi abijciendi. Qui tamen morbum euaserunt, cum præda omni paullò post partim in Hollandiam, partim in Selandiam appulerunt. Ecce tibi rerum humanarum inconstantiã, dum modò hi, modò illi lugent; dum Insulanorũ victores ab ea, quæ omnia vincit, morte vincuntur; dum qui aliorum ædificia fortunasque succenderunt, & ipsi morbis dolorique facibus peruruntur. Hæc illa fuit ad Canarias expeditio, cum maximo vtriusque partis damno confecta: qua tamen Hollandi multum gloriabantur, vtpote quibus eo tempore quo Hispanorum exercitus magnis viribus Bommelam oppugnabat, tantum animi viriumque superfuit, vt hostem foris quærere non dubitârint.

Anno 1599.

Contagio classem Hollandicã infestat.

De Transyluano suprà diximus, quomodo cum Cæsare pacta inita violârit, & per internuncios de pace egerit. Is mẽse Martio Meduzij comitia habet, in qui-

Transyluani cum Andrea Batorio Cardinali transactio.

Anno 1599. in quibus Andreæ Batorio, Cardinali, certis quibusdam conditionibus regiones suas omnes in ditionem tradit: in cuius verba mox vniuersi ordines iurârunt. Nouus princeps, Cardinalis, statim ad Georgium Bastam, Cæsareæ militiæ in illis locis præfectum, mittit, qui rem omnem exponerent, addens, quandoquidem Sigismundus per suos cum Cæsare tractet, se omnia de quibus inter eos conuenerit, rata habiturum, nec aliud quidquã in hoc omni negotio quàm Christianæ reipublicæ tranquillitatem & salutem spectare; vicissim sperare, Bastam quod huius actum esset, bonam in partem accepturum, nihilque contra ipsum hostile moliturum. Huius rei nuncio ad Cæsarem perlato; è vestigio Petrium mittit, qui Legatos Transyluani, quibuscum iam nouum pactum erat initum, è via retractos, in custodiam daret. Isti quum Tornam peruenissent, de ijs quæ in Transyluania gererentur certiores facti, vltrò ibi subsistere decreuerant, quoad de Cæsaris voluntate cognouissent. Eos quum suis minus idoneos existimasset Transyluanus, veluti molestos rerum arbitros ab aula tantisper, ficta legatione, amandauit, quoad meditata perficerentur. Eorum absentium bonis, quod rebus suis minimè fauerent, Cardinalis Batorius fisco addixit. Petrius inde in Transyluaniã contendit, & sub finem Aprilis reuersus, Cæsarem de omnibus quę ibi gesta essent docet, litterasque Batori Cardinalis repręsentat; quibus perscriptum erat, Velle se in eam curam vnicè incumbere, vt quęcumque posset, Cęsari officia pręstet, cum primis, vt pacem promoueat, ceteraq; quę ex vsu sint reipublicę Christianę. Cupere igitur, vt controuersię amicè componantur: deque ea re propediẽ Lega-

Legatos cum amplissimis mandatis se missurum. Anno 1599.
Cæsar, dilato responso, Georgium Bastam copias quantas posset maximas contrahere iubet: itemq; Valachiæ Vainodam in Transyluanum concitat & armat. Cardinalis, suis artibus se peti animaduertens, ad Bastam mittit Cornisium Casparem, cum his mandatis: Quandoquidem patrono sibi omninò opus esse intelligat, cuius ope ditiones suas tueri possit, rogare se, vt Cæsar voluntatem suam in eo declaret, vtrum in amici & clientis, an verò hostis numero se esset habiturus. Turcicum quidem apud se Legatum iam esse, qui vltrò auxilium principis sui offerat, nec amplius quā decies mille scutatorū annuum postulet tributum: malle se tamē cum ceteris Christianis coniunctis viribus, bonā ijs, Cęsarique fidelem præstare operam, quam si nō religionis, certè proditæ immanissimo hosti patriæ libertatis reum videri. Et quum miro quodam amore teneatur Annæ Austriacæ, quę antea cognato suo Sigismundo nupta fuit, sed legitimo & publico diuortio ei ablata: cupere vehementer, vt ea Cæsaris opera in matrimonium sibi collocetur, hacque adfinitate concordia inter suam & Austriacam familiam stabiliatur, vel potius continuetur. Basta Legatum quidem benè sperare iubet: ceterùm his de rebus ad Cæsarem quàm primum relaturum dicit, quem credibile sit ad postulata, si æqua videantur, minus difficilem fore. Quis Cardinalis fuerit exitus, infrà dicetur.

Magnus hoc anno fuit Turcarum in bellum apparatus: nec viribus tantùm, verùm astu etiam pugnabant. Inter alia strategemata mense Aprili centum sexaginta circiter equites, amictu Germanico, flauis & candidis crucibus distincto, Sigeto profe- *Turcæ cæduntur.*

S

Anno 1599.

profecti in paucos præsidiarios Strigonienses incidunt. Nostri, amicos primum rati, mox è clamore dissono hostes esse cognoscunt. Hîc circumuentis, & in media hostium regione deprehensis, nihis aliud quàm mors obuersabatur: sed tandem, recollectis animis, ad Drauum flumen in syluam se recipiunt, & loci opportunitate facilè pauci contra magnam equitum multitudinem se tuentur. Turcæ vbi nostros vim omnem equitum syluæ beneficio facilè eludere viderunt: pedites Sigeto celeriter euocant. Sed nostri, vt sunt ingeniosa pericula, è succisis arboribus rate confecta, in aduersum litus traijciunt, & præsentissimum vitæ periculum euadunt. Eodem mense præsidiarij Canisienses, euocatis Babuco atque aliunde sociorum auxilijs, prædatum in hostilem agrum excurrunt. De eorum itinere Turcæ Sigetani certiores facti, circiter quadringenti equites peditesque in quibus quinque erant Agæ, totum diem eos frustrà persequuntur, & tandem in pago quodam, Cornpada nomine, ad quietem se componunt. Eo cognito, nóstri retrogressi magno animo in Turcas inferuntur, magnam eorum partem, concîdunt, & quatuor Agis interfectis, victoriâ, etsi non incruentâ, potiuntur. Quemadmodum Budam nostri frustra oppugnârint, suprà commemorauimus. SCHWARTZENBERGIVS igitur, quum hac non successisset, alia via tentandum sibi aliquid existimans, præsertim quod vrbem ipsam nec milite, nec ceteris commeatibus benè munitam, certis indicijs accepisset: octo hominum millia, è vicinis præsidijs collecta, Strigonio Budam rectà ducit. Quum iam passus circiter mille ab vrbe abesset: Turcæ, no-

Buda frustra tentatur.

strorum aduentu maturè explorato, classicum canunt, tormenta expediunt, malleolos, tela in nostros contorquent. Schvvartzenbergius, Palfius, Nadastus, expeditionis duces, spe rei prosperè gerendæ amissa, exercitum reducunt: ne tamen omninò frustrà ea suscepta esset expeditio, ex itinere castellum Sambucum expugnant, & præsidiarijs omnibus interfectis, deijciunt. Hoc successu alacrior factus SCHWARTZENBERGIVS, copias auget, & Albam regalem, vnde paulò antè equitatus omnis Budensibus præsidio missus erat, magna cum celeritate proficiscitur. Hîc primum nostri clathros, quibus suburbia cingebantur, magno cum silentio perfringunt: inde per portas, pyrobolis conuulsas, facta irruptione, Turcas, qui in suburbijs, semisomnes opprimunt. Edito tumultu, oppidani ad arma discurrunt, & nostros, iam magno conatu portam vrbis molientes, repellunt. Qui cædi superfuerant, aut in vrbem non penetrârunt, captiui cum satis magna præda sunt abducti: & ignis vtrique suburbio iniectus, ita subitò omnia longè lateque inuoluit, vt è nostris quidam ambusti, ægrè flammam euaserint; & hosti vnum instrumentum, portæ admotum, reliquerint. Decimo Maij à Tartarorum Chamo missi Viennam venerunt legati, qui ad serenissimum Archiducem Matthiam introducti, pacis aliquot ineundæ rationes proposuerunt, inde ad Cæsarem deducti, idem fecerunt: Fraudulenter verò hoc ab eis factū esse, vt scilicet nostros, in spē pacis erectos, segniores facerent; facta ipsorū posteà declarârunt. Nouigradum enim, & tres alios pagos ingressi, Cosacos se mētiūtur, & miseros homines, q ad primū eorū aduētū

Anno 1599.

Albæ regalis suburbia direpta.

Tartarorū de pace Legatio.

Anno 1599. diffugerant, è latibulis suis euocatos, cum omnibus fortunis in miserrimam seruitutem abducunt. Grauiter scilicet errant, & deceptos se serò queruntur, qui barbaris & ad fraudem natis hominibus, quales Tartari sunt, & Turcæ, fidem vllam existimant esse habendam: quam illi vel exigui sæpè emolumenti spe obiecta, nunquam non violare dubitabunt. Sed nostri nihilo segnius rem gerebant. Nicolaus Palfius, vir magni animi & consilij, certior factus, magnam alimoniæ & pecuniæ vim, cū alio varij generis apparatu, Belgrado Budam deuectum iri: tumultuarias aliquot Haiduccorum copias cogit, & ad itinera obsidenda mittit. Haiducci in via in Begum Barensem incidunt, comitatum eius profligant, & Begum vnà cum viginti nauibus capiunt. Erat is crudelissimus tyrannus, & è nostris captiuos, maximè verò Haiduccos, immanissimè tractabat, & inauditis suppliciorum generibus excarnificabat. Haiducci igitur, vt par pari referrent, captum primùm palo alligant, dentes ei omnes excutiunt, singulos pilos barbę oblōgæ carpunt & euellunt: inde membra ei omnia confringunt & contundunt, & per summos cruciatus vitam eripiūt. Sic nefario homine crudeliter interfecto, progressi; pontem non procul à Segardino deijciunt, & hostem transitu intercludunt: & vt tutius agerent, aliquam equitatus partem Budam versus emittunt. Ianitsari, Buda ad deducendos commeatus egressi, in Haiduccos incidunt, & non sine clade in fugam aguntur. Hoc conflictu edito, Haiducci in insidijs collocati, Turcarum aduentum obseruant; qui, fiducia Budensis pręsidij, quod ad se excipiendos venturum nihil dubitabant,

Aga Barensis luit.

Anno 1599.

bant, Tolna Fastifocum vicesimo Iunij progrediuntur, & ad locum quendam paludosum, ne quid terrâ acciperent damni, anchoris iactis, catascopium ad explorandas insidias emittunt. Haiducci naues ingressi, flumine secundo delabuntur, & ne strepitu proderentur, remis positis, arma expedita in manus sumunt. Nauis speculatoria, quam ad tentandum iter à Turcis præmissam diximus, conspectis hostibus, continuò in fugam se dat, deque insidijs ceteram classem in anchoris stantem, edito signo, admonet. Sed nostri in eam magno impetu illati, duas triremes & quatuor naues præsidiarias expugnant; inde onerarias tanta vi aggrediuntur, vt breui eas omnes in suam redegerint potestatem, classiarijs omnibus vel ferro necatis, vel in aquas præcipitatis. Incredibilis hîc fuit præda reperta. Captæ sunt naues onerariæ quinquaginta sex, quarum singulæ nonaginta vel centum frumenti portabant medimnos; sexaginta aliæ, alijs mercibus, & inprimis instrumento militari omnis generis, onustæ; duæ item triremes & tres præsidiariæ (quarta enim submersa erat) in quibus stipendium omne quod præsidiarijs debebatur, Haiduccis prædæ cessit. Inde triremibus alijsque nauibus, quæ abduci non poterant, demersis, frumenti partem aliquam inter rusticos eius loci diuidunt, vt postea casu aliquo ad eos delati, promptius commeatibus iuuarentur: ceteram prædam, in qua nouem maiores, vndecim minores erant machinæ, læti domum referunt. Ex octo Turcarum millibus vix trecenti euaserunt: quorum numerum si quis cum nostrorum paucitate conferat (quos mille tantùm & quingentos fuisse constat) mirum alicui, immò

Naues Turcicæ profligatæ & direptæ.

Anno 1599. incredibile videatur. Sed Deo æquè per paucos ac per multos facile eſt vincere. Parta victoria, caſtella ijs in locis à Turcis infeſſa multa occupant, & amplius quadringentos è duriſſima ſeruitute educunt: duos etiam pontes, magnis cum laboribus & ſumptibus à Turcis exædificatos, diſturbant & incendunt; tanta vſi felicitate, vt Belgrado Turcæ valdè timerent, & Haiduccorum nomen multis cum execrationibus vulgò deteſtarentur. Sed, vt ſunt humana omnia, non perpetua hæc eis fuit felicitas. Septimo enim Iulij ex ijs octingenti circiter Foruaram arcem, infra BVDAM, cingunt, & Agam qui ei præſidio erat, bona fide euocant. Is fidem eorum ſecutus, egreditur. Iubetur arcem continuò tradere, & ſaluis impedimentis, quàm primùm diſcedere. Renuentem in arcem remittunt: & ſummis viribus eam oppugnare adoriuntur, adeò vt parum abfuerit, quin vi caperetur: ſed telorum multitudine à præſidiarijs obruti, quadringentis fortiſſimis viris amiſſis, oppugnationem intermittere coguntur. Auxilijs Strigonio miſſis recreati, duas arces expugnant, Tolnam vicum non ignobilem diripiunt, pontem, qui Drauum iungebat, demoliuntur, pontones demergunt, omnibuſque ferro & flamma vaſtatis, magna hoſtem afficiunt clade. Fregit hæc res nonnihil Turcarum animos, vt qui antè tam ſuperbè optimo Imperatori inſultarunt, ab eo iam pacem expetere fuerint coacti, vt infrà dicemus.

Lotharinga Iuliacenſi nubit. Maio menſe, ANTONIA, illuſtriſſimi Lotharingiæ Ducis filia, ad ſponſum Ducem Iuliacenſem, à fratre Comite Vandemontio, cum ſplendidiſſimo comitatu fuit deducta, & quinto

eius

eius mensis die Coloniæ honorificè à prudentissimo eius vrbis Senatu excepta, & liberaliter tractata, pronô flumine Dusseldorpium descendit. Nuptialem hilaritatem multum impediuit vtriusque exercitus insolentia, quam ea hyeme pleræque omnes vicinæ regiones senserant, & futuri belli metus. Circa idem tempus Archiepiscopus Treuirensis, Ioannes, illustri Schonebergiorum stirpe ortus, diem suum obijt: in cuius locum suffectus fuit LOTHARIVS, è nobili Mæternicio-rum familia natus, vir magna experientia, singulari doctrina, & pacis in primis studiosus. Anno 1599.

Ad comitia Varsoniensia Moscouitarum Princeps Legatum misit, qui induciarum exitum denunciaret. Ei vrbem ingredienti de more Turcicus prælatus gladius, magnam inuidiam concitauit. Poloni, quibus Legati aduentus minimè gratus erat, extra vrbem, in vasta quadam penè solitudine, diuertere iubent; & quod ægrè se à quotidianis luporum incursionibus tueretur conquerenti, respondent; Minimè ei tale hospitium esse recusandum, quali inde iam à puero assueuerit. Moscouitarum scilicet esse, & luporum, in solitudinibus prædabundos errare. Dum ad regem, mandata expositurus deducitur; comes à rege adiunctus, dextrum ei latus claudit. De hac quoq; iniuria protestatus, nihil aliud profecit, quàm vt, quandocumq; placeret, domum discedere iuberetur. Fore vt breui in Moscouiam mittantur Legati, qui cum Duce q̃ ad pacẽ & bellum spectarent, sint tractaturi. Hac contumelia irritatus Legatus subitò, pronunciato itinere, in Moscouiam se recepit. *Moscouitica ad Polonos Legatio.*

Polonorũ rege, vt suprà exposuimus, Calmaria digresso, quam firmo Germanorũ & Haiduccorũ *Calmaria à Carolo Sueciæ prorege occupatur.*

Anno 1599. præsidio communiuerat: Carolus vrbem & arcem statim terrâ marique obsidet, & fame ad deditionẽ cogit. Inde extracti primores quidam, capitali supplicio à Carolo, proditæ patriæ insimulati, afficiũtur. Haiducci & Poloni, quatriduuũ cibo potuq; ex diuturna fame refecti, ne quoad viuerent contra Sueciæ regnum arma ferrent, iuramento adacti, incolumes in Pomeraniã fuêre traiecti; Germani stipendio conducti.

Germanorum Principum expeditio. Adulto iam vere, Germaniæ principes, vti decretum erat, exercitum, ad duo equitum, & duodecim peditum millia conscribunt; & oppressis auxilio mittunt. Copijs vniuersis summo cum imperio præfectus fuit Simo, Comes Lippensis. Equitatum Saxonicum Franciscus, Dux Lauuenburgensis, & Philippus, Comes Hohenloius, ducebat: Franconico Georgius Fridericus Hohenloius; Rhenano Landius præerat. Habito delectu, castra contra orsoniam ponunt: & vicesimo sexto Iulij munimẽtum, ad Bercam in insula quadam positum, expugnant, præsidiariosque omnes interficiunt. Inde vlterius progressi, Embricam, Cliuiæ oppidum, deditione recipiunt, vt & Gennepam; quibus præsidio munitis, ad Ræsam, quæ Hispanico adhuc præsidio tenebatur, castra metantur, Iam antè quum ad Hispanos, tum ad Confederatos, Legati de rebus repetitis & non redditis missi erant: sed parum, aut nihil transactum. Ordines confederati, quum Principum Legatis Hollandicam profectionem molestã animaduertissent; duos è suis in castra mittunt, Nicolaum Bruningium, & Danielem Vandermeulũ, qui ipsorum postulata audirent, & quantum videretur, responderent; de ceteris ad Senatum referrent. Eis principum nomine quatuor hæc postulata fue-

ta fuerunt proposita. Primùm Grauenverdam, siue Anno
Schencianum propugnaculum loci eius domino 1599.
traderent: secundò, de damnis datis satisfacerent: tertiò, commercijs nullum inferrent impedimentum; quartò, nihil in posterum contra Imperij libertatem admissum iri, rectè cauerent. Illud de dānorum reparatione vehementer Germani vrgebāt cetera capita, leuiter discussa, in medio reliquerūt. Quum tēpus frustrà colloquijs extraheretur: Hollandi quocumq; modo possunt Principes Germanos, Protestantes præsertim, contra Hispanos incitare non desistunt; & per homines idoneos militię ductoribus suadent, vt coniunctis armis eos secum oppugnent. Sed responsum fuit, non hoc sibi in mandatis datum, sed quoscumque Imperio vim inferentes offenderint, in hostium numero habere iussos. Altero post die ab Hispanis adest Legatus; qui multis verbis superioris temporis facta excusat, rogatque, vt quum Archidux de iniurijs & damnis satisfacere paratus sit, ab armis abstineatur. Ei triduum datum, quo ad suos referret: intra quod quū certum non referretur responsum, decreta fuit oppugnatio. Oppido cum præsidio præerat Ramirus Gusmannus, nobilis Hispanus, cum sexcentis circiter variarum nationum militibus. Ad alterū Rheni latus munimētū erat exstructū, è quo facilis erat in oppidum traiectus. Præfectus, vbi seriò rem agi, seque oppugnari vidit; Franciscum Blumium ad Admirantem mittit, qui quo in statu res esset, eum doceret, & auxilia peteret, simulque rationem aliquā soluendæ obsidionis commonstraret. Admirans, qui eius loci defensionem multum ad nominis sui existimationem pertinere iudicabat; habita deliberatione, obsessis opem ferre decreuit, non igna-

Anno 1599. rus, quantum in bello de vnius partis existimatione detrahatur, tantundem alteri accedere. Quare ex ijs copijs quas secum habebat sexcentos circiter diligit, eisq; Andream Orticium, strenuum bellatorem præficit, quum eum hunc in modum prius fuisset allocutus: Nunquam se, nisi iam cum hoste acerrimo sibi res esset, negotium hoc alteri commissurum, sed sua ipsum opera confecturum fuisse: confisum tamen summis eius virtutibus, quem non dubitet in re tanti momenti honori & existitioni suæ, multo sudore & sanguine collectæ, consulturum, ipsius potissimum fidei & industriæ tam arduum negotium concredere. Inde mandata ei scripta & obsignata tradit, cum hoc mandato, ne ante litteras resignaret, quàm Grauiã venisset. Sequenti die Orticius cum delectis Mosam paullo infra Gennepam traijcit, & in munimentum, quod contra Resam erat, peruenit. Inde noctu tanto cum silentio, nauibus multò antè conductis Rheno superato, Ræsam ingreditur, vt omnem sui aduentus præuenerit rumorem. Manè oppidi muros & propugnacula, itemque Germanorũ castra contéplatur, & conuocatis centurionibus, Admirantis litteras recitat, quibus omnis rei gerédæ ratio erat præscripta: itemq; binas alteras, illas quidem Præfecto inscriptas tradit, has verò tutum in locum reponi iubet, nec prius inde promi, quã Præfecto fortè amisso. Cócilio coacto, illa pxima fuit deliberatio, quib⁹ modis hostis ab obsidióe depelli posset. Pleriq; cẽsebant, in eã partẽ quaLippię Comes, sũmus belli dux, stationem habebat, aliqd esse tentandũ. Hispani vt deos sibi facerent propitios, Missas audiũt, & velut illud iter ingressuri, q̃ ad alterã vitã illis aditũ fortè esset præbit[illegible]m, animas ritu suo

expiant, Orticius, signo emptionis proposito milites affatus, Magnā rem, inquit, & difficilē conaremur milites; si tantā hostium multitudinē soli depellere vellemus: sed eadē multò erit facillima, si verum est, vt est verissimum, illum omnium exercituum Dominum ac Deum pro nobis cōtra inimicos suos stare: cuius benignitatę vt primo nostro aduentu sumus experti, ita speramus huic nostro etiam conatui adfuturum. Et verò, quî magis vestrorum armorum vim perferre poterunt, qui paucorum Germanorum, eorumque nutantium & seditione laborantium, armis cesserunt? Anne virtus vestra, tot iam annos spectata, hos hostes diuti° mœnia vestra circumsidere patietur? quorum plerique omnes ad explendum tantùm numerum hinc inde collecti, arma potius ad terrorem, quàm ad vsum ostentant? Ite ergò bonis auibus, & hostium multitudini vestram opponite virtutem & robur. Magna erit vestra gloria, si primo aduentu hostes ab obsidione repulisse, & ceteroqui bellicosa à natione tam insignem reportasse victoriam perhibeamini. Signo dato, porta omnes erumpunt, & obsidentium munitiones ingressi, quinquaginta circiter interficiunt, & tormenta quædam, clauis ferreis adactis, corrumpunt, vnum etiam in vrbem trahunt. Totis passim castris Ad arma conclamatur: sed parùm ritè omnia administrabantur, quod & militiæ DVCIBVS inter se non satis conueniret, nec milites plerique, prædæ magis & rapinę, quàm pugnę cupidi, dicto essent audientes. Hac offensione accepta, castra, quà hostis venturus timebatur, melius communiuntur. Sed munitionibus illis non opus erat, discessu, fuga non multum abſimili

Anno 1599.

Anno 1599. absimili, securitati suæ prospecturis. Paullò enim post obsidio soluitur, & dilapsi milites grauissima per Vestphaliã præsertim aratoribus damna dabãt; è quibus nõnullis seditionis antesignanis, gula postea laqueo fuit fracta. Hic exitus fuit belli, bonum quidem in finem suscepti, sed parum prudenter, & proinde parum fœliciter administrati. Oppidum postea Archidux Iuliacensi restituit, stipendio præsidiarijs tumultuantibus persoluto, vt scilicet planum faceret, non dominium alienæ regionis se affectare: simulque quod verbis quum ipse, tum Andreas Cardinalis non semel promiserant, reipsa præstaret.

Hollandorum in Moluccas nauigatio. De Hollandorum in Indias nauigatione superioribus libris dictum est. Ea etsi minus fructuosa fuerat, pro magnitudine sumptuum in classem factorum, excitauit tamen nonnullos mercatores, vt melioris spe successus, maiorem ornârint classem, in qua octo erant naues, rebus omnibus instructissimæ, quarum 6. vnitarum prouinciarum nomina & insignia gerebant, Hollandiæ scilicet, Selandiæ, Gelriæ, Frisiæ, Vltraiectinæ, TransIsulanæ; septima Mauritij, prouincijs præfecti: 8. Amstelredami, Hollandiæ emporij. TransIsulana, minor ceteris, & ad cursum expeditior, alio quoque nomine Columba dicebatur. Classis hęc superiori anno 1598. Calẽdis Maij è portu Texeliano soluens, ad Bonæ spei vsq; promontorium coniuncta mansit: vbi partim tempestate, partim locorum imperitia dispersæ naues diuersum cursum tenuerũt. Coniunctæ manserunt Hollandia, Mauritius, TransIsulana: quę ad Insulã S. Mariæ sunt delatæ; ceteræ 5. ad ignotam insulam (nonnulli tamen Docernen vocant.) appulerunt: quã vt notiorem facerent, Mauritij ei nomen indiderunt.

derunt. Ad hanc insulam portus est commodus, & statio satis tuta: quem Varuicum de Prothalassarchi nomine appellârunt. Insula ad gradus circiter viginti citra æquinoctialem sita est Madagascari adiacens, & ad Austrũ porrecta: magnitudine, Hollandiæ poenè æqualis. Adnauigantibus foris tota in montes consurgere videtur; multas tamen intus planicies habet. Arboribus miræ proceritatis abũdat, quarum lignum picê ingredine, duritia & leuitate os poenè vincit. Magna ibi quoque volucrum est multitudo, quas Hollandi Nauseas appellant, carne eduli quidem, sed non nimis sapida: à quarũ tamen esu facilè abstinuerunt, in magna columbarum & præpinguium psittacorum vt & pisciũ copia. Testudines hîc reperiuntur tanta magnitudine vt operimento decem homines capiat insidentes. Ad litus ceram candidissimam, Arabicis litteris inscriptam Hollandi conspexêre; maris eiectamentum, & Arabum, vt videtur, naufragorum monumẽtum. Coralia quoque fert, & palmites; quod genus est arboris, cuius succo pro vino vtuntur Indi. Tota deserta est, hominumque vestigij vacua; licet salubri coelo, solo fertili gaudeat, & aquis limpidissimis irrigetur. Aqua nauibus illata quinque illæ naues iter suum continuabant: quibus dimissis, ceterarum trium, quas in Insulam S. Mariæ appulisse diximus, historiam prosequemur. In alienum anni tempus Hollandorum in hanc insulam incidit aduentus, fructibus plerisq; omnibus immaturis. Oryzæ tamen aliquid repertum. Hîc nouũ piscationis genus Hollandos oblectauit. Indi lintribus ad ea loca profecti, vbi balæna stabulatur, harpagonem ferreum præacutum, funi oblongo ex arborum corticibus facto alligatum, corpori e-

Anno 1599.

Mauritij Insula, aliàs Doceme

Insula S. Mariæ.

ius

Anno 1599. ius ipso iactu infixerant. Balæna vulnerata magno impetu per aquam ferebatur: sed Indi funē ei permittebāt, eousq; dū primi impet⁹ vehemētia elāguesceret. Abrepti cū lintribus, eiecti quoq;, funē tamen nō amittebant: sed natandi peritiâ, facilè in aliū lintrem se recipiebant. Languentem iam, in arenam attrahebant: & relabente æstu, dissectam quisque quantum vult sumebat. Quum nulla hîc alimoniæ spes esset, leuatis anchoris in sinum Antongilensem proficiscuntur: sed & hîc nullis commeatibus repertis, quod inter barbaros illos bellū esset; aquâ recenti non sine multis difficultatibus dolia replent, Iauam versus plenis velis cōtendūt, & ad primariam eius vrbem Bantam sub ipsum anni exitum appellunt. Ibi statim insulanorum & ciuium gratia captata; commercia cum ijs exercere se velle demonstrant: sed tergiuersabantur Iauani, dictitantes, piratas esse, & illos ipsos, qui nuper inde discesserint, intereà per mare volitâsse, iamque ad prædam faciendam egressos. Vt hac suspicione se purgarent Hollandi, Iauanū quendam primæ expeditione in Hollandiam inde abductum cum suorum nonnullis cum donis ad regem mittunt, cuius adhuc pueri tutelam gerebat Cephates quidam, magnę inter suos auctoritatis. Dona erant poculum argenteum, inauratum, cum operculo affabrè facto: multa vestis purpurea & serica, specula vitrea, inaurata, aliaque id genus mercimonia: cum quibus diplomata Ordinum, maximè verò Comitis Mauritij scripta, & magno eoq; pulcherrimo sigillo munita, exhibebant. Ea magna cum reuerentia & ab humi reptantibus accepta, per interpretem publicè fuēre perlecta. Dum ita Hollandi ad Bantam, rege consentiente, negociantur, reliquæ quinque naues, quæ ad INSVLAM Maurici-

um, vt diximus, subſtiterât, in eundum portum appellunt, & magna ſociorum lætitia excipiuntur. Et Iauani quidem magna in peregrinos vtebantur humanitate & beneficentia. Quotidie enim gallinas, oua, cocos, Bonanas, placentas ex oryza confectas, vinum Chinenſe apportabant, tantâ precij vilitate, vt cochleari ſtanneo victum hebdomadalem facilè quis ſibi parare poſſet. Multum tamen commodis ipſorum obfuit eius quem ſecum adduxerant & quo pro interprete vtebantur, Iauani Abdolis nomine, ſiue imprudentia ſiue malitia. Is enim ſuis ceterarum quinque nauium præſignificârat aduentum, addens, etiam alias nonnullas iã in procinctu eſſe. Ex quo factum eſt, vt Iauani mercibus ſuis multò maius dicerent preciũ. Principio enim quinquaginta quinque piperis libras tribus; inde quatuor thaleris imperialibus æſtimabant: numos tantùm argenteos in ore habebant, ceterarum mercium non valdè cupidi. Hollandis tàm carè emere recuſantibus; pollice & quatuor digitis ſublatis, Lima ingeminabant; quod ipſarũ lingua nauẽ denotat: innuentes ſcilicet, alias quinque venturus náues, ſeq; in tanta emptorum multitudine facilè precium quantum vellent, ablaturos. Coëmptis ad Bantam aromatis quatuor naues oneratæ, domum redire conſtituunt, ceteræ ad Moluccas contendunt. Quæ domum redierunt, quadringenta piperis, centum garyophyllorum pondo, ſiue vt nautæ vocant, onera portabant, præter magnam vim nucum myriſticarum, & macidis. Tã pſperè vero nauigârũt, vt nõ totis quindecim mẽſibus omne iter, qđ 8. millium eſt leucarum Germanicarũ, ſint emenſi. Nos his domi iam extra periculũ conſtitutis; cũ ceteris ad Moluccas nauigabim⁹

Anno 1599.

Quatuor naues domum reuertuntur.

& ſi

Anno 1599. & si quid fortè dignum cognitu, vel admirabilitate iucundum occurrerit, perlustrabimus. Iauæ, insulæ longè maximæ, littus legentes Hollandi, ad Tubam primùm, maritimum eiusdem insulæ oppidum appellunt. Ibi ad eos venit Lusitanus quidā apostata, qui abiecta Christiana religione, Mahumetanas superstitiones fuerat amplexus. Is, si tres aut quatuor menses ibi cōmorari vellēt Hollandi, spem faciebat fore, vt quantam naues caperent, copiam ibi aromatum consequantur. Est enim Tuba ijs locis emporium nō inamœnum, muris & portis, suo more factis, munitum. Regem habet, totius Iauæ potentissimū: vtpote qui si quādo bellum gerat, multa hominum millia in militiam educere potest. Singularem pompam & magnificentiam omnibus in rebus ostentat. Aulam eius magna sequitur nobilium multitudo: qui mercaturam exercent amplam & quæstuosam. Merces ipsorum sunt vestes sericæ, vndulatæ, & gossypinæ, sed in primis piper: quod in Baty insulam, nauibus vehunt, ibique pannis gossypinis, è quibus confectas vestes non Iauani tantùm, verùm etiam vicinarum omnium insularum cultores gestant, permutant. Vestes inde Bandam, Ternatem, & ad ceteras insulas mittunt, proque earum precio macidem, nuces myristicas, caryophylla, quæ Iaua non fert, domum reportant. Vulgus piscatu viuit, & pecudum prouentu, qui cōpiosus ijs locis. Medium corpus vmbilicotenus panno gossypino tegūt, superiori corporis parte nuda. Nobiles tunicis vtuntur vndulatis, aut holosericis, quibus admodū superbiunt, sed in primis curuo ad latus pugione. Qui illustri loco nati sunt, magno famulantium agmine stipantur. Omnes, quibus paulò res amplior, eques

Tuban oppidū Iauæ.

or, equos alunt: paruos illos quidem, si cum nostris comparentur, cruribus gracilibus, sed celeres admodum & expeditos. Ephippia ijs imponunt, ex holoserico, aut corio Hispaniensi pulcherrimè facta, nostris non absimilia, nisi quod posterior pars paullò est depressior: in quibus vndique draconũ & horribiles cacodæmonum effigies (quo ornatu maximè gaudent) expressæ & inauratæ cernuntur: Fræni lapillis candidissimis nitent: oreæ bullis argenteis, inauratis, aut æneis etiam, pro cuiusque opibus, exornantur. Equitandi artem optimè callent, eaque plurimum delectantur. Nonnunquam terni, aut quaterni, aut plures in campo vrbis subiecto equum in gyrum agendo, ad cursum admittendo, in medio cursu sistendo, & frangendo, laudis certamen proponunt. Hastis vtuntur è ligno leuibus, quas scitè tractant. In Indicis certaminibus vnus, hastam tenens intentam, alium præcurrentem veluti iam iam percussurus insequitur: quem vbi fuerit assecutus, hasta inclinata, quàm potest celerrimè calcaribus adacto equo, præteruehitur: hunc rursus alius insequitur, & præteruolat: nec facilè ludi finem faciunt, nisi lassis iam omnibus equis. Rex, donis acceptis, Hollandos comiter excepit, & commeatibus iuuit. Tubâ vicesimo quinto Ianuarij soluentes, triduo post ad Maduram insulam, anchoras iecerunt. Insula hæc Iauæ maioris lateri septemtrionali prætenditur, oryzæ prouentu admodum felix, quæ in solo adeò lacustri & limoso nascitur, vt bubali, quibus pro iumento vtuntur, crurum tenus aquis immergantur. Incolæ magnã partem præda viuunt: quam non à peregrinis tantùm, verùm etiã finitimis auferunt. Nauigijs paullò maioribus nullus est ad eam, ob breuia & arctas, adi-

Anno 1599.

Madura insula.

Anno 1599. nas,aditus.In hæc delati Hollandi,quum sine perito aliquo duce eluctandi inde, & reliquum etiam in Moluccas iter perficiendi spes nulla esset, suos diuidunt: Gelriam & Selandiam ad vicinum Iauæ oppidum,Iortam nomine mittunt,vnde Iauani, in Moluccas nauigaturi,plerumque soluunt,vt devia duce sibi prospicerent: Vltraiectina verò & Amstelredamum Arosbaiam versus quod est Maduræ ad occidentem oppidulum, dirigunt cursum. Iactis ibi anchoris, è suis quosdam in terram,mittunt,qui oryzam, & si quid aliud ibi alimoniæ reperiretur,emerent: quos vix egressos insulani inuadunt,& armis vestibusque spoliatos, in custodiam abducunt. Amiralius,quum diu suorum aduentum frustrà exspectâsset, tres alios nauiculæ impositos submittit,qui quid ceteris accidisset explorarent. Hos quoque statim oppressos eodem cum ceteris carcere includunt. Tandem multis precibus perfecerunt, vt Amiralium de ipsorum statu certiorem facere liceret:ità tamen vt nuncio perlato, continuò in custodiam redirent. AMIRALIVS hoc nuncio accepto, Iortâ ceteros euocat, vt coniunctis viribus & consilijs rationem aliquam sociorum liberandorum inirent. Primi dies aliquot litteris vltrò citroque mittendis consumpti. Insulani lytri loco duas maiores machinas cum instrumento, ad eas tractandas necessario, pannos aliquot laneos & holosericos, mille insuper Ioachimicos poscebant. Respondet Amiralius, si pecunia sibi & mercibus satisfieri patiantur, velle se cum ijs agere,machinas suas non esse, sed reipublicæ, nec eas sibi alienare licere. Insulanis quotidie magis magisque insolescentibus, nec vllas conditiones æquas admittentibus, Amiralius de suis vi liberan-

Hollandi capti.

berandis consilium capit, quos custodia tantùm circumdatos ea in scapha, qua vecti fuerant, asseruari existimabat. Quinto ergo Februarij die centū & quinquaginta viros armatos versus oppidum mittit. Ibi secundum maris litus ingentem insulanorum conspiciunt multitudinem, Lusitanis duobus ducibus; qui pacis insigne præferentes, HOLLANDOS ad colloquium euocârunt, ad rem omnem pacificè & amicè componendam: Verùm id fraudulenter ab eis fieri, ex hostili, quo tota vrbs feruebat, apparatu, facile erat colligere. Anno 1599.

Viginti ergò mosquetarij, exscensione facta, pugnæ dant initium, & insulanorum aliquot glandibus conficiunt. In nauem reuocati, ad terram propius accedunt, quum verò insulani, ex altera oppidi porta ad exitum intercludendum prorumperent: quibusdam è suis septi custodiam mandant, vt liber esset in portum exitus & accessus. Dum ita eminus pugnatur, & hinc glandium, illinc sagittarum densissimus cadit nimbus: exoritur ventus vehemens, simul vnda recedit. Quare HOLLANDI, omissa pugna, naues repetunt: ad quas dū per turbidum mare vehuntur, duabus euersis scaphis in quarum vna sexaginta tres, in altera tredecim erant, vectorum alij fluctibus abrepti, alij in litus delati, & ab insulanis ibi crudeliter occisi, perierūt ad viginti quinque: ceteris, deprecante apostata Tubano, qui huc vsque eos sequutus fuerat, vitæ gratia facta, eorumque genibus innixorum, capitibus terræ manipulus inspersus: quod signum est eos in gratiam receptos. *Madurensium cum Hollandis conflictus.*

Captiuos insulani mox in fossam quādā, duobus passuum millibus ab oppido distantē, detrudūt, nō-

Anno 1599. nullis compedes inijciunt, omnibus arctam custodiam apponunt: qui tandem omnes, duobus Ioachimicorum millibus persolutis, sunt dimissi. Receptis captiuis, Hollandi decimo sexto Februarij iter prosequuntur, & multas prætereuecti insulas, tertio Martij Amboynam perueniunt: quæ finitima est Moluccis, ad viginti quatuor miliaria Bandâ distans, ad occidentem hibernû. Ferax est caryophyllorum, malorum citriorum, medicorum, cannarum saccari, aliorumq; id genus aromatum, quorum tanta est vilitas, vt globulo stanneo octoginta vænierint mala Aurantia. Incolæ simplices sunt (rarum in ijs gentibus miraculum) hastis vtûtur ligneis, ferreo cuspide, eoque instar harpagônis incuruo, præfixo, quibus scitè vtuntur, tam certo & destinato ictu, vt quæ vel tres digitos lata tâgunt. Clipeos quoque gestant & gladios ad pugnâ: vulgus, cultrum ad opus. Naues habent nostrarum instar triremium non incommodè factas, quas mira celeritate circumagunt. Draconis plerisque effigies: cuius caput, prora; caudam, puppis repræsêtat: vtrimq; aplustria dependent, ad ornatum. Magna lætitia incolarum excepti, à rei maritimæ præfecto aduêtus caussam exponere iubentur. Mercatores se professis, qui negociandi caussa eò venerint, potestas in terram exeundi facta. Sequenti ergò die thalassiarchi Hollandici Legatus cum nonnullis egressus, honorificè excipitur, & in tentorium quoddam, è velis arborum ramis alligatis factum, deducitur. Post colloquium Hollandis domus, in quam merces suas inferrent, exstruêdæ permissa est potestas: quam mox pro præsenti copia exædificare cœperunt. Quum autem animaduerterent insulam tantum mercium, quâtum ad quatuor

Amboyna insula.

tuor naues onerandas requireretur, sufficere non posse: Selandia, & Gelria Bandā, de primorum cōmuni consilio, proficiscūtur. Die igitur Martij vndecimo, nauibus solutis, per multa breuia & syrtes in conspectum insulæ cuiusdam desertæ perueniunt. Indi Poelsetton appellant, eamque vehementer reformidant, vtpote quam cacodæmonum domicilium esse existimant. Si qua fortè tēpestate eò deferantur, velis remisque in fugam incumbunt. Hanc insulam dum prænauigant, deridiculo fuit Hollandis Indus homo, quem viæ ducem sibi adsciuerant. Is in prora stans, harpagone in nauim iniecto, magno veluti nisu cursum adiuuabat. Fessus, harpagonem ità ponit vt magna eius pars forās promineret: nec auferri eum prius inde sinebat, quam è conspectu inuisæ terræ esset peruentum. Malacia quum esset, per foros cursitabat, fistulans, ea, credo, Musica dæmones placaturus, siue animum sibi ipsi addens. Vnde quanta eorum hominum sit timiditas, quanta superstitio, cognoscere licet. Decimo quinto Martij Bandam appellunt, ex Moluccis celeberrimam insulam. Ea in tres insulas sparsa, ambitu suo vniuerso paullo plus quinque miliaria complectitur. Sex aut septem habet oppidula, inter quæ præcipuum Nera. Magnus hîc, aromatum præsertim, est mercatus. Nam & Iaua, & Malacca, & China magno numero confluunt mercatores; qui omnis generis merces inuehunt & exportant. Incolæ Mahumetani sunt plerique omnes: suæque religiónis, aut vt verius dicam, superstitionis cæremonias tàm accuratè obseruant, vt nec diuini nec humani quidquā prius auspicentur, quàm Deum suo more sint cōprecati. Templum ingressuri, pedes abluunt: in

Anno 1599.

Poelsetton insula.

Banda Moluccarum caput.

Incolarum religio.

Anno 1599. quem vsum pollubra aqua plena ante templa ipsorum collocata visuntur. Preces tanto cum clamore peragunt, vt vel procul exaudiantur, ter plerũque hæc verba ingeminantes; Stofferolla, Stofferolla, Ascehad an la, Ascehad an la, yll lolla, yll lolla, Machumed di c rossulla. vltimum verbum elocuti, vultum manu sibi permulcent: cumque ritum quàm superstitiosissimè obseruant. Alias enim precationes demurmurant, hoc modo: Terram veste aut culcitra consternunt, cui insistentes, ter aut quater oculis cœlum suspiciunt, mox in genua prolapsi, caput ter aut quater humi abijciunt, nec in templis tantùm, verùm etiam domi, immò in publico quoque hac superstitione vtuntur. Gens est collectitia, & variarum nationum veluti colluuies quædam. Publica negocia tractaturi, plerumque in templa aut syluas suum quisque pro se cibum apportant, cumque diem velut publico epulo exhibito, magno cum gaudio obeunt.

odia intestina. Tota insula in factiones est distracta, & intestinis laborat dissidijs. Nerani Labbetaquenses capitali odio prosequuntur, vt & Comberenses & Vayranos, etsi in eadem insula habitantes, à Neranorum partibus stant Lontorenses, & Polleruina & Puluaia duæ exiguæ ad fauces ingressus positæ insulæ. Nerani in bellum contra Labbetaquenses profecturi, socijs euocatis epulum publicè præbent. Vbi in publico omnes consederunt, loco mensæ folium arboris Bonanę collocatur: inde frustum panis, quem Sago appellant, cuique porrigitur, & vasculum ex arborum folio concinnatum. Ei oryza cocta inditur, cui ius carnium superfundunt. Hũc cibum, pecudum ritu, auidissimè simul & immundissimè vorant. Ceteris epulantibus, nobiles, in medium progressi, ludicra armorum certamina

exercent,& ad tympani pulsum, & æris tinnitum mirificos saltus edunt. Fessis alij atque alij succedunt,donec,epulo finito,quisque ad suam se recipit statione. Dissidium hoc diu iam durasse dicitur;eiusque prima semina inde nata, quod Labbetaquenses arbores quasdam in Neranorum solo succidissent.Hanc iniuriam dum vlciscuntur Nerani;tanto duæ hæ ciuitates in se mutuo exarserūt odio,vt altera alterius exitio immineat. Excubias noctu præsertim,diligentissimè agunt, tàm in oppidis, quàm in syluis; &,magna voce alter alterū inclamat,vt eò quisque sit vigilantior,ad diei vsq; exortum.Nauigia,quibus plerumque in bello vtuntur,hoc modò componunt:Ligna aptata, funibus colligant, intus ligneis retinaculis committunt,ita vt asserum iuncturæ benè coëant. Corticem arborum,ab ipsis Clappus nominatum, malleo contundunt quoad mollescit. Eo, stupæ non multum dissimili,commissuras inferciunt;deinde calcem illinunt, itá præparatam,vt aquæ vi non soluatur.In prora duas plerumq; machinas æneas collocant: quarum tractandarum vsum aliquem habent;sed magnum,ceterorum armorum. Galeas quoque gestant;&in ijs pro pluma,manucodiatam.Quibus lorica est,invulnerabiles se credunt. Quando naues in bellum educuntur, omnia hominum clamore atque vlulatu,tympanorum strepitu,æris tinnitu, armorū concussione circumsonant.Qui in foris stant nobiles,veluti imaginaria pugna,mira corporis agilitate modò huc, modò illuc feruntur:& quanto quis melius saltat, tantò fortior habetur.Ad nauium latera vtrimque pergulæ sunt,ex arundinibus confectæ, quibus mancipia insidentia ligneis batillis, remorum loco,

Anno 1599.

naues.

arma.

Anno 1599. naues propellunt. Bellorum magnũ habent vsum, in quibus nec ingenium ipsis deest ad excogitandum, nec animus ad audendum, nec robur ad perficiendum. Hostium occisorum capita, domi ad ostentationem propalàm suspensa, panno gossypino tandem detracta inuoluunt & lanci imposita & suffumigata humo mandant. Amicos mortuos, & in feretro positos mulieres circũsistentes quãta possunt vocis contentione inclamant, è somno veluti eos excitaturæ: quos vbi immotos iacere animaduertunt, epulum parant, suo more instructum, ad quod amici omnes, & reliqui funus comitati inuitantur. Sepulturæ hic est ritus. Funus albo sindone instratum, humeris ad sepulchrum ferunt: proximè viri, inde feminæ sequũtur. In sepulchrum eo illato, thuribulum affertur, totamq; eam diem ac noctem thus, acerra sepulchro imposita, incenditur. Mane & vesperi tàm nobiles quàm ignobiles ad demortui sepulchrũ preces demurmurant. Hollandis quid precarentur rogantibus, responderunt, Illud, ne mortuus resurgat. Etsi verò armorum exercitationibus vnicè delectantur; habent tamen & alia quædam exercitia non iniucunda. Pila cum primis scitissimè vtuntur, non eo quo nostri modo, sed longè diuerso. Lusuri, orbiculatim circumstant, vnus in medio consistit: inde quis pilam sphærica figura è vimine contextam in medium iacit, quam alius pedis pulsu exceptã, inde proximus quisque ferit, tantâ peritiâ, vt planè admirabile videatur. Quod si quis fortè à pilæ ictu aberret, vt ineptus ab omnibus ridetur. Nonnulli medio saltu, quidam etiam toto corpore circumacto pilam dexterrimè excutiunt. Et vt mira agilitate sunt præditi, ita quoque longæui sunt supra

Sepulturæ ritus.

Ludicra exercitatio.

pra

pra modum, adeò vt centesimum & trigesimum annum nonnulli excedant, pari cum ætate prudẽtia. Viri mulierum laboribus fruuntur: quæ totos dies domi desidentes, macidem, nuces odoratas folliculis eximunt, piper, caryophylla legũt. Hollandi mercibus in naues inportatis, domum Neræ incolis consentientibus, extruunt, & nonnullos è suis ibi relictos, præfecto eius loci, Sabanderem vocant, commendant. Inde Iauæ litus relegentes, in patriam salui & incolumes, post nouem mensium nauigationem, tandem appellunt. Nos ad reliquas duas naues quas ad Amboynam substitisse diximus, reuertimur: quæ Amboyna soluẽtes, Ternatem, Moluccarum vnam, contenderunt. Abest hæc insula à Banda duodeviginti miliaribus, aromatum quàm frugum feracior. Earum enim rerũ quæ ad alimoniam pertinent, exiguus ibi est prouentus: præter paucas capras & gallinas nulla habet pecora: nec oryzam fert, aut aliud frumentũ. Panem tamen habent, quem è ligno conficiũt hoc modo: Est ibi arboris genus, ligno molli & pœnè friabili. Succisam, in festucas secant. Segmẽta malleo tundunt: quæ soluta farinam præbent. Ex ea panem candidum pinsunt, palmæ magnitudine, forma quadrata: præcipuum insulanorum inter se mercimonium. Cocis abundat, Bonanæ floribus, malis, sed in primis caryophyllis. Incolæ comes sunt & humani, sed petaces: nec plebeij tantùm homines, verùm etiam rex, cum aulicis suis. Furtum tamen detestantur, in eoq; deprehẽsos acerrimè puniunt. Nam puerum quoque vix vndecim annos natum, quod duo aut tria Nicotianæ folia (Tubac vulgò) esset suffuratus, religatis in tergum manibus magno cum omniũ ludibrio, sed maximè pue-

Anno 1599.

Ternatæ insulæ situs

fructus.

Anno 1599. mè puerorum, cateruatim insequentium, & furem inclamantium, circumduxerunt, degentibus ibi Hollandis. Lusitanos capitali odio prosequuntur, & assiduum cum eis gerũt bellum. Ternatæ enim opposita Tidor iacet, insula quædam, in qua Lusitani habitant. Eam decimo quinto Iulij, anno 1549. ingressi, pagum quendam diripuerunt, tribus occisis, quadraginta duos captiuos fecerunt, inter quos regis Tidorensis frater erat. Adductus ad regem Ternatæ, & auditus, foras producitur, & ad flumen sistitur. Iubetur manus lauare. Inclinatum à tergo quidam accedens gladio ferit; mox alius accurrens medium secat. Corpus, inde intestinis propendentibus, naui alligatum, in mare subuexerunt, & fluctibus exposuerunt. Armis vtuntur, *Incolarum arma.* hastis è ligno vel arundine factis, quas celerrimè manu emissas contorquent; gladio lato admodum & quatuor pedes longo. Sclopos etiam habent, sed paucos, Lusitanis ereptos. Ecclipses solis aut lunæ *Superstitio:* maximè eis sunt formidabiles. Tum enim lugubri voce quiritantur, & ploratum edunt; regis sui vitæ metuentes: accidit vt sexto Augusti, hora octaua circiter vespertina, lunæ esset ecclipsis, hîc lamentari omnes, vociferari, precari, tympanũ, æs pulsare; omnes denique incredibilem mœrorem præ se ferre. Rogantibus Hollandis, Ecquid ità tristes essent, responderunt, Lunæ iam vultum obduci & condi: ideoque vereri se, ne ea res vel regi, vel primatum alicui mortem portendat. Vbi luna iã è terræ vmbra est eluctata, nihilque mali regi aut magnatibus accidit: diem festum & supplicationem indixerunt, hac pompa: Præcedebant quidam vasa Porcellana manibus protensis ferentes, sequebantur armati: inde tres daduchi: post hos adole-

dolescens,regali vestitu amictus; aute quem vmbella inaurata ferebatur. Pompam claudebant mulieres,suo more eleganter ornatæ. Narrantibus HOLLANDIS esse apud nos qui longo antè tempore eiusmodi ecclipses prospiciant & prædicant,fidem vix habuerunt,eosque,qui id facere possunt,diuinos homines dicebant. Piscatus etsi apud eos nō est valdè copiosus: varijs tamen, ijsque miris rationibus exercēt. Maioribus piscibus hac ratione insidiantur.Reti capiunt pisciculos quosdam minutos: deinde in anteriori nauis parte arundinem figunt in sublime erectam : per cuius fastigium perforatum funem traijciunt, è cuius extremo hamus dependet:paullo suprà folium aliquod latum arboris ventum excipit, quo funis in anteriora propellitur. PISCATOR, arundini adsidens pisciculos,quà hamus in aquam dependet, iacit: ad quos deglutiendos accurrentes thynni, alijque pisces maiores, hamum vnà vorant. Fiscellas quoque,quarum longè est alia quàm nostratium figura, in profundum demergunt. Post aliquod temporis spacium redeunt; & de scapha,an pisces in ijs sint,contemplantur.Vbi inesse animaduertunt,piscatorum aliquis in mare insilit,& fiscellam cum piscibus effert. Est enim ijs in locis aqua tam limpida, tamque perlucens, vt quæ in fundo eius ad multas orgyas altæ,iacēt, articulatè cernantur. Multus ibi est naualis apparatus,& varia nauium genera,triremes,onerariæ, præsidiariæ, oriæ, parones. REGIA triremis magnificè erat instructa, quum ad pompam, tum ad terrorem.A mancipijs agebatur, eo modo quē suprà in BANDAE descriptione explicauimus: quarum singuli telorum fasciculū altera tenebāt

Anno 1599.

Piscandi peritia.

Anno 1599. manu. In tabulato æneæ machinæ septem, multæque hastæ, nostris longiores, stabant infixæ. Post has lectus erat regius, inauratus, & peristromatis pulcherrimis constratus: è cuius sponda regis pēdebat armatura, tota rubro holoserico subducta.

Regis magnificentia. Rex modo in lectum se reclinare, modò adsidere, modò inambulare. Ei assiduè assidebat quidā flabello ventulum faciens. Statura corporis erat mediocri, capite crasso, nouitatis auidus, charus suis, potens. Ad septuaginta enim insulas sub imperio habere fertur. Mahumetanam colit superstitionē. Vix fama de Hollandorum ad insulam aduentu percrebuerat: conscensa naui aduehitur, per interpretes, qui essent, quam ob caussam venerint, rogat. Ab Hollādis vt nauim ingrederetur inuitatus, renuit, siue insidias veritus, siue regiæ dignitatis memor: sed cum magistro nauis ad se euocato aliquamdiu, interprete adhibito, collocutus, quū iā iam nauim ingressurus videretur, barbaro quodā fastu, apobathræ vilitatem caussabatur. Eam mox Hollandi panno obducunt, & reliqua ad eum excipiendum adornant. Dum hæc fiunt, aduesperascit. Valedicit ergo, & abit, quod cum sol adhuc luceret, sibi Deum comprecandum esse diceret. Sequenti mane naues viginti tres cogit, egregiè ornatas, cumque ijs eleganti ordine distributis ter Hollandorum naues circumuehitur, vectorum alijs canentibus, alijs timpanum, alijs æs pulsantibus, omnibus strepitum cientibus. Hollandi mirari, stupere, nec quid illud sibi vellet, satis explicare Metuentes ergò ne homines barbari gladiatorio animo ad se affectarent viam: armatos occultè collocant, ne qua fortè clades per imprudentiam acciperetur. Sed hunc eis honorem habitum, res postea

posteà declarauit. Sed ne tum quidem nauim ingressus, per interpretem omnia egit, & mercatus Hollandis fecit potestatem. Posteà cum ijs sæpè congressus, vnicè contendebat, vt quosdam è suis Hollandi ibi relinquerent: quod & impetrauit. Quinque enim remanserunt, cum puero: quibus rex domicilium assignauit, socij pecuniã & mercimonia dederunt, quibus intereà dum alteri redirent, garyophylla, aliasque merces exoticas coëmerent. Quid non lucri spes facit! quod sequuti, non tantùm ad extremos vsque Indos, per mare, per saxa, per ignes, currunt; verùm etiã inter Barbaras nationes, mille periculis expositi, habitare sustinent. Sublatis anchoris, Hollandi Bantam regrediuntur (lectorem hîc moneo vt benè distinguat inter Bantam & Bandam: quarum hæc insula est, caput Moluccarum; illa emporium Iauæ maioris celebre) ibique piperis, macidis, & garyophyllorum, quantam vellent, nacti copiam, tardius aliquantò, quàm ij quibuscum egressi fuerant, ideoque minore cum emolumento, in Hollandiã redierũt, multis perfuncti periculis & laboribus, quos omnes lucri spes leues reddebat.

Anno 1599.

Hollandi domum redeunt.

Octobri mense Vezir Bassa ingenti cum exercitu Budam venit, Tartarorum verò copias ad Pæstam considere iubet; vtque facilius castra coniũgere posset, Dambium ponte iungit. Omnibus hostilem impressionem metuentibus, Serdar Bassa, magnum pacis studium simulans ad Matthiam Archiducem Legatos mittit, qui de nostrorum voluntate cognoscerent. Eis Archidux Bohemum rerum Bellicarum Secretarium, cum alijs magnæ auctoritatis viris obuiam misit, cum his mandatis, vt quem locum pacis tractationi designarẽt Tur-

Pacis tractatio inter nostros & Turcas.

cæ

Anno 1599. cæ, exquirerent, & inducias intereà paciscerētur. Legato honorificè accepto, & liberaliter dimisso, Turcæ locum tractationis eligunt insulam quæ est inter Strigonium & Vicegradum. Eò Turcarū nomine venerunt Murathes, Bassa Budensis, cum Tartarorum Chami supremo militiæ magistro, Amathe Aga: nostrorum nomine quinto Octobris Strigonio ad prædictum locum descenderunt, Archiepiscopus Strigoniensis, Palfius, Nadastius, cum Doctore Pezio. Intereà dum de pace ibi tractatur, Tartari, excursione facta, Christianorum agros diripiunt & populantur. Nostris ea de re cōquerentibus respondent Turcæ: Id citra ipsorum fieri voluntatem. Tartaros hominum genus esse vagum & prædabundum, quibus non nisi cum ipsa vita prædandi animus eripi possit. Cœpta nihilominus tractatione Turcæ omnia loca munita superiori quinquennio à nostris occupata, inprimis Strigonium reddi sibi postulabant. Assentiūtur nostri, solo excepto Strigonio: cuius tamen restitutionem maximè vrgebant Turcæ, proque eo Agriam offerebant. Nostris verò in sententia persistentibus: Turcæ è suis aliquem ad Sardarem Bassam ablegant, qui ei omnia referret: cuius reditum, diutius à Bassa, quàm promissum erat, retenti nostri exspectandum sibi minimè censuerunt. Multis enim indicijs cognouerant, nihil aliud, quàm fraudem spectare Turcas, & soluto conuentu, insulam inuadere constituisse. Impositis ergo in naues TVRCARVM obsidibus, ceteri Strigonium proficiscuntur; Palfius cum prædatorum manu insulæ custodiendæ apponitur. Turcis obsides repetentibus responsum est, non prius id fore, nisi nostris remissis. Pacis ergò tractatione

omissa

o... ...aq; pars ad bellum se parat: quod vario euen... ...num fuit. Tartari imprimis, longè lateq; circa ...gonium populatione fusa, vltra decē hom... millia in miserrimam seruitutem abduxerunt: sed dum Morauiam peruagantur, à nostris intercepti, & in fugam compulsi sunt.

Anno 1599.

Andreas Bathorius à Vaiuoda caeditur.

Supra diximus, quemadmodum Andreas Bathorius Cardinalis, inuito Caesare, Transyluaniae dominatum arripuerit, & ad sui defensionem foedus cum Turca facere conatus sit. Ad eum reprimendum Michael Valachiae Vaiuoda, qui totus tum à Caesare pendebat, triginta hominum millia conduxit; & in Transyluaniam progressus, Cronstadium vi occupauit, vt Polonis iter praecluderet, quos metus erat, ne Cardinali opem ferrent. Inde Zeccleris in gratiam receptis, & in Caesaris verba adactis, Hermanopolim cum octodecim partim maioribus, partim minoribus machinis contēdit. In itinere ad eum venit Nuncius Apostolicus, Gogari Membarsio, & Moyse Zecclero comitatus, cū his mandatis: Caesarem velle, vt quam primum Transyluaniae finibus excedat, & vim omnem abstineat. Requirenti Vaiuodae Caesaris ea de re mādatum; id penes Bathoriū esse aiunt. Vaiuoda longè alia se mandata habere dicit, quibus non possit non parêre. Hic rursus deprecantem Nuncium vt saltim ea die quiesceret, hac spe, fore vt interea Cardinalis resipisceret, & ad saniora consilia rediret. Vaiuoda, omni actione abrupta, ad Cardinalem remittit, ipse cū exercitu consequitur, & mille circiter passus à Cardinalis castris cōsidet. Manè eū de quo diximus Nunciū ad se reuersū, Vaiuoda filio suo in custodiam tradit: inde fetialē ad Cardinalē mittit, qui diceret, Nō se venisse ad Christia-

num

Anno 1599. num fundendum sanguinem, cui libenter sit parsurus; sed quum Cæsari iuramentum dicere, & iniustè arreptum dominatum tradere recuset: nulla etiam necessitate coactus, Turcarum opes sollicitârit; ijs de caussis, nisi continuò se Cæsaris potestati permittat, cum armis se persecuturum. Cardinali imperata facere recusante: Vaiuoda aciem instruit, & ad hostem ducit. Cardinalis contrà, suas educit copias, in quibus supra viginti quinque hominum erant millia. Turpe enim sibi rebatur prælium detrectare, quum ab aduersa parte is esset dux, quem vt pecoribus pascendis magis idoneum, quàm aciei instruendæ, semper fuerat aspernatus. Vaiuoda voce præconis per vniuersum suũ exercitum edici iubet, vt quicumque ex aduersis castris ante pugnam transiret; aut in pugna se dederet, ei parceretur. Inito prælio, statim ad Vaiuodam victoria inclinauit, Bathorianis ad internecionem occisis. Inde Valachi Transyluanorum castra expugnant & diripiunt (in quibus multum prædæ repertum, & inter cetera machinæ quadraginta quinque) & Viseburgum profecti; magno ciuium gaudio & congratulatione excipiuntur: Vaiuoda post pugnam statim vias omnes obsidere iubet, & in omnes partes mittit qui Cardinalem è fuga retraherent. Interea Bathorius Istuan, Cardinalis agnatus, Clauseburgum, inde Hostam petit, & copias quantas potest contrahit; quas Vaiuodæ opponeret: sed præcipua ei spes erat in Polonis; quæ tamen citò ei fuit erepta, postquam Rex per vniuersum regnum edixit, ne quis contra Cæsarem arma ferret. Nemine ergo resistente, Vaiuoda Clauseburgum, mox Hostã per deditionẽ capit, vnde Istuan elapsus, Somblij posteà à Georgio Ba

sta

ſta fuit interceptus. Sola reſtabat Vinaria, præci- Anno 1599.
puum in ijs locis munimentum, magnoque præſi-
dio firmatum: quod & ipſum tamen, Bathorij Iſtu-
anis maximè operâ, ſine vllo labore fuit receptũ.
Tandem Cardinalem Bathorium Valachi, ad eum
perſequendum miſſi, in fuga cum ſeptem familia-
ribus trucidârunt, & caput ceruicibus abſciſſum,
lanceæque infixum, ad Vaiuodam retulêre qui cõ-
feſtim corpus perquiri & aſportari & Viſeburgi
magnifico ſepulchro, quod Cardinalis fratri ſuo,
Sigiſmũdi Bathorij iuſſu interfecto fecerat, inferri
iuſſit. Huius cædis famâ Sigiſmundus vehementer
fuit attonitus. Quare præſentibus non ſatis fidẽs,
fugam circumſpexit: quam dum adornat, equi e-
ius aliquot repentino incendio ambuſti, & duo
currus, cum mundo magni precij, cremati fuerũt.
Vaiuoda, tam breui tempore vniuerſa regione
potitus, Tranſyluanos in Cæſaris fidem recipit, &
ab eis viciſſim vt Cæſaris Legatus recipitur, hac
lege vt in Cæſaris ditionem ipſi concederent, Cæ-
ſar libertatem & priuilegia ipſorum ne impedi-
ret. Ita magna ad Cæſaris fortunas acceſſione factâ,
regione tam opulenta ad imperium adiecta, ma-
ioribus viribus bellum contra Turcas geri poſſe
videbatur: ſed Erynnis orco ꝓgreſſa, paullò poſt
iterum omnia miſcuit, dum Tranſiluani à fide
deſciſcunt, & Sigiſmundus armis amiſſum
Principatum recuperare tentat, vt infrà dice-
mus.

Etſi pacificationis, non ità pridem cœptæ, ſtu- *Excurſio-*
dium planè iam frixiſſe videbatur: res tamen in *nes variæ*
Tranſyluania Vaiuodæ & Georgij Baſtæ, ductu fe- *in Hunga-*
liciter geſta, aliam Turcarum exciuit legationem, *ria.*
annitente maximè Serdare Baſſa, qui è Portis re-

Anno 1599. uersus, Strigonium è suis aliquem misit, cum litteris Palfio inscriptis, in hanc sententiam: Cupere se scire quæ spes pacis esset, à qua si nostri abhorrerent, paratas sibi esse copias, quibus regionem omnem, Viennam vsque, peruadat, & depopuletur. Milites suos tanta Christianos persequendi cupiditate incensos, vt pontem ad Budam deijcere coactus sit. Quod si nostri quid suæ esset mentis non quàmprimum declararent: continere se militem non posse. Dispicerent ergo quid è re ipsorum esset: deque eo quod statuisset, sine vlla mora se facerent certiorē. Responsum ei datum est: Nō abnuere pacē Christianos, modò Turcæ omnes captiuos redderent, & Tartarorum quotidianas excursationes prohiberent, eius conficiendæ rationem aliquā iniri posse. Adhæc Serdar, denuò missis litteris & internuncijs, Captiuos quos in sua haberet potestate lubēter redditurum: sed vt Tartaris prædā & captiuos intercipiat, facere non posse. Quū ergo maxima captiuorum pars in Tartarorum esset potestate, deque eorum restitutione nulla spes esset: pacis iterum abiecta mentione, bellū recruduit. Nostri quidē, ductore Schuartzēbergio, Cesnecam primū, fuga præsidiariorū desertā; inde Laccā, metu ad deditionē coactā, tandē Palantvarā viribus expugnatam, occupârunt: à Capozuvara verò, frustrà obsessa, multis desideratis, recesserūt.

Albertus & Infans Louanij inauguratur. Albertus & Isabella, quum Bruxellæ aliquamdiu commorati essent, octauo Calendas Decēbris Louanium, quæ Brabantiæ metropolis antiquissima est, magna ciuium gratulatione ingrediuntur, & sequenti die, qui D. Catharinæ festus erat, Ordinibus solemne præstant, & ab ijsdem accipiunt iuramentum. Quæ omnia quibus cæremonijs sint peracta, quum peculiari libro perscriptum exstet,

nos hîc omittimus. Illud tamen tacitus nullo modo prætereire possum, quod ad serenissimorũ Principum laudem vel imprimis pertinere puto. Quidnam est, inquis? Quod ipsi (at qui Principes!) auditoria inire, & disputationibus interesse voluerũt. Rarum exemplum: & eò in his admirabilius, quod ad prouincias bellico tumultu perstrepentes, regendas venerunt: vbi quis locus Musis? sed est profectò: & eadem studiorum, quæ belli, est præses, Minerua: & parum prospera sunt arma foris, nisi consilium sit domi. Nec vero vnquam huius facti serenissimos Principes pœnitebit, tot saluberrimis præceptis, quæ ibi audierunt, instructos. Iacobus quidẽ Baius, Theologiæ Doctor, hâc ad eos habuit orationem: FAVSTVM, felix, fortunatumque Principatus auspicium religioni, serenissimis vestris Celsitudinibus, patriæ, vicinis, totique reipublicæ Christianæ, Academia, vnà cum clero Louaniensi, communibus publicisque votis comprecantur, Maximi Potentissimique PRINCIPES, iucundissimoque serenissimarum vestrarum Celsitudinum in hanc vrbem aduentui, exoptatissimæque inaugurationi, animis præ gaudio exsilientibus congratulantur. Deoque optimo maximo Christianæ religionis ritu gratias agunt: quod suo fauore saluos, incolumes, omnibusque numeris absolutos Principes Belgio dederit, qui longo plurimarum rerum vsu, omnia quæ ad reipublicæ gubernationem belli pacisque tempore necessaria sunt, perspecta habeant, quique ob singularem rerum gerendarum dexteritatem, prouinciarum, regnorum, Hispanicæque ipsius Monarchiæ habenas in parte direxerint, rebusque pace & bello gestis suo nomini celebrita-

Anno 1599.

Iacobi Baij ad eos oratio.

Anno 1599. tem apud mortales omnes comparauerint: quorū eximia in Deum pietas, rara ſapientia, in re militari virtus, in Adminiſtrãnda Republica, in omnique genere prudentia, incredibilis animi magnitudo, alacritas, temperantia, morum integritas, amor iuſtitiæ, innumeræque aliæ maximis Principibus dignæ virtutes, vt optimam vitæ pacatioris ſpem concipiamus, efficiunt, ſuadentque vt omnes credant, ſereniſſimas veſtras Celſitudines à Deo in Belgium deſtinatas, vt pace ocioque conſtitutis, feralia inteſtini belli mala depellant, ciuiumque diuulſos animos concordiæ glutino coadiurent, Belgioque priſcum decus & florem reſtituant. Ac præter excellentes illas virtutes quæ ab vſu, ſtudio, conſuetudine, iure quodam peculiari ſereniſſimarum Celſitudinum veſtrarum ſunt, etiã rei melioris ſpē ingerit clementię fama, quod Auguſtæ domi Auſtriacę familiare ac veluti hęreditarium ſit religionis Catholicæ tuendæ, paciſq; publicæ componendæ fouendæque ſtudium, quã noſtra memoria Germaniæ ciuilibus bellis profligatiſſimæ reſtituit inclitæ memoriæ auus ſereniſſimarum veſtrarum Celſitudinum, Ferdinandus; deinde ſartamtectam toto imperij ſui tempore conſeruauit piæ recordationis, Maximilianus pater, & poſt eum qui modò Imperij habenas temperat, Rudolfus, frater: plurimum quoque ad animorum concordiam fœliciter conciliandam gẽtilitiorum Principum reuerentia, ſplendor generis, maiorumque gloria conferet, qui multis ſeculis non ſolùm Belgio cum ſumma laude omniũq; gratia præfuerunt, ſed ampliſſima inſuper Hiſpaniarum, Germaniæ, Pannoniæ, Bohemiæ, Italiæ, aliarumque gentium regna, Imperiumque ipſum

Roma-

Romanum ſtrenuè moderati ſunt: nec Europa & Africa contenti, ius Imperij ſui terrâ marique vſque ad extrema occidentalium populorum; orientaliumque Indorum litora protulerunt, geſtarumque rerum amplitudine, nominiſque ſui gloria, orbem vniuerſum in ſui admirationem commouerunt: in tantaque rerum omnium felicitate proſperoque ſucceſſu, nunquam diuini numinis immemores, primamq; religionis curam ſemper habentes, Deum piè ſanctèque omni ſtudio coluerunt, Chriſtique Redemptoris nomen atque doctrinam vſque ad fines orbis terræ ſimul cum imperio ſuo propagârunt. Et pro Chriſti religione tuenda non ſolùm contra gentiles & barbaros, verùm etiam contra hæreticos & quoſcunque infideles armis conſtantiſſimè decertârunt, Iudæos, Saracenos, Mauros, Arrianos, Mahumetanos, Turcas, Huſſitas, Lutheranos, Caluiniſtas, ſimileſque humani generis labes: de quibus quot & quantas, ſæpè non abſque ingenti miraculo, victorias retulerint, prolixum foret recenſere. Si enim vnius tantùm potentiſſimi Monarchę (quo nullus ab orde condito regum latiùs imperauit) glorioſæ memoriæ, Philippi ſecundi, Hiſpaniarum regis Catholici sereniſſimarum Celſitudinum veſtrarum parentis, clementiſſimique Principis noſtri, magno ſui deſiderio bonis omnibus relicto, nuper defuncti, res præclarè geſtas cõmemorare ſaltim voluero; non ſolùm dies, ſed vox ipſa vireſque deficient. Is enim ſe ſuaque omnia, fortunas, ſtatum, ſceptra, vitam, & quidquid in hoc mũdo charum habuit, in diſcrimen adducere, bellaque ſumptu maximo ſuſtinere maluit, quàm in minimo ab auita pietate diſcedere, vel quàm religionem ab

Anno 1599.

Anno 1599. Apostolis,eorumque successoribus in Be'gio ab initio plantatam,contaminare, & qualé à suis maioribus longâ serie acceperat, incorruptam non conseruare; aut demũ quàm in patrimonij sui locis abominabili fornicationum matri, vt loquitur Apocalipsis,turpium errorum lupanar concedere.Quanta insuper cura,molestijs,& sumptu religionem Catholicam in Gallijs laborantem adiuuârit,tanquã recens cõpertissimumq; prætereo. Hic sanè vnus fuit qui in ruinam inclinantem Ecclesiam in Europa,suppositis antibus, sustentauit, quique fugientem à nobis veritatis doctrinam,inuictissimè retinuit,cuique post Deũ, incunctanter debemus, quod in Belgio,præsertimque Louanij, intrepidè sana doctrina semper tradita fuerit, & verus,purus,&antiquus Dei cultus inuiolatus steterit; cuius apud homines perpetua grataque erit memoria,merces in æternitate apud Deum. Si deniq; ad eiusdem incliti patris, Augustæ memoriæ, Caroli V.Imperatoris virtutes gestaq; perti ãsiero, labyrinthum ingrediar.Is enim Princeps iustissimus,fortissimus,& clemẽtissimus fuit,gestarũque rerũ gloria clarissimus,talis filij dignissim⁹ pater, frequẽtissimis,maximisq; in Africa & Europa victorijs nobilitatus, de Saracenis,Mauris, Turcis, Frãcis,nec nõ Germaniæ Principibus Lutheranis; quos profligauit,vicit,perdomuit, cepit. Cui⁹ pater inclitæ quoq; memoriæ Philippus I. florentissima Hispaniarũ regna matrimonio Ioãnæ,inuictissimi Ferdinandi Hispaniarũ regis Catholici filiæ, Belgio coniunxit:ac Maximilianus Austrius,Imperator,eiusdem parens, opulentissimas Belgarum ditiones coniugio Mariæ, nobilis Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis,filiæ,Austriacæ domui adiecit,

quæ

quæ nunc totius orbis clarissima, potentissimorumq; Principũ, Ducũ, Archiducũ, Regũ, Imperatorũ, orbisq; Monarcharũ antiquo stemmate splẽdẽs, nobis serenissimos Principes Albertũ, & Isabellã Clarã-Eugeniã, Deo ita prouidẽte, ad sui nominis immortalẽ gloriã, afflictissimiq; populi solamen procreauit ac dedit, qui & suarũ virtutũ, summæq; nobilitatis merito, venerationi cũctis esse debeat: de quibus iure cõfidimus, q̃ à maiorib⁹ suis omni virtutũ genere conspicuis, nõ sint degeneres futuri; quorũ vita optimi Principis effigiem cõtineat, posterisq; libri, doctoris & magistri loco deseruire queat. Nã heroicas virtutes quas viri sapiẽtes in Principib⁹ & Regib⁹ necessarias esse tradidêre, has in Austriacæ familiæ Principibus reperire licet, religionis obseruãtiã, pietatis zelũ, benignitatẽ, animi moderationẽ, æquitatẽ, reliquasq; optimo Principi necessarias virtutes, quales sunt, paterno amore subditos cõplecti, populorũ cõmoda potius quã sua sectari, homines, imaginẽ Dei gerentes in terris, exẽplo & auctoritate, præmio & pœna regere, ad veras virtutes cœlestẽq; patriã dirigere, seipsum in magna potestate vincere, suos alienosq; effrænatos impetus rectâ animi moderatione cohibere viros sapiẽtes, bonarũq; artiũ peritos libẽter audire, diligere, colere: ex ijsdẽ idoneos, qui nõn solũ præesse, sed etiam prodesse velint & possint, in Ecclesiarum Prælatos, in vrbium prouinciarũq; Præfectos, in Belli Duces, in Consiliarios, adiutoresq; alios deligere, qui Dei honorem publicũq; bonũ, hoc est, Rẽpublicã, pace ocioq; constitutis, florẽtẽ omnibusq; bonis affluẽtẽ reddere studeãt. Pacẽ verò & trãquillitatẽ rectus ordo Reipub. præstat, qui hoc exigit vt suo quidq; loco firmiter cõstituatur;

Anno 1599.

Anno 1599.

vt Deo suus cultus, Principi obedientia debita, legibus sua auctoritas, æquabilis omnibus iustitiæ administratio, Ecclesiasticis sua dignitas, Nobilibus suus honos, plebeijs & infimis suæ immunitates & priuilegia, delinquentibus pœnæ, benè merentibus præmia, ipsi denique Reipublicæ amplitudini quod suum est tribuatur: vtq; Princeps auctoritate sua obedientes singulos efficiat, subditisque tamquam sedulus pastor piusque pater cõsulat, publica damna, concussiones, oppressiones & iniustitias à Republica studiosè auertat, in id inuigilet, vt subditi benè, pie, iusteque viuant. Iustitia enim firmatur solium; regnumque de gente in gentem transfertur propter iniustitias, iniurias, contumelias, variosque dolos. Nam sine virtute nulla societas stabilis, infirmus est omnis Reipublicæ status. Dei enim timore sublato, vita hominum sceleribus & immanitate completur. Cumq; vnicus sit Deus zelotes, qui honorem suum alteri impendi, sponsamque suam adultero exponi vetat: Princeps Christianus vnam, sanctam, Catholicam Ecclesiam credens, vnicam quoque veram ad orthodoxam religionem teneat, illam summa vi tueatur, colat, ac defendat, Deique iniurias vindicare nullo humano metu negligat, illius diuini oraculi memor: Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum, & quicumque contemnunt me, erunt ignobiles. Non enim Christiano Principi sola pax temporalis (quam terrena ciuitas, Babylonia dicta, solummodò quærit) sufficere debet. Cum enim fidelis Princeps etiam regni Christi minister, Ecclesiæque filius sit, totis, & personæ propriæ, & auctoritatis publicæ viribus Christo inseruire tenetur, atque conniti vt eius subditi in

omni

omni pietate quietam & tranquillam vitam agãt, Dominoque in timore ac tremore seruiant, iuxta illud regij Vatis: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus & pereatis devia iusta: sicut (pro dolor) non paucos magistratus, Principes ac reges, qui seâ Romani Pontificis, summi Ecclesiæ, in terris militantis, capitis obedientia subtraxerunt, aut omninò, vel saltim per iufidelitatem, de via iustitię perijsse cernimus, secundum Isaiæ vaticinium: Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit. Seruit autem Princeps Christo, quando religionem Christianam contrà impios, sacrilegos, blasphemos, hæreticos, aliosve hostes Ecclesiæ, iustis legibus & armis tuetur: similiter quando templorum, monasteriorum vel collegiorum erectione, aut litterarum bonarumve artium promotione Dei cultum exornat & auget, aut sacerdotij clerique dignitatem propugnat, vel Ecclesię immunitatem, iura, bona, & priuilegiá conseruat. Quod sapienter ac piè Iustinianus Imperator attendens, Nos, inquit, omni prouidentia curam Ecclesiarum gerimus, per quas nostrum Imperium sustineri, & publicas res per Dei clemétiam & gratiam muniri credimus. In eãdemque sententiam Leo magnus Leoni Augusto scripsit: Debes incunctanter aduertere Regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam. Quod serenissimarum Celsitudinum vestrarum maiores piè sapienterque etiam expendentes, non solùm Ecclesiæ Clerique patroni, defensores & aduocati esse, ac dici voluerunt, sed iusiurandi vinculo sese

Anno 1599.

Anno 1599. insuper ad Ecclesiarum Clerique protectionem libenter obstrinxerunt: in quo serenissimæ vestræ Celsitudines eorum pietatem laudabiliter sunt imitatæ. Quorum sanè maiorum pium ac liberalem in Ecclesiam, Clerumque animũ contestantur plurima Belgij augustissima tẽpla, preciosissimaq; eis relicta ornamenta & iocalia, diuersaq; religiosorum monasteria, & Canonicorum studiosorũq; collegia, eorundem liberalitate fundata, opibusq; dotata: inter quę hoc ipsum est insigne D. Petri tẽplum, cuius turris suo hiatu Serenissimarũ vestrarum Cels. opem efflagitat. Nec aliunde hæc ipsa est Louaniensis Academia, singulare Belgij lumen & ornamentũ, Catholicæ fidei religionisq; orthodoxæ inuictissimum propugnaculum, nec non hominum doctrina & virtute præstantiũ, ciuilis etiã status & ordinis, totiusq; reip. seminariũ. Hanc enim Academiam Serenissimarum vestrarũ Cels. maiores, Catholicæ fidei perpetui vindices, ad pacis artes, in veræ pietatis ac iustitiæ cultu consistẽtes, instituerũt, varijsq; immunitatibus, priuilegijsq; ornârunt, eandẽq; singulari studio & amore cõplexi, non secus q̃ oculi sui pupillam curandã duxerunt, & ab omni bellorum iniuria tutã esse quidẽ voluissent, sed ita dispensante Deo, tristi continuoque multorũ annorũ bello flagrãte vniuerso Belgio, incredibilibus miserijs penè obruta fuit: ex quibus tandẽ diuini numinis misericordia ex parte liberata, spẽ reliquam salutis, post Deum, in Serenissimarũ vestrarum Cels. fauore collocat, non ambigens, quin quidquid ad eius restauratiõẽ & incrementũ pertinere videbitur, hoc Serenissimę vestrę Cels. benignè sint concessuræ: eoque magis, quod Augustissimæ domui Austriacæ Principibus innatum

tum sit, non solùm rem litterariam in precio habere, velleq; scire legere, scribere, Latineq; loqui; sed etiã scientissimos esse, atq; quaslibet bonas artes & scientias, ac viros omnes eruditos, incorruptisque moribus, vel egregijs ingenijs præditos, singulari amore cõplectimini etiã quod id promeruerit eiusdẽ Academiæ in hoc potissimum ciuili bello fidelitas, & in obsequiũ regiæ Catholicæ Maiest. perpetua cõstansq; deuotio; quã & in posterũ Serenissimis vestris Cels. pari animorum alacritate, Deo auxiliante, præstabit; & quidquid amoris, beneuoli animi, officij, obsequij, promptæq; obedientiæ à fidelissimis, addictissimis, integerrimisq; subditis exspectare licet, id omne Serenissimis vestris Cels. eiusdẽ Academiæ totiusq; Cleri Louaniensis nomine spondemus, offerimus, pollicemur; Deumq; ter optimum maximũ votis publicè priuatimque nuncupatis orare non intermittemus, quo pios & sublimes Serenissimarum vestrarum conatus secundet, populũ subdat, obedientemq; efficiat, rebelles potenter subijciat, de hostibus victoriam, pacẽ in diebus vestris donet, sapientes piosque hæredes suscitet, quibus terrenum hunc Principatum Serenissimæ vestræ Celsitudines relinquere valent, quando ad possidendum cœleste regnum easdem summus sempiternusque Rex euocabit: quem supplices exoremus, vt Serenissimis Principibus, Alberto & Isabellæ Claræ Eugeniæ dies super dies adijciat, eosdemq; suo afflatu cõsilioque instruat, virtute corroboret, præsidio sepiat, in omnique rerum discrimine, præsenti numine protegat, animi magnitudinem, fiduciã, inuictæq; virtutis robur & constantiam inspiret, omnique virtutum ornatu præstantes diuinosque efficiat, quo præclarum & difficile sibi commissum Principis munus,

Anno 1599.

Anno 1599. ex eiusdem summi regis voluntate, ad suam, subditorumque salutem exsequantur, diuinaque fulti ope rempublicam Belgicam diu saluam florentemque conseruent, donec ex hac fluxa mortalique vita ad beatam & immortalem translati, immarcescibilem gloriæ coronam accipere mereantur, quam ipsis & nobis concedat vnus & trinus Deus, in sæcula benedictus.

Postero die ijdem Principes aliam orationem, ab Vniuersitatis Rectore habitam non tantùm comiter audierunt; sed etiam disputationi publicæ interfuerunt. Hinc ad clarissimi viri Lipsij auditorium concesserunt, qui sumpto è loco Senecę, libro I. cap. III. argumento, docendo & orando egregia de Principis officio præcepta disseruit: quæ ideò adscribimus, vt lectoris animus à nostri styli nausea his veluti delicatioribus epulis recreetur; simul vt qui reipublicæ gubernacula tenent (si qui fortè hæc legent) officij sui admoneantur. Exorsum ergò hoc modo est mellifluum illud eloquentiæ flumen.

Iusti Lipsij ijsdē Principibus præsentibus, Dissertatio. Serenissimi & potentissimi Principes: Etsi fateor, haud planè rudem & tironem me esse in dicē do; tamen hic splendor vester, qui oculis meis inopinatus apparuit, & hic insolens consessus turbat me aliquid (non ego) sed & delectat. Sicut qui è tenebris & longo situ ad solem subitò educuntur, caligat ijs acies, & oculi præstringuntur: sic mihi euenit, & duo simul maxima sidera cum video, hunc SOLEM, vt ità dicam, & hanc LVNAM, hebescit nonnihil ingenij acies, & linguæ hæc promptitudo retardatur. Quid tamen est? Sicut idē ille Sol excitat mox & recreat, & innatâ suâ vi dat vigorem: sic mihi sentio ab aspectu Serenitatis ve-

stræ alacritatem infundi, & ijsdem, quibus terrebar, excitari. Itaq; parebo libens Serenitati vestræ, quę me voluit subitò & ex tempore pauca dicere: pauca certè erunt; & ideo excusata, quia subita & ex tempore. Non rècedam autem longè (nam & sic iussistis) à more lectionis solitæ: Annæum Senecā (æternum Hispaniæ decus) in manus sumam, & pauca eius verba, à Consessu & tempore hoc non aliena, cum bonâ veniâ vestrâ, PRINCIPES, cū bonâ gratiâ vestrâ, AVDITORES, explicabo. Ait I. De Clementia, c. III. Anno 1599.

» *Illius demum Principis magnitudo stabilis funda-*
» *ta, est, quem omnes tàm supra se esse, quàm pro se,*
» *sciunt: cuius curam excubare pro salute singulorum*
» *atq; vniuersorum cottidie experiuntur. Quo proce-*
» *dente, non tanquam malum aliquod aut noxium a-*
» *nimal è cubili prosilierit, diffugiunt: sed tanquam ad*
» *clarum & beneficū sidus certatim aduolant, obijcere*
» *se pro illo mucronibus insidiantiū paratissimi, & sub-*
» *sternere corpora sua, si per stragem illi humanam iter*
» *ad salutem sternendum sit.*

Pauca verba, vt solet ille scriptor, sed magnæ res inclusæ, & à me breuiter educendæ. Ait, Illius demum Principis magnitudinem stabilem esse.] Cuius? qui hæc faciet, quæ suggeret. Si quis ergo negligit? negat, & parum firmæ altitudini insistere eum putat. Sicut domus, cui fundamentum nō substernitur, caduca est: sic Princeps, cui non ista quæ iam addit: Quē omnes tam supra se esse.] Dignitas principis tangitur, & eminentia. quis autem eam nescit? Ille est imago & exemplar Dei in terris, rerum moderator & arbiter, in cuius manu positæ opes, dignitas, vita omnium nostrûm. Sicut anima corpori

Anno 1599. corpori præest, & animæ ratio: sic Princeps hâc populum regit, & eadem illa ratio ipsum. Tolles cadauer ac funus est hæc omnis multitudo: & vt Cyclops apud Homerum, amisso vnico oculo, huc illuc impingit, & denique ruit: sic ista moles populi sine lumine illo principatus. Ergo supra omnes eum meritò esse sciunt, & fatentur. quid amplius? Pro se esse.] O monitum eximium! ô in duobus verbis inclusum finem, munusque principatuum! Non præesse solùm Princeps, sed prodesse debet: nec sibi tantùm ciues datos, sed se etiam ciuibus arbitrari. Sicut sol ille (ne abeam ab hâc imagine) non lucet modò, sed fouet, vegetat, animat: sic verus ille populorum rector, in splendore suo commodat & iuuat. Moderatori reipub. (ait Cicero) beata ciuium vita proposita est, vt sit opibus ampla, copijs locuples, virtute instructa. Et Hadriani Principis laudata illa vox est: Ita se rempub. gesturum, vt sciret, rem populi, non suam esse. Sed quomodo hoc faciet, & eò veniet? addit noster: Curam eius excubare pro salute etiam singulorum.] Itáne excubare? vt nec noctes vacuæ exceptæque sint? nec noctes. Magna fortuna, magna seruitus est, ait quispiam: maximo cuique imperio maximam curam, atque adeò assiduam inesse: vos & animos vestros, SERENISSIMI, testor. Vt Palinurus ille in mari, non de die solùm gubernabat, sed ipsa nocte,

——clauumq; affixus & hærens
Nusquam amittebat, oculosq; sub astra tenebat:

tale in Principe, cuius curam excubare Seneca vult pro salute etiam singulorum] Quid tu ais? nec satis vniuersorum? Aio, inquit, & vt pater aliquis

in ma-

in magnâ familiâ, ad singulos animum atque oculos adijcit; ita verus Princeps. Philippus Macedo, inter laudatos olim reges, admonitus huius muneris sui à feminâ etiam fuit, quæ ipsum adiens, desiderium aliquod expositura, cùm reijceretur & negaret sibi vacare: animosè subiecit, Noli ergo imperare. Animosè inquam, sed verè: & rex agnouit, sed monitus à feminâ: ab ipso autem se Imperat. RVDOLFVS, ille dico, primus auctor & fons magnitudinis vestræ, à quo inclita gens AVSTRIACA per annos iam plus trecentos in hoc æuum floret, & in omne (ita voueo) florebit. Is cùm tenuiores aliquot homines, aditum ad eum captarent, & satellites aspernati hoc genus, reijcerent, animaduertit, & per DEVM, inquit (ipsa Annalium verba ponam) finite homines ad me venire: Non enim ideò Imperator sum, vt in arcula includar. Vocem inclitam, vocem auream, vocem verè AVSTRIAM! & in quâ hoc de curâ (quid enim melius addam?) concludam. Pergit noster: Quo procedente.] Fructus est, qui ad Principes manat, ex hoc munere suo & curâ. Quis ille? duplex Beneuolentiæ & Fidei, quam vtramq; subditi præstant. De illâ, Quo procedente, inquit, non tanquã malum aut noxium animal (tigris, lupus, serpens) è cubili prosilierit, diffugiunt: quod in Caligulâ Nerone, Domitiano aliquo obseruare licuit, qui nunquam è cubiculo, & ex illâ solitudine suâ in publicum prodibant, nisi vt solicitudinem, imò & solitudinem facerent: sed tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim aduolant] Ita sanè, aduolant, non accurrunt, certatim, non lentè, aut timidè; viæ, domus, oppida sũt angusta. Videtis ne, ô nostri Principes, tanq̃ ad clara & benefica duo

Anno 1599.

Anno 1599. sidera concurrimus : tanquam ad gemellos illos Castores respicimus ; in diuturna hac Belgica tempestate. Illi conspecti, nautas recreant ; illi, cũ nauibus insederunt,

——tumida æquora placant,
Collectásq; fugant nubes, solemq; reducunt:

ita vos qui insedistis, & corpore pressistis iam Belgicæ hanc nauim è bellorum fluctibus, ex insidiarum procellis, subducetis eam in portum. Atque hæc igitur Beneuolentia est. de Fide sequitur: Obijcere se pro illo mucronibus parati.] Quidni faciant? in vobis, vt dixi, viuimus: animam & spiritum hunc in animâ Principum ducimus : & meritò ergo pro ijs obiecturi ea, immò proiecturi. Ego, Serenissimi Principes, publicâ Belgarum voce & sensu vtraque hęc offero; Beneuolentiam, inquam & Fidem. & simul sine iactantiâ addo, duas in nobis notas siue insignia ab antiquo esse : Fortitùdinem, ac Fidem. Fortissimos Gallorum Belgas, Iulius Cæsar iam olim dixit: de Fide, idem, & Plutarchus, DEVOVERE Gallos (qui mos & Hispanis) corpora vitamque suam Principibus solere: id est, ita consecrare, vt cum viuis viuerent; pro ijs periclitarentur, morerentur, atque adeò cum ijs: nam superesse nefas erat. Magna fides ; & nescio an alibi gentium lecta vel audita. Sed iam desino, memor apud quos dicam : & quàm breues sermones non solùm apud Deum sæpe, sed apud Principes semper, grati decorique sint. Gratias tantùm ago, Athenæi huius & meo nomine, quos tam clarâ istâ luce perpetuum illustrâstis : in eo quoque imitati magnos illos Principes, vt Cn. Pompeium, qui è bello Mithridatico victor Rhodum veniens, singil-

ſingillatim omnium Profeſſorum ædes cirumiuit, iniuit,& faſces illos laureatos priuatorum ianuis ſubmiſit. Quid Tiberius Imperator in eadem vrbe circa ſcholas & auditoria Profeſſorum (Suetonij verba ſunt) aſſiduus fuit. Quid Claudius Imperator? Ille verò inopinatus ſæpè recitantibus interueniebat: quod vos ſereniſſimi, nunc feciſtis. Gratias igitur agimus,& voto eas claudimus: vt felicibus auſpicijs cœptum hoc imperium diuturnum ac ſtabile vobis, & ſtirpi veſtræ (ô Deus eam donet!) ſit, cum Dei ipſius, cum veſtrâ gloriâ, & publicâ Belgarum ſalute.

Anno 1599.

Louanio relicto, Duces Bruxellam repetunt, vnde, præſtito quoque ſollemni iuramento, Machliniam, inde Antuerpiam profecti, incredibili pompa vbique excepti & introducti ſunt: quam ſi quis cognoſcere cupiat, Ioannis Bochij librum ea de re ſcriptum (vnde nos quædam deſumpſimus) legat. Principio ſequentis anni ijdem Principes ceterarum Prouinciarum, Flandriæ, Arteſiæ, Hannoniæ, Valencænarũ, &c. gubernaculis ſollemniter ſunt inaugurati: omnium animis in certiſſimam ſpem pacis erectis, quæ tamen miſeros Belgas nondum reſpexit. Ad eam certè promouendam quum alias ſemper, tum hoc tempore magno ſtudio incubuit Rudolfus II. Imperator optimus, & prudentiſſimus; dato eius rei negocio illuſtribus viris, D. D. Salentino Iſenburgio, & Hermanno Manderſchito, Comitibus; quibus adiunxit Carolum Nucelium, cuius potiſſimùm opera ſuperiori tempore in rebus Belgicis vſus fuerat. Hi ſcriptis litteris ordines confederatos de Legatione ſua faciunt certiores, commeatumque poſtulant. Ordines ſcripto reſpondent: Quæ capita ipſorum Legationis ſint,

Cæſar pacem Belgicam tractat.

Ordinum reſponſio.

Anno 1599. iam se cognouisse; duo nimirum hæc, vt pacem vel inducias inter serenissimum Archiducem Albertum, & Belgas confederatos componant; deinde locorum, quæ Ordines in Imperij solo occupârũt restitutionem, & damnorum satisfactionem flagitent atque vrgeant. Ad primum quod attinet, reuocare se in memoriam Legatis, ea quæ Cæsari, Archiduci Ernesto, Electoribus Moguntino, & Saxoni, Archiepiscopo Salisburgensi, Comiti Palatino, Nuburgensi, Coloniensis & Norimbergensis ciuitatum, Daniæ & Poloniæ regum Legatis responderint; quorum exempla mittant: è quibus facilè diiudicatu sit, quid è præsẽtis capitis tractatione possit aut debeat sperari. Quod si quis existimet quum Belgicarum ditionum in Infantem translatione & eiusdem cum ALBERTO coniugio, tum morte HISPANIARVM regis diffidentię caussas esse sublatas, vehementer errare. Hinc enim Ordinibus multò grauiores & iustiores esse caussas omnem cum HISPANIS, ARCHIDVCE & INFANTE, qui toti ab Hispanis pendeant, respuendi actionem: qui quo animo sint & erga vnitas PROVINCIAS, & IMPERIVM ROMANVM, nuper quum edicto, tum multis crudeliter militum licentiâ patratis ostendisse.

Neque enim religioni tantùm exitium moliri, verùm etiam publicis Rerum publicarum constitutionibus & legibus: finitimorum quidem Principum imperia ita concussisse & perturbasse, vt mirum sit adhuc esse quosdam, qui vim tantam tamque iniustam depellere cunctentur: præsertim quum Admirans, rei bellicæ præfectus, vim deprecantibus, & promissorum admonentibus, apertè dix-

dixerit, Stare se ijs non posse, quod Dei & Regis semitium aliud requirant. Quod quid aliud sit, quàm omnes ludificare, & apertam in omnes spectare tyrannidem? Quin etiam Hispanos de Principum exercitu profligato, quasi re magna & præclara gesta, gloriari solere, idque se bona fide docere. Nolle se iam de occultis mandatis, quorum multa ad se permanârint, Hispaniarum regi à patre datis, quidquam commemorare: Archiducem quidem & Infantem totas in Hispanorum esse potestate, quũ ex multis alijs, tum ex ipso donationis textu esse manifestum. Huc enim pertinere de religione iuramentum, perpetuam substitutionẽ & successionem, tutelam, connubij necessitatem, nauigationis Indicæ interdictum, ceteraque donationis capita, quibus singulis pœna addita sit, amissi Principatus. Quare nunquam minorem fuisse spem pacis: cuius tractatio quàm infida sit, nuper se Anglorum reginæ exemplo didicisse, ad quam oppugnandam, durante pacis tractatione, HISPANORVM classis vndique fuerit contracta; sed quominus institutũ tenuerit, ab HOLLANDORVM classe impedita. Præterea tantam esse ARCHIDVCIS & INFANTIS arrogantiam, vt etiamsi intelligant, nihil iuris è vitiosâ illâ donatione in confœderatas prouincias sibi posse competere; earum tamen subditos, rebelles passim publicis scriptis proclament, eorumque actiones vt temerarias & iniustas criminentur. De altero illo existimare se, abundè & CAESAREAE MAIESTATI, & omnibus Imperij Statibus non verbis solùm, verùm etiam rèipsa satisfactum esse. Anno 1599.



Anno 1600.

MERCVRII GAL-LOBELGICI SVCCENTVRIATI

LIBER V.

IN QVO RES GESTAE AB ANNO M.DC. *vsque ad annum* M.DCI. *exponuntur.*



AD principium noui anni, qui Iubilæus fuit, Pontifex sella, ob podagræ dolores, in porticum Basilicę D. Petri delatus auream, vti vocant, portam aperit, tanta hominũ qui eò ex omnibus nationibus cõfluxerãt, multitudine, quantam vix quisquam Romæ antè visam meminerat; adeò vt Heluetij, Pontificij satellites, per confertam turbam viam ægrè facere possent. Nec verò ijs tantùm diebus, verùm etiam toto anno, tam frequens fuit Romæ eorum, qui peregrè, religionis caussa, è remotissimis quoque terrę partibus quotidie aduẽtabant, numerus, vt vix tecta ipsa hominum multitudini capiendæ sufficerẽt. Multa millia Põtificis liberalitate quotidiè alebãtur, quibus multi è Romana nobilitate præcipuè ministrabant. Triduo ante Pascha, qui tricesimus erat Martij dies, Pontifex, vt mos habet, è peregrinorum numero duodecim ad se euocatos, vestitu primùm spoliatos, candidis vestibus

Anni Iubilei auspicium.

Anno 1600. induit; inde considere iussis, pedes lauit, detersósque est deosculatus. Conuiuio lauto exceptis, nůmmum aureum & argenteum, in cuius vno latere Pontificis effigies & nomen, in altero porta & anni numerus erat expressus, singulis donauit, abeuntesque humaniter est prosecutus. Paschatis festo, & sequentibus aliquot diebus tantâ hominum frequentiâ quum templa ipsa, tum viæ omnes feruebant, vt plateę nimis angustę viderentur: in qua multi erant præcipuæ dignationis viri, atque adeò ipsius IMPERATORIS & aliorum regum Legati.

Vachtendōcum insidijs occupatum. Hyems fuit hoc anno rigidissima, adeò vt pleraque flumina glacie starent concreta, nec hominibus tantū, verùm etiam plaustris essent peruia. Hac vsus occasione Ludouicus Nassouius, Ordinibus militans, Vachtendoncum, Gelriæ oppidum suis per fossam glacie stantem immissis, capit. Præfectus, qui in arce erat, quum aliquamdiu se cum paucis, quos circa se habebat, defendisset, & hostes per fossam vndique cerneret irruentes; ac cepto vulnere, se arcemque dedere fuit coactus; quam, vt & oppidum, ordines præsidio & opere mirum in modum posteà communiuerunt.

Conflictus inter Belgas & Frāçogallas. Quantū periculi & mali verba vel temerè prolata, vel imprudenter scripta afferant; quum alias sæpè, tum hoc etiam tempore insigni exemplo est declaratum. In exercitu Batauorum inter ceteros militabat ex nobilitate Gallica, ætate & viribus ferox, dominus Briautęus; qui ob strenui militis acquisitam armis existimationem, turmam equitum ducebat. Eius in bellico hoc munere vicarius cum turmæ suæ parte in parem ferè equitum numerū, sub nobili item domino ANTONIO

Schets

Schets, de Grobbendonc, militantium, mense Nouembri superioris anni fortè inciderat. Dimicatũ fuit acriter Gallis cęsis fugatisque, prędictus vicarius in Grobbendoncanorum viuus venit potestatem: abductusque Siluamducis, de re infeliciter gesta litteris fecit certiorem turmæ ducem. Ille hunc suorum casum indignè se ferre, quorum virtuti tantum tribuebat, vt non modò viginti equites cædendis quadraginta eius turmæ, à qua victus erat, sufficere diceret, verùm etiam reipsa, data occasione, hoc demonstraturum se scripto asseueraret. Quod quum in manus vicarij turmę Grobbendoncanæ incidisset; eidem respondit, se nec caussæ pro qua militabat æquitati, nec contubernalium virtuti diffidere: non tamen suæ nationi, nec turmæ suæ præfecto, nec commilitonibus huiusmodi ignominiam velle inurere, vt tam disparis numeri conditione superior manus cum hoste suo conserat: sed si equitum suorum vires tantoperè cuperet explorare, pari se, quum vellet, numero dimicaturum. Missis igitur vltrò citroque per tubicines litteras, ac pugnæ die ac loco constituto, quum de armorum genere, quo in bello nũc vtimur, satis conuenisset: datis vtrimq; cautionibus de partis victricis securo ad suos reditu, viceni & bini è singulis turmis (sic enim conuenerat) in certamen descenderunt, dicto prius per Grobbendoncanos sacramento, se nemini, si victoriam Deus ipsis concesserit, post conflictum parsuros, sed ad vnum omnes vel deditioné facere cupiẽtes, præter tubicines, interempturos. Anno 1600.

Postero die, peracto sacro, & implorato Dei auxilio, factaque militari exhortatione, de tuenda nationis dignitate, ac integra turmæ

Anno 1600. existimatione, armorum virtute inter ceteras parta, ad aciem prouocatoriam contendunt: quæ quũ moraretur, ac spacio longiusculo à loco certamini dicto subsisteret, & admonita propius accedere recusaret; Gerardus Abrahami (id enim nomen erat Grobbendoncanæ turmæ legato) neq; loci opportunioris conditione motus, nec equorum recentium, quibus, suo exanimato, prouocator vteretur, rectâ in hostem suos duxit. Tum signo per tubicines dato tàm vehemens prima fuit impressio, vt viginti sex equi vtrimque sternerentur. GERARDVS ab ipso Briautæo deiectus, & plumbea glande ictus, cum fratre caderet. Prouocator, equo interfecto, in recentem à suis adiutus insilijt: itaque pugna vtrimque instaurata recruduit. Nec Gerardi & fratris eius morte, Grobbendoncanorum animi conciderunt, sed ad vindictã acriores sunt facti. Neque minor fuit Gallorum cum suo duce alacritas, qui secundo equo cæso, tertium suorum operâ integrum nactus est. Concursu deinde iterum facto, & inclinante ad Grobbendoncanos victoriâ (quod ex numero cæsorum animaduertere erat facile) puer quidam rusticus, qui cum alijs eminus spectantibus, vacuum sessore equum prehenderat, victoriæ nuncium Siluâducis afferebat. Quo audito, quum ciuis quidam maiora duo in muris tormenta, in lætitiæ signum, disploderet; Grobbendoncani de insidijs indicium à duce suo, ità enim dictum erat, fieri sibi existimantes, quum circumspicientes nihil periculi esse viderent, in hostiles reliquias ipsumque prouocatorem tanto impetu illati sunt, vt paucis fugâ elapsis, omnes cum turmę hostilis duce, qui letaliter licet saucius, grandi lytro vitam pacisci cona-

batur

batur, interfecerint, eiusque cæde manibus suorũ parentârint. Sunt qui huius pugnæ historiam aliter narrant, nos Ioannis Bochij fidem, vt & verba secuti sumus. In Briautæo certè tanta vis animi & corporis fuit, quanta vix in quoquam alio. A Mauricio Nassouio admonitus, ne in pugnam se contra hostem dignitate multò inferiorem demitteret, obsequi noluit: itaque in periculo, quod amauit, perijt. Ferunt inter sermones, quibus vitã precabatur, cuius essent victores nationis quæsiuisse: qui quum omnes Brabantos se esse respondissent, nationis fortitudinem admiratum collaudasse: illos porrò dixisse, se nullam in terris gentem pertimescere, & cum exteris militibus quibuscumq;, æquali modò sint numero, certamen inire paratos semper esse. Victores qui superfuerunt octodecim sed quatuor inter eos saucij, equi ipsorum sex, hostiles quatuor integri, Siluæducis cum gratulatione sunt excepti: quæ tamen admistum habuit dolorem, ob Gerardum desideratum, strenuũ, si quisquam alius, militem. Anno 1600.

Multis, ijsque maximis difficultatibus Albertus Archidux tota hac hyeme conflictatus fuit. Hac enim hostis vrgebat vigilantissimus, & magna agitans animo: illac milites, ob non soluta stipendia tumultuantes, imperium detrectabant: agricolæ & ciues à militibus miserè diuexati, luctu & querelis omnia complebant. Manus militum non exigua, Geldricis oppidis exclusa, Aumontium, Leodiensis ditionis vicum, occupauit, & operibus munijt: vnde quotidiè excurrentes, vicina loca omnia sibi tributaria fecerunt. Dum hi placantur; præsidiarij ad fanum S. Andreæ, in Bommelia insula relicti & ipsi tumultuantur, duces suos & tribunos exigunt, *Milites Archiducis tumultuantur.*

Anno 1600. potestati prius, velle se nihilominus, quam Hispaniarum regi & Alberto Archiduci, dedissent, fidē conseruare, nec aliud quærere, quàm stipendiorū solutionem. Mauricius, nequaquam hanc rei benè gerendæ occasionem amittendam sibi existimans, primo vere, Martij scilicet decimo octauo, Hagâ profectus, Dordracum venit; eodem die cōmeatus, & milites ducentis nauibus impositos, per Mosam aduersum subuehi iubet, & ad Creuecorā munimentum vicesimo primo eiusdem mensis exponit; & postridie, misso præcone, deditionem fieri postulat. Præsidiarij (quatuor signa pēditum erant, Valones omnes) rebellionis sibi conscij, & hostium in oppugnando diligentiam conspicati, partim diffidentiā, partim metu deditionem pacti sunt: & duo quidem signa Ordinibus sacramenta dixerunt; reliqua duo ad suos in castellum Santādreanum se receperunt. Hoc successu alacrior factus Mauricius, etsi aliena anni tempestate, Sātandreanum obsidere statuit, magnaque diligentia, eâ maximè parte, quę Brabantiā spectat, communitis castris, oppugnandi facit initium. Ceterùm quū per Vahalim multis cum periculis cōmeatus subueherētur, quod præsidiarij è castello vicino prętemauigantes vehementer infestarent: fossam quà Vahalis in sinum contra castellum curuatur, duci iubet; quæ inferius iterum cum Vahali commissa, militari ioco Crux S. Andreæ fuit appellata. Inde perforatis aggeribus, plana omnia inundata fuēre adeò vt aqua Siluamducis vsque stagnaret. Obseptis omnibus partim diluuio, partim hostili opere vijs: Hispani Barlotta, & Ludouico Velasco ductoribus, obsidionem soluere conabantur; sed re infeliciter tentata, retrocesserunt. Sed nec Siluædacen-

Creuecora deditur.

Santandreanum obsidetur.

ducenses, vt præsidiarijs animum adderent, nec hi, vt locum defenderent, quidquam omninò intentatum relinquebant. Valdè quidẽ hostis; sed multò magis aqua eos vrgebat, fluminibus hiberna niue supra modum auctis. Quare post propugnacula ceu cuniculi cauernis inclusi latebant, nuditate & algore confecti. Interea MAVRITIVS munitiones suas propius egerat, & ad assultum se comparabat: ad quem Præsidiarij tandem, omni auxiliorum spe, sed & pugnandi volũtate abiecta, internũciũ miserunt, cũ his postulatis: Tradituros se castellũ, si quinquies cẽtena aureorũ millia, quæ ipsis ab Archiduce stipendij nomine deberentur, Ordines numerarent. Oblata ipsis fuerut centũ & viginti quinque millia: quæ summa etsi nimis exigua videbatur, eo tamẽ quod præsens erat, vti maluerunt, quàm incerta sequi, præsertim quũ apud Archiducem rebellionis rationem reddendam sibi scirent. Et Mauricius, etsi castris suis ab hoste non multum metuebat; timebat tamẽ aquarum eluuionem, quæ si paullulum increuissent, periculũ erat, ne castra mouere, & tormenta aliò transferre cogeretur. His ergò conditionibus octauo Maij facta fuit deditio; I. vt ægri & vulnerati, quoad conualuerint in oppidũ aliquod confederatarũ prouinciarum reciperentur, ijsque rata pars singulis de prædicta argenti summa daretur. 2. Vt viduis ex prædicta summa donũ gratuitum tribueretur. III. vt omnes qui Ordinibus confederatis anteà militârunt, in gratiam reciperentur, nec debiti sui parte fraudarentur. 4. Vt quicumque discedere inde volent, recepto argento, saluus conductus ijs præstetur: qui verò manere voluerint, ne deteriori sint quàm ceteri ORDINVM milites condi-

Anno 1600.

Cõditiones deditionis.

Anno 1600. conditione. 5. Qui Creuecora Santandreanum venerunt ijs æque ac alijs satisfieret. 6. Vt nihil eorũ quæ hîc acta sunt, cuiquam exprobretur. 7. Militibus, interueniente Mauricij Principis consensu, fas sit octo è Valonum, & tres è Germanorum numero eligere sibi centuriones. 8. Omnes non milites in locum tutum sine vlla iniuria deducantur. 9. Qui sub Ordinibus stipendia facere volent, idem quod ceteri, iuramentum præstent, &c. Vndecimo Maij viritim sua cuique rata pars fuit distributa, scilicet centeni seni floreni: Mauricius, cum magna hominum multitudine, qui eò ad spectandum venerant, castellum ingressus, locique situm diligenter est contemplatus. Repertæ ibi sunt machinæ octodecim, sex & nonaginta vasa pulueris, aliquot globorum millia, copiosa omnis generis armatura, frumenti & polentæ magnus numerus. Ita ergò non toto menstruo spacio munimentum natura & arte tantùm non expugnabile in eorum, ad quos domandos erat exstructum, cõcessit potestatem. Sic vos non vobis nidificatis aues.

Comitia Ordinum Bruxellæ. Dum hæc ita geruntur, Archidux Albertus Ordinum omnium comitia habet Bruxellæ; sub finẽ Aprilis. Ibi ordinibus hæc mandata sunt exposita: Duas omninò esse vias, quarum alterutra necessariò ingredienda sit, pacis aut belli: Illam quidem multò esse commodiorem: nec dubitare se, quin pacem omnes exoptent; sed neminem magis, quã principes, qui & naturâ pacis cupidi sint, & nihil magis in voto habeant, quàm subditos in pace regere: cuius procurandæ si quam comminisci possint rationem, gratum fore Principibus, si ostendatur: qui parati semper sint errantes passis brachijs accipere, & corpori, vnde malorum hominum cõ-

silijs

filijs auulsi sint, & quod deterrimum est, pertinaciter in errore persistãt, rursus inserere. Quamuis autem in ijs adviam reducendis nihil ad summam diligentiam reliqui factum sit: nihil tamen aliud effectum, quàm vt ijdem multò facti sint arrogantiores. Bellum igitur necessariò gerendum esse: in eoque multas se habere prærogatiuas. Nam præterquam quod Deus summa vtatur erga omnes afflictas & iustas animas misericordia, in quo quidẽ statu ipsi iam versentur; multò etiam maiores sibi esse vires, si modò vti ijs velint. Subnixos enim esse potentissimæ monarchiæ Hispanicę opibus, cui immensi Peruanæ & Indiarum pateant thesauri: regemque fratrem non minore, quàm pater olim, liberalitate sororem suam dilectissimam prosecuturum, certam spem esse. Ceterùm omnes belli sumptus ab Hispania exspectari nec posse, nec debere; sed vt seipsos his malis expediant, planè opus esse; eoque conuentum hunc indictum, vt deliberaretur, vnde in bellum sumptus tantisper suppeditari queant, quoad pax tandem diuina ope cõstituetur. Ex Hispanijs ducena quingena scutatorum millia mẽstrua esse decreta: quod amplius eo necessarium fuerit, è Prouinciarum opibus supplendum. Hoc omne argentum quomodo ad Prouinciarum vtilitatem quàm commodissimè conferri queat, vt militaris disciplina restituatur, & omnibus perturbationibus & vulneribus reipublicæ medicina afferatur, Ordinum esse dispicere. Illud quoque ad eorundem curam pertinere, vt præsidijs stipendia soluantur, & loca finitima cõtra hostium insidias & iniurias firmentur. Prætereà non ignorare Ordines, id cuique vnde viuat minimè esse denegandum; neque hoc tantùm ad

Anno 1600.

prima-

Anno 1600. priuatos, sed Principes quoque attinere. Dominium enim Principum esse patrimonium, de quo superiores Burgundiæ Duces, Principum prædecessores, sumptus fecerint: sed adiunctis ad Belgicas prouincias Hispaniæ regno, Principes ad tantas opes fuisse prouectos, vt frustrà & reditus omnes, qui sibi suæque familiæ sustentandæ debebantur, vltrò in bellũ contulerint: vnde hæreditaria ipsorum bona debitis ita aggrauata sint, vt vix pensionibus soluendis sufficiant. Hoc ergò in primis Ordinibus esse considerandum, qui naturæ lege debita ipsorum nomine contracta, exsoluere teneantur: quò Principibus ad necessarios sumptus facultates suppetant. Excogitarent ergò rationem aliquam, qua nomina facta dispungi possent; aut ea quam Archidux præscripturus esset, vterentur. Interea sumptus ab ipsis Principes requirere necessarios. His rebus omnibus procuratis, fore vt miles in officio contineatur, & turbis cõpositis, querelis omnibus, quæ frequentissimæ, nõ sine magno ipsorum Principum & omnium bonorũ molestia, in dies pœnè singulos deferuntur, occurratur.

Turcica Legatio ad Valachum. Ad Michaelem Vaiuodam Transyluaniæ, qui bellum, vt diximus, Cęsaris nomine feliciter contra Batorium Cardinalem administrauerat, Turcicus hoc tempore venit Legatus, qui eum à Cæsaris societate auerteret, & ad Turcicum fedus inuitaret. Vaiuoda verbis quidem Cæsareis procuratoribus fidem omnem & constantiam pollicebatur: *Valachi postulata à Cæsare.* sed quum indies Transyluaniam magis magisque amet, vt ea prouincia iure hęreditario sibi suoque filio cum Varadino, Husta, Nagbania, & exteriorbus Vngariæ partibus, traderetur, postulabat. Secundò, vt omnia bona & dignitates, quibus Sigismun-

gismundus Batorius à Cęsarea Maiestate fuerat af- Anno fectus, sibi quoque tribuerentur: præterea subsidio 1600. pecuniario, ad conducendos milites, iuuaretur. Tertiò vt Cæsarea Maiestas, ceterique Christiani Principes fidem suam interponerent, fore vt ex hostium potestate si fortè in eam incideret, liberetur, aut si fortè Valachia aut Transyluania pelleretur, annui centeni milleni aurei sibi numerentur: addens, omninò sperare se, Cæsarem non modò quæ iam occupasset Transyluaniæ loca sibi non erepturũ, sed etiam reliqua ad Tibiscum vsque fluuium suæ potestati & curæ, pro opera benè & fideliter nauata, permissurum. His postulatis si Cæsar consentiat; tot tantasque res suo milite eo adhuc anno gesturum, quantas antehac nemo: & si tanti quanti in superiori Vngaria fierent sumptus sibi suppeditarentur; omnem regionem à mari Caspio Budam, Albam regalem, & Solnacum vsque Cæsaris imperio subiecturum. Multos hæc ambitiosi hominis arrogantia offendit, & suspicionum caussas præbuit: in primis Georgius Basta, vir militari prudentia præditus, litteris Cæsarem commonefecit, ne Vaiuodæ fideret, quem noua consilia moliri, è multis reb' perspexisset. Hinc odij inter Vaiuodam & Bastam prima semina exstiterunt, nec nisi cum alterius morte, vt infrà exponemus, extincta sunt. Ei de qua diximus, Turcicæ Legationi Vaiuoda cũ equitatu omnibus rebus ornatissimo ad medium miliare obuiam processit: cuius caput fuit Huraianus Aga vir venerabili canicie. Quum *Valachus* iam haut procul abessent: ambo ex equis desiliunt *quomodo* & vbi humanissimè alter alterũ esset cõplex' Tur- *Turcicos* ci' Legat' gladiũ Persicũ Vaiuodæ lateri detrahit, *exceperit* & eidẽ aliũ, auro & gemmis coruscãtẽ, tradit, cum *Legatos* multis alijs donis, inter quæ nigræ erãt ardearũ &

Anno 1600. gruum plumæ, pileorum ornamenta, vexilla duo rubri coloris, equi septem, generosus falco, cum exquisitissimo ornatu: quæ Vaiuodæ præferebantur, cui Legatus sinistrum claudebat latus. Ita per medios vtrimque stantis peditatus ordines, Cronstadium ingressi, magno tormentorum tonitru fuêre excepti. Cæsaris procuratores, qui sex iam menses apud ipsum substiterãt, ad se vocatos Vaiuoda monet, ne his rebus moueantur, neúe propterea quasi ad Turcicam propenderet amicitiam, apud Cęsaream Maiestatem in suspicionem se adducant: Facturum se nihilominus, quæ æquum esset facere; honorem quidem, quẽ Legatis haberet, non posse non præstare, nisi humanitatis omnis expers iudicari velit: dent etiam operam vt Georgio Bastæ, quem multis de caussis oderit, alius substituatur, ne fortè priuatæ simultates publicis obstent emolumentis. Cæsareani quamuis Vaiuodæ verbis minus quàm factis fidei haberent, dissimulant tamen: & tum quidem supra triginta aureorũ millia Cæsaris nomine repræsentant; quæ tamen Vaiuodæ minus grata videbantur.

Valachus Batorium & Moldauũ profligat.

Interea Sigismundus Batorius cũ Ieremia Moldauiæ Vaiuoda, mediocrem è Moldauis, Polonis, Turcis & Scitis confecerat exercitum, in omnia rerum gerendarum momenta intentus. Valachus hac de re certior factus hostem præueniendum statuens, suas copias omnes in quibus supra quinquaginta millia virorum erant in Moldauiam per altissimorum montium augustias & fauces ducit, quo qdẽ in itinere etsi ab hoste nihil fuit periculi aut damni, valdè tamen exercitus pabuli & alimoniæ inopia fuit conflictatus, adeò vt nonnulli arborum folijs pro cibo sint vsi. Sigismundus Batorius &

us & Moldauus, Valachi viribus perterriti, Moldauia relicta, Poloniæ fines petunt, vt ibi auctis copijs, hosti maiori cum spe posteà occurrerent. Et Moldauus quidem de auxilijs Turcam vehementer sollicitabat: sed pecuniæ nihil consecutus est, copijs tamen adiutus. Moldauiam Ieremiæ fugâ desertam Valachus statim occupauit: idque eò ei fuit facilius quod Moldaui plerique omnes Ieremiam pessimè odissent, & quemcumque dominum, quàm ipsum, mallent. Nam exactionibus eos supra modum grauârat, indicto in singula etiam vilissima capita tributi nomine, menstruo aureo: & quæcũque corraserat, in Poloniã, suis viribus, vt & suorũ fidei diffisus, mittebat. Valachus loca omnia occupata in Cæsaris, suam & filij sui fidem adegit: nec diu moratus, hostem, vbicumque esset, quærere decreuit. Consederat is ad fluuium Istrum, haut procul ab Ortuno castello, cum triginta millium virorum exercitu. Diu pugnatũ fuit acerrimè, & vtrimque multi ceciderunt: sed tandem victoria ad Valachum inclinauit. E Valachis duo, è Moldauis octo millia fuerunt desiderata, præter eos qui in fluuio perierunt. Valachus victoriâ potitus, Moldauiam omnem subegit: eique Cæsaris nomine gubernandæ filium suum, cum parte exercitus præfecit: ipse cum reliquis Cosacorum, Rasciorum, & Valonum copijs, in Transyluaniam redijt. Et quia acceperat Ioannem Zamosciunm, magnum Poloniæ Cãcellarium, nouum in Polonia & Prussia conscribere militem, eo consilio, vt non solùm Batorium restitueret, verùm etiam Moldauiam veteri Polonorũ imperio rursus adijceret: Cæsarei exercitus qui in superiori Vngaria est, ducem admonuit, paratas semper haberet copias, quò si quid hostis tenta-

Anno 1600.

Anno 1600. ret, ei statim occurri possit. Venerat tum Legatus à Cæsare, Doctor Pezius, cum aliqua pecuniæ summa, quæ Sacmariæ, quod itinera minus tuta essent, fuit relicta. Cum eo collocutus Vaiuoda: Quod si, inquit, Cęsar fratrum suorum aliquem ad hęc loca cum imperio mittere velit, equidem paratus sum confestim decedere; sin autem, planè confido Cæsarem mei rationem habiturum, vtpotè qui nullum laborem, nullum capitis discrimen subterfugerim, dum horum locorum imperium Cæsari acquiro. Et Cæsar quidem, ceterique Christiani Principes, si auxilio suo mihi non deerũt: promitto, omnia me consilia, omnes conatus ad frangendas Turcarum vires, & stabiliendam rem Christianam conuersurum. Sed Valachi oratio minus æquis auribus fuit accepta, quod homini barbaro & versipelli, & qui plerumque ex euentu sua consilia moderaretur, Cæsar minimè fidendũ statueret. Iussus Transylvaniæ imperio cedere, & Georgio Bastæ interim parêre, dum Cęsari aliud videretur, pertinaciter recusauit: inde Transyluanos proceres, partim nullis, partim leuibus de caussis acerbissimis quæstionibus subiecit, & excarnificauit: ex eaque re tantum populi odium collegit, vt etiam intimi ab eo deficerent: inter quos fuit Moyses Sæcalus, cuius ductu anteà in rebus bellicis administrandis fuerat vsus. Sic ergò maximis in angustijs Valachus sua culpâ versabatur; hostibus vndiq; cinctus. Nam & à Turcis & Scythis metus erat, maximè verò Polonos reformidabat, qui maximo numero aduentare dicebantur: & Batorius & Moldauus eidem insidiabantur: nec verò domi cui satis fideret habebat. Basta hanc occasionem accipiens, exercitum magna celeritate è vicinæ Vngariæ finibus quantũ potest cõtraxit

Valachi crudelitas.

traxit

traxit, vt sponte parêre recusantem vi cogeret. Ei Clauseburgum profecto Transyluaniæ Ordines frequentes occurrerunt, & auxilium polliciti, Cæsaris nomine fidem dederunt. Valachus ad Visseburgum castra habebat, cum exercitu octodecim millium virorum: cum quo hostem omninò exspectādum censuit: sed à Basta oppressus, in fugam abijt, quatuor millibus suorum desideratis, & in locis montanis, quæ Valachiam à Transyluania determinant, consedit. Hîc quoq; eum alia oppressit calamitas. Batorius enim & Moldauus, collectis interim copijs, reliquias exercitus, quas Vaiuoda secū habebat, aggressi, conficiunt: & in summum discrimen adductum retroagunt. Valachus qui omnia infesta sibi videret; Cæsaris clementiam & gratiam implorauit, commeatumque petijt, vt ab omnibus suspicionibus se purgaret: & ne qua diffidētiæ causa relinqueretur, vxorem cum omni suo thesauro, obsidum loco obtulit. Cæsar, parcere subiectis & debellare superbos paratus, Georgio Bastę scripsit, vt Valacho nō tantū iter tutū præberet, verùm etiā auxilio iuuaret, belliq; à Batorio & Moldauo illatū defenderet. Valachus sub finem anni præsentis, cū septuaginta equitibus Viennam venit, & à Matthia Archiduce magnificè fuit exceptus. Hic eum Cæsar per internuncium subsistere iussit, quoad Pragum euocaretur. Interim Basta comitia habet, in quibus decreta fuit ad Cæsarem Legatio. Transyluani enim non nisi certis quibusdam conditionibus Cæsaris imperio subijcere se volebant: & nisi Legati quæ vellent à Cæsare impetrâssent, Turcarum opibus & patrocinio vsuros, præ se ferebāt. Vt ergò motus omnes præuenirentur, Cæsar fratri Maximiliano summam rerum Trāsyluanicarū administrationem

Anno 1600.

Georgius Basta Transyluaniam occupat Cæsaris nomine.

*Anno 1600.

tionem defert: qui tamen, quod Transyluanis minus fideret, se excusauit. Quare noua quotidie in consultationes proponebantur. Valachi quoque quos Poloni oppresserant, ad Georgiũ Bastam mittunt, qui se suaque in Cæsaris potestate futuros dicerent, & vel Michaelem Vaiuodam, cui hactenus paruerant, vel alium quemcumque ducem postularent. Eum enim qui iam ipsis præesset (is Ieremiæ Moldaui frater erat, à magno Poloniæ Cancellario Valachis impositus) se ferre nec velle, nec posse. Quis harum rerum omnium fuerit exitus, inferiùs à nobis commemorabitur.

Pappensium præsidiariorũ perfidia.

Rem Christianam hoc tempore non tam hostiũ vires, quàm nostrorum perfidia vehementer afflixit. Pappam, Vngariæ propugnaculum, mille ducenti circiter, Valones & Galli plerique omnes, præsidio tenebant. Quum serius aliquantò stipendia soluerentur, nec alimoniæ magna esset copia; tumultuari cœperunt: quumque id agi animaduerterent, vt inde abductis ipsis, nouum præsidiũ submitteretur, cum Turcis egerunt, vt certa pecuniæ summa sibi numeraretur, ipsiq; tradito loco, in tuta deducerentur. Spem quoque faciunt, se ductorem suum Schuartzenbergium, qui ad comprimendam seditionem cum magna vi pecuniæ propediem venturus ferebatur, intra oppidũ recepturos, eisque posteà tradituros: aut si id minus Turcis placeret: ad Zesneccam iter obsiderent; nec de consilij euentu dubitarent. Post hanc tractationem tribunos & cẽturiones omnes officio deiecerunt, & è suorum numero quendam Lamottam ducem sibi constituerunt: Michaëlem Marotum, loci præfectum, cum omni familia, in vincula coniecerunt, & nisi quam primum lytron, quod ipsi dixerant, persoluerer;

Tur-

Turcis in seruitutem cum suis omnibus ipsum dedituros, interminati. Mox Turcas captiuos liberant, & præfecti ipsius armis vestibusque exornatos Albam regalem remittunt: domibus omnibus direptis, prædam vnum in locum comportant, vexillũ Cæsareanum Turcis tradunt: ac tandem post multas vltrò citroque actiones, proditionis precium paciscuntur. Turcæ fraudẽ subesse suspicati, primũ cunctantius agebant: sed tot manifestæ defectionis signis se prodentibus, occasioni minimè defuerũt. Ne tamen damnum aliquod nimia credulitate acciperent: copias confirmãr, vt si fortè nostri eos insidijs aggrederentur, auxilia in promptu haberent. Schuartzenbergius, assumptis duobus equitum & peditum millibus, Pappam versus proficiscitur: quumque iam duobus miliaribus abesset, viginti quatuor equites præmittit, qui monerent præsidiarios, vt ad officium redirent, spemq́; facerent, fore vt propediem quidquid stipendiorũ nomine ipsis debebatur, omne persolueretur. Hos Pappenses cõuicijs & ludibrio exceptos abegerunt: nec quidquã propius fuit, quàm vt eosdem inuaderent & discerperent. Sic ergò Schuartzenbergius, hac spe destitutus, simul aquarum eluuione progredi prohibitus, Iaurinum retrocessit. Inter Pappenses perfidos intereà maxima dissidia extiterunt: adeò vt ad manus fuerit peruentum, & passim multæ cædes perpetratæ. Caussa erat, quod nonnulli deditioni minimè assentiebantur; nõ quod fidem nostris seruare vellent, sed quod proditionis merces nondum tota esset repræsentata. Huius admonitus Schuarszenbergius Scharpfenstæuum vicesimo secundo Iunij, cũ multo instrumento militari, & tribus peditum millibus præmittit, & fortunã experiri iubet. Eos perfidi

Anno 1600.

Anno 1600. fidi muris succedere patiuntur, quasi abiecto propugnandi consilio: vltrò etiam, vt accederent, hortantur: Stare enim se cum ipsis; & libenter intra oppidum recepturos: sed mox scalis deiectis, quoscumque possunt commilitones suos & populares interficiunt; exprobrantes, quod hanc fortunam Germanis praeriperent, seque primos periculis obijcerent. Nostris ità repulsis; Turcicos frumentatores intromittunt: & plaustris exoneratis Christianos captiuos, cum magna imbellis aetatis & sexus turba imponunt, & Vesprimum Albamque regalem (ô scelus! ô inauditam perfidiam!) abduci curant. Interea Marotus, quem suprà diximus à perfidis in vincula coniectum, occultis nuncijs Schuartzenbergium monet, vt quandoquidē perfidis praesidiarijs non satis inter se conueniret, occasioni minimè deesset; & si strategemate non posset, vi oppugnaret: simul locum commonstrat contra vim non satis firmum, per quem facile aditus aperiri posset. Schuartzenbergius duodecimo Iulij cum nouem millibus ad Pappam castra ponit; & tormentis dispositis, magna vi muros concutit. Perfidi, aliquoties eruptione tentata, semper cum damno sunt repulsi: vno è centurioribus ipsorum capto, cutis viuo fuit detracta, & cum capite infixo ę lancea suspensa, & ad terrorem publicè praesidiariorum oculis exposita. Vicesimo sexto Iulij nostri molam ad Pappam expugnant, licet acerrimè eam defenderēt perfidi, quod per eam quouis tempore magnum praesidium intromittere possent. Turcae interea de perfidorum periculo edocti, magno studio quae ad obsidionem soluendam necessaria compararunt: sed quum alia, tum maximè inundatio è continuis pluuijs orta, eos impediuit. Et nostri summis viribus

bus obſeſſos non machinis tantùm, verùm etiam cuniculis alijſque operibus oppugnabant: adeò vt iam aquâ è foſſis deriuatâ, facilis aditus breui patefieri poſſe videretur. Summa præterea apud perfidos erat alimoniæ inopia. Nec enim vinum, nec panem, ſed ſalis aliquantum, & ſexaginta equos habebant: quibus in cibum diſtributis, miſerrimam vitam ſuſtentabant. Quum ad veniam nullum ſibi eſſe receptum intelligerent: mortem potius fortiter pugnando oppetere, quàm exſpectare, dum per ſummum cruciatum & ludibrium vita ipſis eriperetur, decreuerunt. Noctu igitur pridie Calendas Auguſti in eam partem caſtrorum, vbi MERSPVRGENSES ſtationem habebant, inuadunt: milites temulentos partim concîdunt, partim in fugam agunt: & terrore omnia complent. Tumultu excitus SCHWARTZENBERGIVS ad eam partem qua maximè ſui laborabant, aduolat: dumq́; neceſſaria procurat, glande ictus cadit. Eius mors magnum in caſtris excitauit mœrorem, viri vel ob vnum Iaurinum recuperatum immortali memoria digniſſimi. Cadauer Viennam deductum, ibique militaribus adhibitis cæremonijs, cum ampliſſimo funere eſt humatum. Noſtri nihilominus cœptam obſidionem vrgebant; nec minus alacriter Valones perfidi ſe tuebantur. Poſtridiè enim iterum vrbe egreſſi, ad trecentos interfecerunt, & aliquammultos, in quibus etiam centuriones erant, captiuos in oppidum traxerunt.

Anno 1600.

Schwartzenbergius occumbit.

Quum noſtri iterum ad deditionem eos eſſent cohortati, quòd iam nulla in oppido eſſet annona, & breui fame omnibus foret moriẽdũ; reſpõderũt, vbi victus defecerit, ſe captiuos Chriſtianos atque inter primos Marorũ p̃fectũ, comeſturos. In Schuartzen-

anno 1600, tzenbergij locum suffectus fuit Melior Rederus, is qui superiori anno magnam laudem è Varadino defenso reportauerat. Iam Valones, desperata loci defensione, fugæ consilia inibant. Quare excubiæ, tàm equitum quàm peditum vndiq; collocatis stationibus, diligétius agi cœptæ. Nono Augusti, duabus horis ante solis ortum, Pappenses perfidi per stagnum, aqua emissa iam pænè siccum, exitum tentant: & quum solum vliginosum onus nó benè ferret, sè cratibus, saccis, aliaque materiâ viam sibi muniunt. Rederus, de fuga ipsorum admonitus, Nadastium, Comitem Thurinum, Collonitsium cum leuis armaturæ equitibus fugientes insequi & cóprehendere iubet. Illi iam ad saltum pænè vsque euaserant; sed in ipso aditu interclusi, & magnam partem ibi cæsi sunt. Lamotta, perfidorum caput, Collonitsio dedere se recusans, glande tormentaria traiectus, occubuit, cumque eo aliquot cæteri. Eius legatus cum alijs non paucis seditionis antesignanis viuus in nostrorum venit potestatem. Dum perfidi in fuga toti sunt: Marotus aliijque compedibus excussis, per arundinetum in castra euadunt. Nostri à perfidis desertum oppidum ingressi, reliquos captiuos liberant; mox perfidorum reliquias ad internecionem vsque ferro absumunt. E captiuis cognitum est, sex tantùm primos fuisse cum Turcis tractationis & proditionis auctores; sed postea demum cómunibus suffragijs omnia acta: in quæ qui consentire recusâsset, è vestigio fuisse confossum.

Perfidorum supplicia. Captiui, quod omnia diuina & humana violâssent, per præsidia distributi, horrendis supplicijs fuerũt excarnifi ati: quidam palis infixi, alij rotis contusi, alij vncis tracti, alij lentis ignibus, aut larido liquefacto vstulati; alijs intestina viuentibus detracta, &

in

in ignem iniecta, ipsis spectantibus, cremata sunt, alijs candentibus stimulis ferreis femora humeriq; & corporis partes, quæ longius à vitalibus absunt, assiduè confossæ; demum cor ipsum euulsum est; alijs os puluere sulphureo oppletum, & igne addito, caput in minutas partes cõuulsum fuit: quibusdam collotenus in terram defossis, caput globorũ iactu comminutum. Hoc pacto proditio, nefaria illa quidem, sed certè vltra humanitatis modum, crudeliter vindicata est. Huius enim generis supplicia, præterquam quod ab ipsa hominis natura & oculis abhorrent, improborum animos non tam à sceleribus metu auocant, quàm ad quiduis agendũ & patiendum efferant; nec acerbitate tam prauos deterrent, quàm assuetudine spectandi pœnarum terrorem imminuant: præsertim si facinorosorum animi aduersus vim doloris indurauerint. Apud vulgus enim imperitum confidentia pertinax constantis fiduciæ plerumq; laudem accipit. Sed ad Belgica reuertimur. *Anno 1600.*

Expugnato munimento Santandreano: nihil prius fuit Mauritio Nassouio, quàm vt maritimũ aliquod Flandriæ oppidum tentaret; Selandorum maximè precibus fatigatus, quibus biremes Hispanicæ, è portubus Dankercano, Slusensi, & Nuportano egressæ, quotidie multum damni dabant: simul vt Ostendam, cuius excursiones exactionesque incendiariæ, circumpositis castellis septem (Alberto, Isabella, Ianstæno, Grotendorsta, Colũba, Plassendal, & Bredena, quæ castellorum nomina sunt) ab hoste ad annum integrum, & quod excurrit, fuerant interclusæ, diutina obsidione liberaret. Multas hæc expeditio difficultates habere videbatur: sed illam longè maximam, quod spes omnis ab incon- *Expeditio C. Mauritij in Flandriam.*

Anno 1600. ſtantiſſimi elementi arbitrio penderet. Neque enim vlla commeatuum, niſi maritimo itinere, futura erat copia: magnus quoque metus erat Hiſpanicarum biremium, quæ toto eo mari, paſſim volitabant, & moratores, vel à ſuis longius reiectos excipiebant. Animum tamen illud addebat, quod Auſtriacum & pecuniæ inopia, & militum ob non ſoluta ſtipendia ſeditionibus vehementer angi non ignoraret. Ergò rem potius cum periculo aggredi viſum, quàm per ignauiam occaſionem amittendã: ideoque toto Iunio non ex æſtiuis tantùm veterani euocati, ſed etiam nouæ copiæ conſcriptæ, naues retentæ, omnia denique in tantam expeditionem quàm diligentiſſimè apparata. Tandem poſt celebratum ieiunium preceſque publicas, diſcedit in Selandiam Naſſouius, cum ingenti Ordinum federatorum, Principum, Baronum, atque aliorum nobilium comitatu: impoſitoque in claſſem bis mille nauium exercitu, 22. Iunij Vliſſinga ſoluit, tenuitq́; circa meridiè oras Flandriæ, inter vicum Aſſenodę, & portum Gandauenſem, ad munimentum Hiſpanicum Philippinam; quod ob ipſa claſſis fronte facilè fuit occupatum. Ibi expoſito in terram milite, nauibuſque remiſſis, luſtrat exercitum; equitum bina, peditum octona, ſupra decem millia: cohorteſque circumequitans, Si quis, inquit, veſtrûm eſt milites, cui non ſint perſoluta ſtipendia, prodeat in medium: corà̃ adſunt Ordinum legati, ſatisfacere vobis parati. Illis verò vnâ voce acclamantibus, Abundè ſibi ſatisfactum, duceret modò, quò vellet, gratias egit perhumaniter. poſtridiè, euerſa Philippina, datiſque in dies ſex militi cibarijs, Aſſenodam inſtructo agmine contendit, & inde ad vicum Eckeloum: vndę circumducto ad vrbem Brugas exercitu, Ou-

tu, Oudenburgum versus, quod etsi mediocriter munitum, diffugientibus tamen sua sponte præsidiarijs, vnà cum munimento Bredendiquio, Nassouianis patuit. Ad Seburgum quadraginta naues substiterunt, quæ commeatum, aliumque castrensem apparatum portabant. Anno 1600.

Has biremes Slusenses aggressæ, vento destitutas viginti ex eis captiuas abducunt; quumque plures essent, quã quæ ab ipsis defendi possent, quatuor igne cremant, classiarijs ad rudentes damnatis; & cum præda Slusam contendunt. Dum eò eunt, in nauem præsidiariam Hollandicam incidunt, cui præerat Blancquartus quidam, vir magni animi quẽ eo ipso tempore factis demonstrauit. Habebat is secum classiarios circiter quinquaginta; qui ter repulsis Hispanis, quorum aliqui iam nauim ingressi fuerant, ad extremum vsque fortiter se defenderũt. Iam viginti duo ex ipsis ceciderant, ceteri omnes, octo tantùm exceptis, grauiter erant vulnerati; nauis multipliciter perforata dehiscebat: malus excussa, antenna deiecta velificandi spem omnem ademerant. Admoniti ergò vt se dederent, nec extrema experirentur, responderunt, malle se igne pulueri iniecto, seque hostemque simul vna & eâdem flamma inuoluere, & in abyssum demergi, quàm lubidini ipsorum ad seruitutem morte tristiorem se permittere. HISPANI, vbi obfirmatos eos viderunt, eos missos fecerunt: illi nauim ità laceram in portum VLISSINGENSEM reuexerunt, vbi paullò post prædictus nauarchus ex vulneribus decessit. Dum BRVGAS cum exercitu (è quo nonnulli ad fossas vsque vrbis excurrebant) prætergreditur NASSOVIVS, literas Naues 20. à Slusensibus captæ.

Anno 1600. teras ad Senatum, cæterosque omnes eorum locorũ magistratus mittit: Non se prædæ caussa descendisse in terram ipsorum; sed id agere, vt tandē, expulsis Hispanis, libertas patriæ restituatur. Quæ res quum tā ad ipsos, quàm ad se pertineat: auxilia communia conferrent, & missis idoneis hominibus, in medium consulerent. Ad hæc postulata Brugenses è machinis responsum dederunt; sed sine vllo hostiũ damno. Aratores & rustici, quacumque ibat exercitus, iam antè diffugerant, asportatis secum rebus omnibus. Inde magna in Nassouiano exercitu alimoniæ orta est inopia, sed maximè potus, adeò vt e lacunis & paludibus putrem aquam æstu diffluens miles hauriret. Nihilominus Mauricius per vniuersum exercitum edixit, ne quis ignē tectis iniiceret, aut cuicumque dedititio, maximè verò muliebris sexus, vim inferret, capitis addita in delinquentes pœna. Sic ergò non sine magnis difficultatibus Ostendam peruentum est 28. Iunij, diffugientibus ad exercitus venientis aspectum præsidiarijs è castellis Bredena, & Plussendael: missoque cũ parte copiarum Comes Solmensis, ad castellum Alberti, situm in tumulis arenosis, inter Ostendam & Noportum, quod 29. Iunij, vt & postridiè munimentum Snaskercanum, deditionem fecit. Aperto iā aliquo modo itinere, & soluta obsidione Ostendana, itum in Nuportanos est à Nassouio; vbi occupato vrbis portu, expugnatisque castellis, ac munimentis excitatis, in vtraque ripa castra metatus est, relicto à parte Ostendæ, vbi minus ab hoste periculũ, Ernesto Nassouio, cum tertia militum parte, reliquo exercitu in vlteriorem ripam traducto. At verò Archidux Albertus, cum vxore sua Isabella, vbi appulsos Nassouianos obsessumque Nuportum accepit: metu-

Archidux hosti obuiam it.

metuens oræ maritimæ, nihil non moliri, vt si non è finibus suis eos exigeret, sisteret saltim effusum eorum impetum, & Flandriæ periclitanti subueniret: quin & magni aliquid gerendi occasio data videbatur: In medio hostium Nassouianos, procul à suis, illinc Oceano, hinc vrbibus hostilibus inclusos: posse eos, interceptis itinerib⁹ Ostédanis, si nō obrui, certè inedia absumi: Bruxellâ igitur Gandauum profectus, tribunos aliquot militum, in finibus Geldriæ agentes, cum septem millibus equitum peditumque magnis itineribus in Flandriam contendere iubet; præsidiarios & quidquid vbique virium ex vrbibus euocat: quin & Hispanorum militum seditionem, numerata aliqua pecuniæ parte, multis promissis, præter Nassouij opinionem, sedauit, & precibus atque obtestationibus tandem euicit apud eos, vt exirent in bellum, nec Flandriam florentissimam prouinciam, suis seditionibus hosti turpiter proderent. Ità factum, vt breui satis magnū exercitum confecerit: quem 19. Iulij non procul Gandauo recensuit. Ibi Isabella, cuius auctoritas plurimum ad exciendos sedibus suis tumultuantes potuit, conuocatis tribunis, chiliarchis & cēturionibus, Magna, inquit, *me spes tenet, fortiss.mi milites, rem hodie à vobis benè gestum iri. Nam præterquam quod Deus ipse caussæ nostræ fauet, vtpote quæ pro Catholicæ religionis defensione est suscepta: virtuti quoque vestræ omnia facilia mihi promitto. Reuocate vobis in memoriam tot & tantas victorias, tot prælia feliciter pugnata, sed in primis illud, quod arma feratis ad propugnandam fidem Catholicam, ad tuendam iustissimam regis fratris mei, Archiducis mariti, & meā ipsius caussam: qui omnes huius beneficij, quod hodie à vobis*

Anno 1600.

Isabellæ ad suos oratio.

Anno 1600. *vobis exſpectant, haud dubiè perpetuam memoriam conſeruabunt. Ad me quod attinet: illud perſuaſum vobis habete, in ijs omnibus, quæ noſtro nomine Comes Sôraus & Auguſtinus Herrera vobis ſunt polliciti, ad aſſem vobis ſatisfactum iri: atq; adeò potius omnem me mundum, atque hanc ipſam etiam inaurem, quam videtis, pignori oppoſituram, quàm committam, vt vanis promiſsis vos induxiſſe videar. Et ſanè quum ſpecto hanc veſtram alacritatem & fidem: lubenter obliuiſcor omnium laborum & ſolicitudinum, quibus hactenus, nuper maximè, nos affeciſtis. Ite modò, & cũ Deo benè iuuante, contra ipſius & noſtros hoſtes, ſtrenuè rem gerite.*

Hanc Infantis orationem, vultu ad grauitatem ſimul & modeſtiam compoſito prolatam, magno clamore acceperunt milites: mox diſploſis tormẽtis, magnam alacritatis dederunt ſignificationem, ità vt facilè appareret, eos aut cum victoria redire, aut fortiter pugnando mori velle. Et illa quidem Gandauum diſceſſit: Archidux verò poſtridie Brugas exercitum, & Calendis Iulijs Oudenburgum ducit: cui præſidio relictæ erant cohortes aliquot Selandicæ; quæ, moliente inuaſionem Archiduce, fecêre deditionem, traditaque arce, cum armis ſuis incolumes diſceſſerunt. Itum denique ad munimẽtum Snaskercanum ab Auſtriaco, cui præſidio erãt cohortes duæ legionis Scoticæ: quæ incolumitatem pactæ, quum & arma ſua & munimentum tradidiſſent, contra datam fidem immaniſſimè trucidantur. HISPANI enim, & ſeditionis culpam magno aliquo facinore, & hoſtium ſuorum ſangui-

gui-

guine eluere cupiebant; & ceteris hac ratione timorem se incussuros arbitrantur. Quare inuito Archiduce & contranitente, datam fidem violârunt: sed & huius perfidiæ grauissimas non multò post pœnas dederunt. Post istam in præsidia Snaskercam barbariem 2. Iulij ad vicum Leffinge HISPANI proficiscuntur; & inde intercludendis itineribus OSTENDANIS, rectà ad mare. At verò Nassouius vbi aduentare cum magno exercitu ARCHIDVCEM, amissumque cum Snaskerca OVDENBVRGVM intellexit; ratus, id quod res erat, intercludendis eum itineribus OSTENDANIS operam daturum; confestim ERNESTVM NASSOVIVM, cognatum suum, præmisit ad intercipiendum pontem, inter OVDENBVRGVM & munimentum ALBERTANVM, quà hostibus transeundum erat; aut si minus hic conatus succederet, sistendum saltim hostem: datis in eam rem duabus legionibus, Scotica & SELANDA (in quarum singulis mille circiter pedites erant) cum aliquot equitum turmis & tormentis duobus bellicis. Anno 1600.

Qui quum ponti intercipiẽdo iam appropinquaret præoccupatum vidit ab hoste: cum quo tamen prælio decernit; acriter satis & pertinaciter, pro suorum numero, qui multitudine ad extremum obruti, versique in fugã, pauci in castra, Ostendã plurimi peruenerunt: desideratis è suorum numero ad octingentos, duobus bellicis tormentis, & signis aliquot militaribus amissis, quæ BRVGAS ad INFANTEM missa, magnam excitârunt lætitiam, & victoriæ spem certam fecerunt. Hæc clades magnam *Nassoniani caeduntur.*

Anno 1600. magnam partem in Scotos incubuit; è quibus, prę- ter gregarios milites, multi centuriones ceciderũt: Arturus Stuartus, Robertus Barclæus, Andreas Murræus, Ioannes Chilpericus, Ioannes Michaël, Ioannes Strachanus, Hugo Nisbethius: à Zelandis verò, Turquius, Lagrappius, Valrauus, & Gistellus: quorum aliqui, vt & magna pars militum, post conflictum demum, quum iam dedissent se, fuêre confossi: Intereà magnis in angustijs versabatur Nassouius: Tandem habito concilio, copias omnes in borealem ripam reducere statuit: sed quum paratum ad manus pontem non haberet, immisit se aliquoties in aquam cum equo, tentatisque vadis, quum facilem esse transitum relabente maris ęstu animaduertisset; equites primò & peditum magnam partem per medias vndas, & constructo demum ponte, copias vniuersas in vlteriorem ripam traduxit, atque in litore acie instructa stetit: naues quoq; bellicas soluere è portu, atque euehi in altum iussit; vt ita nullam omninò in fuga spem suis relinqueret. Ex alia parte Austriacus & ipse graui consultatione angebatur, vtrum scilicet bellum ducere, an rectà ire in hostem consultius esset. Diuersæ hîc fuerunt sententiæ. quidam enim fortunæ, quæ se eo die tàm beneuolam præbuisset, instandum dicebant; cuius ea esset natura, vt plerumque quos premere cœpisset, acerrimè eos persequeretur; & quibus facilem se dedisset, non facilè eos desereret. In magna iam hostis formidine & rerum omnium versari perturbatione: suorũ militum animos adhuc recenti calere cæde: tantummodò celeritate vtendum esse, vt hostes, obsidione impediti, prius opprimantur quã instructis ordinibus in aciem progredi possint. Alij, cum hoste desperato non facilè confligendum, dispu-

dispurabant, cui etiam, & veteri prouerbio, fugienti aureus pons sit sternendus. Multis in hanc & illã partem allatis rationibus, in hanc sententiam itum est; Victoriâ, quam eo die consecuti sint, vtendum esse, plus esse in mora quàm clade, si qua fortè accipiatur, dãni. Nassouij acies, hoc modo erat instructa: Dextræ equitum alæ præerat Ludouicus Nassouius, cum quatuor turmis: sinistram Marcellus Baxius, cum totidem turmis regebat: Inter hæc duo cornua prima peditum acies in tres cohortes diuisa procedebat: in quarum prima & secunda legio erat Anglicana, doctoribus Francisco & Horatio; Verijs, cum duobus Nassouij & Hohenloij signis prætorijs; tertiam cohortem, quæ Frisiorum erat; Tacco Hottinga regebat; atque ita prima vniuersi exercitus acies, octo equitũ turmas, & vnum supra quadraginta peditum signa continebat, cui Georgius-Eberhardus Comes Solmensis imperabat: In secunda acie Fridericus, Comes Solmensis, dextrũ equitum cornu, quatuor itidem turmarum, regebat; sinistrum, Gothardus à Balen, cum tribus equitum turmis. Inter hæc cornua mediam peditum aciẽ constituebant legio Valonica (quos nouos Geusios vocant) cui imperabat Daniel Marquettus; Frãcica, in duos manipulos diuisa: quibus additi erant Heluetij. In hac acie, quæ peditum, in quatuor cohortes distributorum, signis viginti quinque, & septem equitum turmis constabat, Mauricius ipse curabat. Postremæ aciei præesse iussus Oliuarius à Tempel. Ei quoque à fronte & lateribus tres equitũ circumfusæ erant turmæ; peditum aciem; ad instar primæ, tres faciebant cohortes; in quarum prima legio Germanica Comitis Ernesti Nassouij, in secunda, legio Gistellana, in tertia, legio Vchtenbro-

Anno 1600.

Acies Mauritij.

Anno 1600. quiana erat collocata;in vniuersum, tres equitum turmæ,peditum signa viginti septem. Cum Mauritio frater erat, septem decim annorum adolescens. Eum Mauritius obsecrat,vt è prœlio in locum tutũ se reciperet:vt scilicet si quid humani sibi accidisset, ipsius ductu atque auspicijs Ordines in bello administrando vterentur: sed impetrare nihil potuit, quod is eandem cum fratre suo charissimo subire fortunam,adeoque viuere & mori paratum se diceret. Interea Archidux suam promouet aciem, pari modo ferè instructam. In frõte Hispani, inter quos seditiosi omnes sub vexillo vno (signa enim secum non extulerãt) milites veterani atq; exercitatissimi, sub tribunis, Casparo de Sapena, Hieronymo de Monroy,& Ludouico de Villars. In media acie Valones,& Itali,ductoribus Alphõso Daualo,Barlotta,& Bastoco Anglo. In extrema acie Germani & Belgæ miscellanei,sub Comite Busquoio, & alijs. Præter hos quatuor peditum millia, sub imperio Ludouici Velasci,ad transitum fluminis nõ procul à pago Leffinga custodiendũ fuerant relicta: legiones scilicet Vambergij,Barlemõtij, & Varambonij. Circiter horam vndecimam ante meridianam prima Hispanorum acies apparuit. Mauricius ibi ad suos conuersus milites opem diuinam primũ implorare iubet,inde ità ad virtutem eos cohortatur.

Adesse nunc illos ipsos, qui commilitones ipsorum fortissimos contra datam fidem immaniter obtruncassent. Ires nunc,& commilitonum iniustam cædem strenuè vlciscerentur. Audisse se aliquoties gloriantes illos, & iactantes fortitudinem suam: adesse nunc tempus;viderent,ne lingua, quàm dextra fortiores, haberentur, aut verba a factis discreparent. Vtut fuerit,

com-

temperturum se hodierno die, nunc verè existimauerit, esse sibi tribunos, chiliarchas, præfectos, cēturiones & milites fortißimos. Irent ergò in hostem, benè iuuante Deo, probarent singuli virtutem suam præsenti imperatori, nec spem de se conceptam fallerent. Post Deum, nullam nisi in armis spem esse. Hinc Oceano, illinc hostibus clausos exitum nullum habere. Se quidem hodie aut vincere cum ipsis, aut fortiter pugnando mori decreuisse. Anno 1600.

Vbi vtrimque plena acie instructi apparuère; nullam dimicandi moram faciunt. Ludouicus Nassouius in hostem prouolans, pugnæ initium facit: & sensim retrocedendo, septingentos hostium equites eò vsque pertraxit, vt machinarum ictibus, quas in litore, loco opportuno, Nassouius collocârat, se se induerent; quibus disturbati, inter tumulos & arenarum colles sese receperunt, relictis in litore tormentis suis, quæ ad primam displosionem, quum crates asseresue substernendos non haberent ad manus fatiscens subtus ad tantum impetum arena, inutililia atque immobilia reddiderat. Diu anceps hîc peditum fuit pugna; quam equidem nemo facilè descripserit, quod inter arenarum colles singulę plerumque cohortes cum singulis, prout quæque in aliam inciderat, depugnarent. Iam æstus maris crescens, Oceani litus arctabat: quod quũ acies vniuersas non caperet, vterque Austriacus & Nassouius, suos in locum commodiorem, propius ad continentem, subducunt iisdem seruatis, quantum fieri potuit, ordinibus. Hîc atrox iterum prœlium existit. Pedites HISPANI in ANGLOS fortissimè irruunt: quos ipsi non modò excipiunt, verùm etiam agunt in fugam, cor-

Anno 1600. nibus nudatos: mox tamen ijdem, resumtis animis, Anglos Frisiosque in locum suum retroagunt: reciprocante aliquoties, pro ratione locorum, in vices victoria, & iam tota vtrimque acie pugnabatur: quũ equites Nassouiani, secundum impreßionem molientes, in fugam, frustrà obnitentibus præfectis, cõpelluntur. Tum verò malè se habere res Nassouianæ; fluctuare tota acies; quin & Frisij dare se in fugã Frisijsque destituti Angli, vsque ad machinas suas retroagi: & fortè fuissent perditæ, si aut in fluctuantem aciem equitatum vniuersum Austriacus immisisset, aut non protinus secundam aciem excitasset Nassouius, in qua legio erat Valonica: quæ quũ fidem suam probare Nassouio, fauoremque eius promereri niteretur, fortiter omninò Hispanorum impetum non sustinuit solùm, verùm etiã repressit. Duæ etiam res, prouisæ prudenter, Nassouianis auxilio fuerunt: Nam & sol rectis radijs in hostiũ oculos incurrebat; & ventus satis violens, sabulũ, itemque fumum sulfurei pulueris ità in aduersam aciem reiecit, vt omnem oculis prospectum adimeret; & odore tetro de via adhuc anhelos grauiter afficeret. Nassouius interea retinet trahitque fugientes, atque in pugnam ipse reducit, exclamans per totam aciem, obtestansque singulos: Mallentne cũ duce atque imperatore suo pugnare in hostem, quã vti inertia pecora, præcipitare se in vastissimum istum gurgitem, atque Oceano submergi? Ita factũ, vt breui fluctuantem aciem restituerit. Ex aduerso Archidux, obequitans non minus factis & verbis suos ad pugnam exhortabatur, minis, precibus fatigabat, vt restitutis ordinibus prœlium redintegrarent, nec hosti facilem de se victoriam concederet. Sed pedites, equitatu destituti, superante etiam hostium

stium multitudine, Nassouianorum à lateribus incurrentium vim non sustinuerunt. Archidux inclinatam suam aciem cernens, quantum potest, integris ordinibus retrocedit: quibus mox hostiũ pertinacia solutis, omnia fugæ & terroris sunt oppleta: & exinde non pugna, sed cædes fuit. Cecidêre ex acie Archiducis complures viri illustres: Bastocius Hibernorum tribunus, cum suis pœnè omnibus centurionibus: Ioannes-Paulus Gabbius, vigilum inter Italos præfectus, Gabriel Battaglia, Cornelius Mariani, Ioannes-baptista Carisea, Cæsar Calcaneus, Bathasar Saicus, Comes Ferranus, Palauicini Marchionis Comensis filius, Bentiuoli Marchionis frater vnus, & nepos; Bongiouanni eques Melitésis, Comes Latinus, Prata, Septimius de Fabijs: & quidem ex Italicæ legionis signiferis nouemdecim, sedecim interfecti, duo grauiter, tertius leuiter est vulneratus. Ex Hispanis nobilissimus quisque & manu promptissimus, fuit desideratus: Rodericus, Garzia & Petrus è Toletana familia, Diego Gomesius & alij, ad ducentos & quinquaginta, magna omnes militari experientia viri, & fortissimorum ducum animis olim præditi: Inter captiuos præcipui fuerunt, Franciscus Mendoza Admirans Aragoniæ, Ludouicus Viglias, Caspar Sapena, Comes Salmensis, Diego Didizqueus, Alfonsus de Castro, Diego de Torres, alijque magno numero. E vulneribus fuerunt Archidux ipse, Dux Aumalius, Alfonsus Daualus, Rodericus Lassus, & alij non pauci. Gregariorũ militum ad sex millia cæsa eo die dicuntur. Sed nec incruenta Nassouianis fuit victoria, quorum supra duo millia varijs conflictibus absumpta perierunt: sed saluis interea præfectis, chiliarchis, & tribunis omnibus: præter Franciscũ

Anno 1600.

Anno 1600. Verum, tribunum Anglicum, & Gentium, equitum præfectum, grauiter vulneratos: qui breui tamen conualuerunt. Potiti sunt Nassouiani tormentis sex hostilibus; præter duo, quæ paullo antè amissa, recuperârunt: cum centum & tribus peditum, quinis equitum vexillis. Eam noctem Mauritius in loco vbi prælium commissum erat, transegit: manè exercitum Ostendam versus duxit; ibique pro tam insperata victoria, publicè Deo gratias egit. Archidux Brugas se recepit: & inde scriptis ad Ordines Bruxellam litteris, rei gestæ ordinem exposuit. Etsi verò cladem non mediocrem senserat: nihil tamen de solita animi magnitudine remittens, missis in omnes partes internuncijs idoneis, nutantia præsidia confirmat: Nuportanis primùm sexcentos, inde mille alios, auxilio mittit, aliaque omnia quæ ad vlteriorem hostium sistêdum progressum pertinebant, magna diligentia comparat. Commodùm eo ipso tempore Brabantiæ, Flandriæ &c. Ordines indicto in singulos focos tributo, magnam pecuniæ vim conflauerant; qua Archidux adiutus, facilè nouum confecit exercitum. Magnam quidem in hoc prœlio non fortitudinis tantùm, sed etiam prudétiæ militaris laudem Mauritius acquisiuit. Nam & locum pugnæ idoneum prudenter antè cepit: & dimissis nauibus; omnique ad fugam exitu intercluso, suis extremam pro vita dimicandi imposuit necessitatem: magna quoque arte & industria machinas collocauit, quarum impetu mirum in modum hostilis acies fuit disiecta: alas etiam equitum vtrimque frequentes disposuit, quæ laborantibus quacumque in parte opem ferrent: maturè denique atque in ipso tempore cohortes suas contra hostê immisit. Sunt tamen, qui quodMaharbal apud Liuium An-

Archidux se recolligit.

Mauritius quare non progressus.

Liuium Annibali obijcit, victoriâ eum minus rectè aut prudenter vsum dicant. Si enim quanta par erat diligentia fugientibus hostibus institisset; paucos euasuros fuisse. Sed profectò ijs idem respódere licebit, quod idem Annibal Maharbali, vt Romã confestim cum exercitu iret inuitanti, respondisse fertur, Maiorem viam esse, quàm vt eam statim animo capere possit. Longè enim errant qui hoc prœlio ità fractas ARCHIDVCIS vires fuisse existimant, vt hosti quas obijceret nullæ reliquæ essent. Ne ergò tantis suis laboribus, tanto suorum sanguine partam victoriam noua fortè clade obliteraret, exercitum, vbi primùm commodum esset, reducere in Hollandiam, & milites, multis laboribus & ærumnis in hac expeditione confectos, reficere constituerat: sed à suis persuasus, mutato cõsilio, in castra ad Nuportum reuertitur: cuius quum difficilem & diuturnam fore videret oppugnationem, quod & oppidũ à validissimo præsidio teneretur, & loci natura multos vndique aditus hostibus præberet: decimoseptimo Iulij instrumentum omne militare & castrense nauibus imponi iubet, & ad primam marini æstus reflexum Ostendam vehi, eo consilio, vt postridiè ipse cum exercitu, ad oppugnandum ISABELLAE munimentum subsequeretur. NVPORTANAM enim obsidionem multis de caussis sibi videbat periculosam, quod commeatus & itinera Ostendana (quem locum solum in omni illa regione in sua potestate habebat) facilè intercipi possent: ad ISABELLAM verò si res minus succederet, tutum habebat & liberum ad Ostendanos, atque inde in Hollandiam receptum. Post dierum aliquot oppugnationem, quum exigua potiundi munimenti spes esset, quod

Anno 1600.

Nuportum iterum obsidet frustra

inde Isabellã

Anno 1600.

Archidux nouum exercitum, Barlotta & Friderico Comite Vambergio ductoribus, obsessis auxilio misisset. qui loci, multis paludibus & fossis intersecti, opportunitate adiutus, sine vllo impedimēto necessaria quotidie ad obsessos comportabat: vasis conclamatis, Flandria excedere decreuit. Dum Isabella tentatur, Claudius Barlotta, castra hostium speculans, globo plumbeo per caput adacto, cæsorum in Flandria militarium virorum numerum auxit. Chirurgum fuisse primò ferunt: sed incredibili animi robore, vigilātia, & industria per omnes militarium officiorum gradus ad Chiliarchatum ascendit, & res multas & magnas benè feliciterque administrauit. Eius mors Archiduci tantò fuit grauior, quantò pauciores eius similes viri restabant. Hispanos tamen & Italos eius morte non valdè indoluisse ferunt, cuius in factis & dictis libertatem non semel experti fuerant: quippe eò peruenerat arrogantiæ, vt quod ipse non fecisset, rarò probaret. Alij tamen Hispanos, qui non facile quemquam sibi æquari patiuntur, virtuti eius & perpetuæ felicitati inuidisse, & ignobilitatem contempsisse dicunt. Vt fit; certè vitâ militariter actâ dignum habuit exitum; & ortum ignobilem, nobili fine clausit.

Barlotta cæsus.

Dum Falcolandiæ Scotorum rex agit, seque quotidiè ceruorum venatione exercet (quo exercitij genere eo anni tēpore se plurimum oblectare solet) quinto Augusti, qui in martis diem incidebat, inter sextam & septimam matutinam, cœli serenitate inuitatus, quum iam stabula prætergressus, equum esset conscensurus (venatoribus interim eius aduentum in campis exspectantibus, & aulicis se ad equitandam accingentibus) Alexander Ruuenus,

Insidiæ Scotorum regi tenduntur.

nus, Comitis Gouriæ frater germanus, arcem ingressus, deque regis abitu certior factus, eũ magna celeritate accessit; vbi salutatione satis humili, capite ad regis genua dimisso (qui salutandi modus illi antea prorsus insolens) peracta, apud regem à comitatu nonnihil seductum, vultu deiecto, & oculis vno obtutu in terram defixis, tale alloquium instituit. Accidit, inquit, vt vespera proximè elapsa, non procul Pertho, vbi in præsentia cum fratre commoror, animi gratia prodeambulāti mihi plebeius quidam occurreret: cuius vt caput pallio obuolutum animaduerti, accedens propiùs, de homine, quidve negotij solus, in loco solitario & auio factitaret, cœpi inquirere, hūc hominem tanta consternatio inuasit, vt nec lingua, nec alia corporis membra suis adessent officijs. hic gestus augebat suspicionem: itaq; dum singula accuratius obseruo, aliquid subesse ratus, sinum aliquantò turgidiorē video: inde reiecto pallio, capacē vrnā, auro ad orificiũ refertam sub axilla deprehendo. Vt vidi, hominem sic onustum inuitum mecum clanculum reduxi, ibique vinctum, vase vna relicto, nemine alio facti conscio, conclaui, quo nisi per multas fores, iam à me obseratas, nulli patet aditus, diligenter inclusi, & hodie cum diluculo, ante quartam matutinam, Pertho iter ingressus, quanta potui celeritate, sicut ex officio tenebar, huc ad Celsitudinē tuam me contuli: ideò maiorem in modum Maiestatem tuam oro, vt quàm primum, omni adhibita tum diligentia, tum taciturnitate eò proficisci Celsitudo tua dignetur, vt prius quàm res fiat palàm, aliquid de ea statuatur. hīc enim protestor sanctéque affirmo, me rem istam nemini mortalium, immò ne fratri quidē hactenus reueláſſe. Ad hæc Rex,

Anno 1600.

Splendidum mendacium.

Anno 1600. quum gratias pro beneuolentia egisset, Nulla, inquit, ratione æquum aut honestum censeo, vt huiusmodi negocio me immisceam: quando nullius liberi ac fidelis subditi thesaurus, nisi fortè sub terrâ repertus (quod in isto secus est) ad Regem possit lege deuenire. Ceterum, inquit Alexander, ille mihi est fassus, eo se fine egressum, vt in terrā defoderet: vt plura exquirerem, nec temporis, nec loci ratio sinebat. Rex, Non parum, inquit, factum ipsum à facti consilio distat: nec perinde est, animum defodiendi habuisse, & defossum inuenisse. Nimium, inquit Alexander, in re tanti momēti, tamque vtili, Celsitudo tua scrupulos mouet eiusmodi. Si enim res deferatur, & fratri meo, alijsue regni proceribus innotescat; tali occasioni minimè deerunt: vnde nō parum negocij in eo postea repetendo possit suboriri: Ex prædictis Rex colligebat, aurum esse peregrinum, & fortè à quibusdā ad nouos motus in regno excitandos illatum: quod ipsum anteà factitatum non semel meminerat. Hinc de numismate, & viri illius habitu interrogat. Ille numisma, quantū quidem tūc poterat obseruare, peregrinum sibi videri: virum, etsi lingua & habitu indigena videretur, nunquam tamen à se anteà, quantum meminerit, conspectum aiebat. Hinc Regi maior suspicio crescebat, aurum illud aliunde à seditiosis, vt eo in factionum capita distributo, pacem publicam facilius abrumperent, importatum: virum autem illū Scotum alicunde in eum finem emissum, & ad maiorem rei securitatem ità personatum. Proinde è suis quempiam, auctoritate præditum, Alexandro comitem dare constituit, qui nomine Regis magistratui vrbis Perthi, hominem illum vnà cum thesauro in custodiam recipiendum, examinandum, &

Regis suspicio.

ad

ad vlteriorem Regis voluntatem detinendum, mādaret. Quibus Alexander vehementer commotus, protestari denuò incipit, si vel Comes, ipsius frater, vel vrbis reliquus magistratus id resciscerer, fore vt mutilas illius thesauri rationes olim Regi essent redditури: sanctéque affirmans, ex amore singulari, & intimo, quo Regiam Maiestatē prosequeretur, affectu proficisci, vt ipsius Celsitudinem & sibi, & fratri in isto negocio prætulerit: pro quibus officijs hoc saltim petere se, ne eò proficisci dedignaretur, quò primus esset thesauri inspector: quibus peractis, se Regiæ Maiestatis arbitrio laborum suorum æstimationem permissurum. Rex & narrationis incredibilitate, & narrantis insolita stupiditate non parū perculsus, comitatu interim iam in equis Regis cū nobili illo moram, moræq; caussam (lusu iam reperto, & venatoribus vnum Regem in campo exspectantibus) admirante; colloquium tādem abrumpere est coactus. His paucis in abitu prolatis, non posse se tum diutius commorari, verùm ea de re deliberaturum, & venatione finita, certi aliquid responsurū: simul cum dicto, iam eques, ad comitatum se properè contulit. Alexander ægrè ferens, quòd apud Regem pro voto non obtinuisset, vt rectà Perthum contenderet, hæc adiecit, non futurū, vt quotidie venationis talis delectus daretur, qualē ipse iam obtulerat: insuper vereri se, ne protracta hæc deliberandi mora homini iā vincto, aut vociferandi, aut talem strepitum concitandi occasionem præbeat, vnde res tota detegatur, & thesaurus periculo exponatur. adhæc, fratrem de se inquisiturum, quādo eo insalutato, nec de itinere admonito, manè discesserit: quibus omnibus diligentiā Regis facilè occurri posse: præsertim quum ante

Anno 1600.

conci-

Anno 1600. concionem finitam, cui iam frater cum magistratu & reliqua ciuitate interesset, res tota expediri possit. Verùm Rex præterea nihil respondens, in equũ insiliens, ad suos se conuertit. Rege digresso, Alexander ibidem subsistens, è duobus seruis, quos in hunc finem frater adiunxerat, vt per illos de rerũ euentu certior fieret, alterum Andream Hendersonum nomine, Comitis cubicularium, amãdat multis inculcans, vt si fratris honorem periclitari nollet, nec sibi, nec equo parceret, quin quanta posset celeritate ad fratrẽ profectus, admoneret, sperare se Regi persuasum iri, vt eò, verùm nõ nisi post tres horas, quod venationi iã esset intentus, perueniat hæc addens, Roga fratrem, vt prandium nobis paret. Interim Rex collem, qui saltui imminebat in quo canes venabantur, conscenderat, canibus magna cum alacritate irruentibus, & venatoribus nõ minori cum voluptate insequẽtibus, solus Rex, qui aliàs hoc exercitio imprimis capi solebat, cogitabũdus & superioris narrationis nouitate quasi extra se raptus, re cum nullo adhuc communicatâ, Ioannem Nouif.brum, Chirurgũ, fortè fortuna adequitantem, remittit, qui Alexandrum aduocaret. Ille intereà seruum, vt diximus, ad fratrem ablegârat: quum Rex solum aduenisse putaret, & comitem vllum habuisse ne suspicari quidem posset. Adducto dicebat Rex, Iam re perpensâ, extremâ narrationis parte permotum, venatione peractâ, Perthum rectà cogitare: quod & fecit posteà, nam suos aliquot stadijs iam progressos, solis Ioanne Hamiltonio Grangiano, vno ex Archippocomis, & Alexandro comitantibus, est sequutus, venationem autem eo die habuerunt talem, qualem se nunquam anteà expertos, & Rex & reliqui sunt professi: à septimâ

enim

enim matutinâ, vltra vndecimam est protracta: Annò 1600.
quo tempore Alexander Regem semper ponè secutus, ad minimam in procinctu remoram cótinuò Regi in aurem insusurrabat, vt quam primum istis fine imposito, Perthum acceleraret. Tandem, ceruo interfecto, ceruas insequi, contra consuetudinem suam, destitit: immò de equo, continuo & lógo cursu iam defatigato, non descendit, nec gladio se, totus in cogitationibus illis, accinxit, quin & Alexander seriò rogabat, ne equum recentem (quamuis Regis stabula ne vno quidé stadio inde abessent) exspectaret: cuius importunitati Rex obsequutus, eidem calcaribus additis, tanta festinatione in itinere perrexit, vt equus recens integrum miliare Británicum coactus sit pleno cursu sequi, antequá Regem assequeretur, nec Lenoxiæ Ducem, Marciæ Comitem, vel alios è comitatu nobiles, sese ad viá accingentes exspectârit: tantùm discedens admonuit, se Perthum, Gouriæ Comitem ibi conuenturum, properare, anteque vesperam reuersurú: quibus auditis, maxima pars aulæ, quàm poterat expeditissimè, Falcolandiam, equos mutandi gratia, se confert: qui, licet nulla morâ interposita in viam se rursus dederant, Regem tamen non prius sunt assequuti, quàm ad quartum â Pertho lapidem est peruentum: alij equis prioribus, etsi longo iam cursu lassis & defatigatis, Regem è vestigio sunt sequuti: quorum quidam in medio itinere equos pabulo reficere sunt coacti. Táta verò in seruis Regis, alioqui iniussis, festinatio ex suspicione quadam orta est. Nam paullò antè dominus ab Oliphát facinus quoddam in Angusia perpetrárat, ad quem apprehendédú, motusque ab eo excitatos sedandos, Regem proficisci sunt arbitrati. Alexander vt nouos equos

Rex in insidias se præcipitat.

Anno 1600. quos Lenoxiæ Duci, Marciæ Comiti, & alijs nonnullis aulicis adduci videt, obnixè rogat, vt toti comitatui Rex publicè denuntiet, ne, quando eâdem vesperâ esset rediturus, eum vlterius comitentur: in primis Lenoxiæ Ducem, & Marciæ Comitem, quò minus sequantur, inhiberet, sibique tres tantùm quatuorue ex infimo satellitio adiungeret: fieri enim nō posse asserebat, quin si ex nobilitate aliqui adessent, totum negocium malè esset successurum. Hinc Rex non parum commotus, Lenoxiæ, inquit, Duci & Marciæ Comiti in maioris momenti negocio se nolle diffidere, nec videre se, quid impedimenti quisquam, nobilis sit is an ignobilis, vnus an plures, posset adferre. Verùm ita altè postrema illa verba Regis animo insederant, vt ex varijs cogitationibus variæ suspiciones subinde orirentur: iuuenem tamen à multis annis sibi iam probè cognitū, quique non multò antè in nobilium cameræ numerum recipi petierat, quidquam mali machinari, ne vel minimum suspicari poterat. ideò nec vlterius Regis se cogitationes extendebant, quàm iuuenem alioqui ingenuum & magnanimum, duriusculè à fratre tractatum, in mentis alienationem incidisse: quod non minus ex vultu commoto, insolenti adspectu, & continua, durante venatione, meditatione solitaria; quam ex inauditis, & à fide alienis narrationibus colligebat. Quare re tota cum Lenoxiæ Duce communicatâ, serio rogabat, an iuuenis illius (vtpote adfinis, cuius sororem in vxorē duxerat) ingenium & mores illi essent perspecti, & an vnquam delirio, vel animi perturbatione extraordinaria corripi solitum aduertisset: sibi vix sana mente eum videri. Interim sedulò Ducē monebat, ne omitteret, quin eò vbi peruentū esset, vbi homo

homo ille cum thesauro custodiri dicebatur, rectà sequeretur. Ista Duci vehementer admiranti, prorsus absona & incredibilia visa sunt: interim afferebat, nihil vnquam à se in iuuene illo obseruatum, quod vel leuissimum mentis alienatæ indicium præ se ferret. Alexander priuatum illud cum Duce colloquium obseruans, & rem ex circũstantijs metiẽs, Regem accedit, etiam atq; etiam rogans, ne cuiusquã fidei negotium istud cõcrederet, nec vlli, quò esset ipsum ducturus, sequendi potestatem prius cõcederet, quàm Rex solus hominem thesaurumq; esset conspicatus. Cui Rex subridens, se non benè in numerandâ pecuniâ versatum; ideoque quempiam adesse oportere, qui partes illas saltim obeat, respondit. Excepit ille, Nulli se, præterquam soli Regi primò ad thesaurũ illum aditum datum; verũ illo à Rege semel conspecto, postea quoscumque posse aduocari. Hic sermo Regi durior visus, suspicioni priori nouam addidit; ideò insidias sibi strui penè certò concludebat: verùm tot, tantas, tãq; varias suspiciones cogitabundus animo voluebat, vt singulæ singulas velut æstu quodam reciproco obruerent, adeoq; nihil certi statuere potuerit. Quare inter spem metumq; dubius progreditur, rediturus fortassis, nisi quod nullius sceleris sibi cõscius, nec certo fundamento innixus à sententiâ tàm subitò discedere turpe ducebat. Quamuis verò Alexander equo plane lasso, & qui reliquos cursu vix poterat æquare, insideret, Regem tamen subinde monebat, vt equo calcaria subderet. Postquã duobus miliaribus a Falcolandiâ essent progressi, in via substitit, & alterum seruum Andreã Ruuenum, qui de Regis aduẽtu fratrẽ admoneret, eãdẽ, qua ad priorẽ, vsus exhortatione, clãculũ præmittit: eoq; præmisso, quũ

Anno 1600.

mille

Anno 1600. mille passus ab vrbe abessent, præcedere se velle dicebat, vt fratrem de regis aduentu præmoneret. Ad fratrem vt ventum est, in prandio, quasi talis negocij prorsus ignarum, deprehendit: & quamuis per binos à fratre internuncios, Regem aduentare probè intellexerat, cuncta tamen ista sibi antè incognita simulabat; Mensis itaque remotis, cófestim domesticis & amicis fortè præsentibus, vt in occursum Regis se áccingant, mandat: paulloque post octuaginta circiter comitatus, Regi obuiam ad Isthnum processit: Regis verò satellitum tantùm sedecim fuêre, solis gladijs armati. Rex hospitio exceptus, horam integram prandium exspectare cogitur: tarditatem autem & tenuitatem apparatus in inexspectatum Regis aduentum Comes reijciebat. Dum prandium paratur, Rex Alexandrum de tempore locum illum adeundi commodo interrogat: cui ille, Quum res in tuto sit, inquit, tempestiuè satis & fortè commodius à prandio peragi posse: insuper rogabat Regé, vt se relinqueret, ne fortè frater, qui ipsum toto illo die desiderârat, ex clandestinis istiusmodi colloquijs, quod res erat, suspicaretur. Ideo Rex ad Comitem se conuertens, varijs de rebus sermone instituto nihil ab illo, quippe alijs cogitationibus intento, ad rem, vel solidè est responsum. Quum Rex iam accubuisset, Comes vultu admodú demisso cogitabundus ad extremitatem mensæ cófistens, nunc his, nunc illis domesticis, flexa ceruice aliquid insusurrabat, sæpius conclaue sicut & ante prandium frequentabat: nec regem hilariter excipere, nec vllo signo, gratum sibi Regis aduentum, declarare conabatur; immò Lenoxiæ Ducē, Marciç Comitem, & alios nobiles aulicos, mensam Regis circumstantes, antè ad prandium non deduxit, quá

Regi

Regi mensæque secundæ apponerentur: quum aliàs post prima fercula nobiles prandium ordiri moris esset, tandem in aulam cõmunem prandio excepit, verùm vna, vt patriæ ferebat consuetudo, non accubuit, sed rediens, Regis mensæ, sicut antè, mutus adstitit. Rex hominem diligentius obseruans, familiarius cum eo cœpit agere, mirari se dicens, tam frigidè illum hospites suos tractare, quibus ne in prandio quidem adesse dignetur. Regem tandem à mensa surrecturum, reliquis adhuc in aula prandẽtibus, Alexander in aurem admonet, tempus quidẽ iam esse, verùm fratris præsentiam obstare; ideoq; cupere, vt frater aliquò ablegetur. Rex igitur, accepto poculo, hilari & familiari modo Comitem ita compellat: Etsi, inquit, me minimè latet, te exterarũ nationum in hospitibus tractandis morem probè callere: Scotus tamen quũ sis, de recepta apud Scotos in hospitibus excipiendis consuetudine, ne domi peregrineris, à me adhuc es admonendus: quando igitur nec mihi propinaris, nec alijs tuis hospitibus in mensa adesse dignatus sis, in eoque non parum in hospitij leges peccaueris: tibi ego propino, idemq; poculum hospitibus tuis offeras, meoque nomine lautius se tractet, iubeas volo. Digresso Comite, Rex per Alexandrum iubet Thomam Areskinum, Equitem, qui vna comitetur, aduocari: ille Regem vt pergeret, suosque ne sequerentur inhiberet, obsecrans, vnum pluresue, pro Celsitudinis ipsius arbitrio, postea se adducturum pollicetur. Ita Rex solus cum eo triclinium ingressus, per aulam illam, in qua sui prandebant, profectus, cochleam quandam ascendit, tandemque per quatuor conclauia, ab Alexandro ianuas in transitu obserante, & vultu quàm antea hilariori, hæc le-

Anno 1600.

Anno 1600. cum perpetuo dicente, In cura illum & sua fuisse custodia detineri, in tumultum quoddam est proru-ctus, vbi hominem non vinctum, sed liberum, & con-fessim pugionem armatum conspicit. Vt primum au-
Inuaditur. tem multum longe ingressus, Alexander ocius prius ianuam, pileumque in capite superbe inserto, arrepto pugionem arripiens, & Regis pectori admouens, in hæc verba minabundus prorumpit: Tu maiestate iam quod mihi, ac meum arbitrio necesse ha-bes te subijcere, adeo si vel vocillam vnam edideris, vel fenestram vllam aperire conatus, præsentem mortem expectandam tibi puto. Vt autem qui sci-cet furias fines spectantibus intelligeres, ne accipere Mi-hi dubium nonest, nam innocentis mei patris, con-tra ius fasque ac trucidati, cædis conscientia abs ibi præcipitur: itaque nunc eius mortis vindicem ip-sum experiere. Rex ad subitum rerum innouationem attonitus, interim (nam præter verum venandi indu-mentum quod in negocio illo totus esset, nouum de-posuerat, armorum nihil gerebat) inter duos viros proditores, mortem Dirus medibundus (nam & ALEXANDER stricto pugione, & gladio armatus, & alter, sed tremebundus & timore totus con-cussus, vt conderet, non deputatum ad tale faci-nus patrandum animum videri posset) latus hinc inde claudentes, constitutus, quum aliam euadendi rationem non videret, eloquentia (qua alios plu-rimum pollet, quamque tunc imprimis opus erat) eum aggreditur, multisque prius commemoratis hæc addens, quam tremendum hominis contra se mini-ocentem, nec vllius sceleris sibi conscium, tanto ani-
Oratio pro vita regis ret: quod si, inquit, hæc sententia, quod male exco-gitasti, pessime alequo falsis rerum argumentis vltum abire non posse, nocte imperio summi sce-

lus

[illegible] : quando enim [illegible] liberi fiant dati, [illegible] paterno olim [illegible], [illegible] Anno
[illegible] a te suo tempore [illegible] si [illegible] 1600.
[illegible], [illegible] Regis sui [illegible] impunitè [illegible]: [illegible] mihi crede, si neutrum [illegible] in eam nefandam & [illegible] manicum. Ad patris [illegible] quod [illegible] [illegible] est, [illegible] illius [illegible] mihi pangatur, neque [illegible] tempore adhuc [illegible] animosi [illegible] captiuum, [illegible] & regno [illegible] dominatur [illegible] quidquid ea [illegible] est, [illegible] moderatumque esse [illegible]. [illegible] tamen, & [illegible] bene [illegible] vt qui non [illegible] pristinas vobis restituerim, [illegible] tanquam [illegible] Sed [illegible] conscientiæ [illegible] ubi [illegible] [illegible] religione [illegible] pro [illegible] professus [illegible] [illegible] Dei [illegible] in memoriam [illegible] populum esse [illegible] & [illegible] ordine [illegible] [illegible] inhumana [illegible] disciplina [illegible] Quod si ad [illegible] [illegible] possessionem [illegible] [illegible], quod [illegible]

Anno 1600.

nec si aliundè retegatur, permissurum vt quidquam inde vel pœnæ vel periculi tibi crearet. Hæc quidem Rex serio proponebat, sed ne surdo verba fierent, non parum verebatur: quippe in vultu crudelitas, in gestu fastus & superbia, nihil quidem præsens ex [illegible] tum pollicebantur: tecto cum capite [illegible] ni positas, [illegible], aspectu minaci, Regem pe[illegible] orantem intuebatur: tandem verò tantum effecit Regis pia & modesta oratio, vt primum qui [illegible] stetisset, tecto suo [illegible] capite, iuramento interposito, sic protestatus, se Regem saluum & incolumem dimissurum; si nullum se clamorem aut strepitum editurum polliceretur, seque etiam Comitem fratrem suum, cum Rege colloquendi ergò introducturum. Verùm, inquit Rex, quid mihi cum Comite negocij? aut quid vtilitatis ex mea hac captiuitate ad vos peruenire potest? (si [illegible] [illegible] vita [illegible] est facta.) Cui ille, aut se tantum polliceri, saluam et [illegible] modo quietum se ac tacitum [illegible] contineret; reliqua fratri [illegible] quem iam aduentare [illegible], alterum interim affaturum: ego te hic [illegible] custodem in medio [illegible] ditum constituo: tibi igitur vita & illi caue: si quid enim acciderit, id tuo periculo erit: simul & Regi æquo illum animo ferre oportere: alium quippe neminem si quis ad suum [illegible], habiturum custodem. [illegible] ex hominum [illegible] ius occidendi, aut quo alio fine illi [illegible] tus, & quamuis in isto negocio intelligere [illegible] aspectum Regis trepidus, voce præpeditus, iure iurando interposito, sibi nihil prorsus ea de re constare, sed [illegible] paullo ante Regis [illegible] esse pertractum, & foribus ecclesiæ [illegible] dicebat, quod etiam verisimile ea hominis gens [illegible]

ma-

præscire Alexandro, videbatur. Cum enim toto eo tem- Anno
pore, quo cum Rege Alexander fuerat, nunquā de- 1600.
stitisset, ne quid grauius contra Regem attenta-
ret, obsecrare. Interea Rex quia Alexander abie-
gressum iuramento eum obstrinxerat, ne vel vocē
ederet, vel fenestram aperiret, [illegible] vt
fenestram a dextris recluderet, & si quem e suis co-
spiceret, isthuc aduocaret. cui ille promptè est ob-
secutus Rege in isto periculo versante, nec vllo ē
suis, vbi terrarum esset, conscio. dum à prandio ve-
niunt, ex domesticis quidam Comitem admonet,
Regem iam pridem abijsse, & isthmum iam forte
superâsse. Quod vbi à Comite auditum est nuncia-
[illegible] consilio foras se proripiunt:
in transitu autem quidam ianitorem rogant, quam
pridem Rex discessisset: quibus ianitor constanter
affirmabat, Regem nondum egressum: quem Co-
mes indignabundus iratus, nequam mendacem-
que hominem appellabat: interim ad Lenoxię Du-
cem, & Marciæ Comitem conuersus, sese iamiam
certò, vbinam esset, relaturum aiebat. simul testu-
dinem ascendit, verum in alium finem, fratrem
prope conuenire statuerat, vt ex rei circumstantijs
facile apparebat. eodem enim momento frater, Re-
ge in museo relicto, magna velocitate per gradus
descenderat, exigua tamen interposita mora. Co-
mes ad Ducem cæterosque, ante fores attonitos, re-
uertitur, Regem per posticum iam pridem egres-
sum asserens, adeoque progressum, vt nisi properè
eum vix essent assequuturi. simul equos adduci iu-
bet, quod vbi acceperunt, similiter vno ore equos
poscunt, & isthmum versus properè contendunt.
Dum hæc geruntur, Alexander ad Regem reuersus,
in modum desperantis, expansis brachijs, [illegible]

Anno 1600. vitæ spem [illegible] ; nec aliud se videre,
quam quod Regi [illegible] movendum [illegible]
[illegible] Regis manibus [illegible]
[illegible] oportere, [illegible]
Mense: h[illegible], animum [illegible], [illegible]
quidem [illegible]
[illegible]. Asta ille [illegible]
hendere, qua illi [illegible]
Rex [illegible]
n[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Rex ad fenestram [illegible]
[illegible] que non [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Comite G[illegible] & quid
[illegible] vellet, quam [illegible] nec Rege à se visum [illegible]
[illegible] vna [illegible]
[illegible], singuli v[illegible] ad Regē [illegible]
[illegible] & [illegible] Comes, ad [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Anno 1600.

mè ingressus, dum alijs intendit, interea festinaret auentum vel quaerat, quumque iam magno cum difficultate Alexandri in genua [illegible] sub axilla comprehendisset, cubiculi fores [illegible] at. & eisdem manibus extorquere, [illegible] [illegible] Ioannes [illegible] Eques [illegible] qui quum ex clamore audito, qui sibi potissimum esse videbatur dubitans, in eandem cochleam, [illegible] sic [illegible] vocem per[illegible] ingressus, Regem cum Alexandro [illegible] colluctantem reperit, confestimque [illegible] altero illo se subducen[illegible] per gradus [illegible] praecipitem [illegible] a Thoma Areskino & Hugone Herisio [illegible], excepitus in gradibus hec verbo [illegible] proferens Ego in culpa non eram, [illegible]. Thoma Areskini [illegible] Gouriae Comite coniugis suis retar[illegible] intro se pro[illegible] mili[illegible], nisi Comitem [illegible], velut [illegible] aliquamdiu impe[illegible] [illegible] ad aures delata, in [illegible] Hugone Herisio & [illegible] quodam [illegible] qui in [illegible] Alexandrum [illegible] a tergo Gouriae Comes est sequutus, qui [illegible], capite galea munito, [illegible] gladijs instructis [illegible] proclamans Rex, Conuiro collecto, Alexandri [illegible] gladium, qui illi [illegible]

Anno 1600.

derat, inermis quærebat: sed à suis in [illegible] ulous est retractus, & ostio oblerato [illegible] tis: quem vbi in tuta collocâssent, cum Comite [illegible] suisque seruis manus conserunt: & post multa vulnera vtrimque illata, dedit Deus quatuor [illegible] cumque armatis, de octo probè instructis victoriam reportare: quæ [illegible] Comitis morte [illegible] finem habuit. Hoc enim à Ioanne Ramsiro per præcordia transfixo, & sine vlla [illegible] vel inuocatione vel mentione è vita sublato, seruis [illegible] per gradus, multis plagis sauciis, sunt deturbati: sicut & prædicti quatuor [illegible] victoria sunt potiti. Dum hæc superius peraguntur, Lenoxiæ Dux & Marciæ Comes cum reliquis inferius aditum [illegible] lum, per quem Rex antea transierat, [illegible] facere nitebantur: sed diu frustra. Nam ex [illegible] quum esset, sicut & [illegible] totus, ictibus cedebat, vt post dimidiam fere horam, transitu patefacto, Regem à tam præsenti periculo, longe præter spectationem, liberatum, Comitem proditionis [illegible] ctorem ad pedes mortuum iacentem, accessere. His peractis, Rex in medio suorum, in genua supplex procumbens, Deo pro liberatione tam miraculosa, & victoria tam insperata gratias prolixè egit, [illegible] que pollicebatur, Deum non frustra se ab imminenti isto periculo liberasse, nec dubitabat, quin idem Deus à tanto malo incolumem seruârit, vt qui olim se in maiori negotio ad nominis sui gloriam, & populi sibi curæ commissi salutem, [illegible] rerum à fama per vrbem sparsa, Gouriæ Comitem, vrbi præfectum, esse interemptum, maioris tumultus caussam dedit: siquidem multitudo ex omnibus vrbis angulis concurrens, facinoris ignara, [illegible] vndique trium aut quatuor horarum spacio cinge-

bat

Anno 1600.

hac donec tandem Rex, per fenestram illos alloquendo, & manu signa faciendo, tumultum compescuit, & magistratu vetus in conclaue ad se vocato, rem totam, vt gesta erat, exposuit, deinde quæ ædes & proditorum cadauera, donec quid pleniùs de iis statueretur, illorum custodiæ mandauit. Cæterum scripta & literas diligenter est scrutatus, si forte quid posset reperiri, quod ad coniurationem intelligendam faceret: sed præter marsupium, [illegible] characteribus, & vocabulis incantatorijs plenum nihil est inuentum. in hoc verisimile est Comitem non parum fiduciæ collocasse: nam sine eo nunquam se tutum arbitrabatur, ideoque perpetuò circumgestabat: quin & illud obseruatum est, quamdiu de collo illi suspensum manebat, vulnera quibus periit ne vix quidem sanguinis guttulam distillasse: et [illegible] demptum fuisse, totum corpus abundanti cruore manasse. His peractis dies ad [illegible] solennitatem [illegible] hominum multitudine, vndique magno numero confluentium, in viam sese [illegible] dare potuit. Quater vero quatuor millibus passuum Perthô Falcolandiam versus [illegible] compita, ex omni hominum genere, equitum peditumque obuiam euntium, [illegible] completa, vt applausus gratulatoriique acclamationes [illegible] mille passus exaudiretur. Quæ vero alia letitiæ & gaudij testimonia studia per totum regnum ediderint, quantus ex omnibus [illegible] partibus concursus, quanta tormentorum [illegible] fulmina, quot pyræ vbique accensæ, quam frequentes solarium pulsus, quæ deinde preces publicæ [illegible] fuerint, fusius prosequi non est huius loci.

E familiaribus Comitis Carolus Vemius, Bagla-

Anno 1600.

nus de vita & moribus eius interrogatus, [illegible] prodi-
tionis illius adducti. [illegible] indicia
vllius, dum secum in [illegible], percepisset, se
nihil tale in ipso animaduertere potuisse respon-
dit: an de rebus [illegible] vnquam cum
illo habuisset, rogatus, [illegible]
rationibus, a quibus [illegible]
quo intercessio, [illegible] Comitem delata, [illegible]
um, si [illegible] non futurum, [illegible]
tissimos [illegible] enim, inquit, [illegible]
bere [illegible] Iacobus [illegible]
tione, quæ [illegible] vt con-
silio [illegible] quidem [illegible]
[illegible] quod si [illegible]
bit, [illegible] Iacob [illegible]
illum [illegible] reperisset, in Talmud Iudæorum re-
spondit, [illegible] quæ
[illegible] quid illi vocabulum apud Cabbalisticos, in
Talmud [illegible] respondit, esse voces quas-
dam [illegible] datas [illegible] Deo in Pa-
radiso [illegible] esse [illegible] quam
vllam [illegible] Prophetæ vel Apostoli [illegible]
[illegible] nudā voce nihil requireretur,
[illegible] in Deo fidem neces-
sario adesse oportere dicebat: nec [illegible]
doctos [illegible] quando [illegible]
[illegible] Isto [illegible] quem quum
principio [illegible] postea doctum & pro-
fundum Theologum esse accepisset, de secretis na-
turæ [illegible] cum illo egisse. Ad hæc Comitem
dixisse, non [illegible] in carnem transfor-
mare, quæ [illegible] possint quoque il-
li, vt semen humanum [illegible]
[illegible]

vt hæc

Artes magicæ [illegible]

vt haec tacite [illegible] timendum, quae infestationi exi- Anno
stimaret, nunquam fuerat communis [illegible] Maiestati con- 1601.
[illegible] vt [illegible], ita
de [illegible] ipsi viderint, [illegible]
publicè [illegible], vt cum [illegible]
[illegible] nolunt ad [illegible] vt nihil incredibile
videatur, [illegible] in vita humana [illegible]
[illegible] in ea pace, quae inter Hispaniae & Galliae [illegible]
reges [illegible] conclusa, [illegible] Sabaudiae Duci, [illegible]
[illegible] Marchio Salluciensis [illegible]
[illegible] quod & obtinuit, ea tamen
conditione, [illegible] ex pace non [illegible], sed adhuc
[illegible] Regem & Ducem controuersia erat,
ipsius [illegible] Romani Pontificis, intra annum [illegible]
[illegible] Pontifex qui neutrum offende-
re vellet, [illegible] quemadmodum [illegible],
[illegible] ad deliberandum [illegible]
postulasset [illegible] sententiam ferre, ne
alterutrius caussae praeiudicare videretur, [illegible]
atque inter se controuersias amice componerent
vtrumque per literas & [illegible] hortatus,
Cui rex respondit, se eam [illegible] Pontifi-
cem [illegible] colere, [illegible] causa, [illegible]
[illegible] esse [illegible] Iubentes & aequo ani-
mo [illegible] quod Dux [illegible] esse [illegible]
[illegible] vt [illegible] ipsos de Marchionatu Sa-
lussiano [illegible] Dux quoque [illegible]
[illegible] ad regem misit
[illegible] qui [illegible] studio [illegible] Dux
[illegible] ad Ducem [illegible] retulit,
Solum sine vllo periculo ad Regem adire posse:
[illegible] quod velle, con-
sequuturum, [illegible]
Hac spe [illegible] Lugdunum Dux [illegible], com-
[illegible]

Anno 1600.

tatus plus mille ducentis nobilibus, quos ex suis regionibus conuocauerat; inde nauibus, quas ibi instrui iusserat, Ligeri fluuio Aureliam est delatus: indeque celerius equis Fontem-Bellaquaeum contendit, cum Nemursio Duce, quem ei Rex obuiam miserat. Ibi Dux habitu lugubri amictus, paucis comitantibus (nam maior pars eorum qui secum adduxerant, Lugduni subsistere iussa) à Rege honorificè comiterque pro more gentis, exceptus est & tractatus: nec Rex vel verbo mentionem fecit eius rei, propter quam Dux venerat, à quo interpellatus de negocio, id ad suos consiliarios reiecit: & cum quidam nomine Maximilianus Bethunius, Dominus de Rosni, consuluit cum eo, cui Dux id mandauerat. Quum autem Dux ex hoc colloquio non eam facilitatem, quam fortassis sibi promiserat, inuenisset, atque angeretur, quod honorificè ad suos redire vix posse sibi videretur, timeretque etiam ne aliquid promittere vel signare cogeretur, rursus posse ipsum [illegible] admonitus, Dux significari iussit, [illegible] animo [illegible] nullam ei vim illatum iri, seque tam liberè domum redire posse, quam in Franciam venerit, fidem et datam se inuiolatam seruaturum: quinetiam si timeret sibi Dux, ad fines suae ditionis vsque deductum, Dux tamen, vt Regi etiam gratificari aliquid velle videretur, & tanto honestius è Francia discedere posset: die Februarij vigesima sexta promisit Regi, intra primi proximè sequentis mensis Iunij diem, se Marchionatum Salutiarum redditurum, sic vt eum occupauerat; aut eius loco se traditurum Regi intra dictum tempus, Bressiam, Pignerolium, & Valles [illegible] haec transactio solemniter ab vtroque consignata. Quum autem ad suos reuersus Dux se coactum signasse contractum cum Rege [illegible] diceret, &

promissa reuocans, negotium in longum protra- Anno
heret: Regis arma aduersus se constituit, et quod à 1600.
volente non posset, vel ab inuito per vim extor-
queret. Quū [illegible] a dies [illegible] terminū [illegible]
num exspectasset: Dux que [illegible], [illegible]-
callus, se Legati sui verbis stare nō velle. Rex Lug-
dunum profectus, animum ad bellum gerendum
adiecit. Interea Sabaudus aliam moram [illegible]
[illegible] quum nec [illegible] illam quidquā fieret, Rex scri-
ptum edidit, quo non se, sed Ducem belli auctorem oste-
dit, vtpote qui Marchionatum Salutiarum Fra-
corum regibus per vim ereptum, reddere nollet.
Quum autem nec hæc belli denunciatio Ducem
moueret: iussu [illegible] Regis occupata sunt
duo præcipua Bressiæ & Sabaudiæ loca, per Bironū
Marescallum Franciæ, & Lesdiguierium guberna-
torem Delphinatus. Bressia protenditur in longitu-
dinem ad miliaria triginta, toto triente longior q̄ Bressa descri-
latior. Ad Orientem Dana fluuio, agro Nantuā & ptio.
Mauriciano clauditur: ad occidētē Sauna fluuio, &
territorio Matisconensi determinatur. Ad meridiē
Lugdunēsem prouinciā habet: ad septentrionē, Burgū-
diæ Ducatū. Aeris clementia terræque fertilitate in pri-
mis commendatur. Burgū metropolis eius est, cui ap-
posita est arx, inter munitissimas Galliæ merito
censenda. Ea ergo nocte quæ decimum Augusti diē Burgum ex-
(quo terminus Duci præstitutus finiebatur) sequu- pugnatur.
ta est, Burgum aggreditur Marescallus Bironius,
mille ducentis militibus comitatus. Eorum partim
scalas muris applicare iubet, partim helepolidem
(Petardum vulgo) portæ admoliri. Dum præsidia-
rij ad hostem muros iam ascendentem depellendū
frequentes accurrunt, ij qui ad portam relicti erat,
igne subiecto eam effringunt, aditumque sibi pate-
faciunt

Anno 1600 fecerunt, Marescallius, vno tantum milite amisso, oppidum ingressus, praesidii suis prohibuit, iussitque suos duces sequerentur: quibus mandatum erat, ut eos repellerent, qui resistere, aut vias quibus [illegible] iter erat, praecludere vellent, quam inuadere occupareque [illegible]erat. Sed quo minus id tum statim efficeret, [illegible] ignorantia, [illegible] tas obstitit. Oppidanis vitam, honorem, fortunas saluas esse [illegible] quoque Helmcourt, qui praesidio oppidum [illegible], nullo periculo [illegible] discedendi, [illegible] etiam concessa [illegible] pugnaculis denique arcem [illegible], [illegible] obsessorum [illegible], obsidionis cura domino Sancti-Angeli demandata. Eodem porro tempore [illegible] Rex [illegible] vires [illegible], Desdiguieranum in Sabaudiam ad [illegible] Maurianum [illegible] [illegible] regionem [illegible], cum [illegible] [illegible] sed vires [illegible] Sabaudia [illegible] [illegible], non [illegible] breuiter

Sabaudiae descriptio. describere. Sabaudia [illegible] Galliae Celticae, tota fere montibus [illegible] [illegible] frigido, [illegible] [illegible] [illegible] Alpes [illegible] Delphinatus autem [illegible] [illegible] [illegible] celeberrimumque Sabaudiae oppidorum, quod medium inter [illegible] montes, plano [illegible] [illegible] [illegible] multas [illegible] commoditates. Oppidum ipsum nec [illegible] valde est, nec ciuibus frequens, [illegible] [illegible] bello [illegible]. [illegible] simplices sunt & agresti plerumque

plerum[illegible], [illegible] tamen [illegible] Anno
[illegible] [illegible], [illegible] tamen 1600.
[illegible] Sabaudis plerisque omnibus
[illegible] est. Mom[illegible] [illegible] [illegible]
arcem (quae magnitudine oppidi [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] aut
[illegible], aut aliam ob causam. Delectis [illegible]
[illegible] copijs, quas ad arcem oppugnandam conve-
nire iusserat, Cre[quius] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] & [illegible]
[illegible] equitibus praemissis, ipse cum [illegible]
copijs subsequutus [illegible] qui [illegible], qui
[illegible] deserto, in arcem confugerant, [illegible]
statim occupat, [illegible] in castra venit, cō-
[illegible], quae in oppido [illegible] rebus,
[illegible] metropolim & Parla-
mento Sabaudiae [illegible]. Huic enim bello [illegible]
[illegible] praefectus erat MARESCALLUS BIRONGIUS
[illegible] Delegit [illegible]
Sabaudiae: ubi [illegible] [illegible] alio-
[illegible] oppidorum [illegible] [illegible] Chamberia de-
[illegible] in arce [illegible]
[illegible] [illegible]. Vere-
bantur [illegible] oppido [illegible] in alia
loca, quae [illegible] contentioni
[illegible] difficiliorem redderent oppugnationem.

Conflans [illegible], qui praesi- Conflans.
diariorum (mille & ducenti erant) [illegible]
[illegible] Videntes enim regem cohortibus [illegible]
oppugnationem [illegible], vitam [illegible]
praetulerunt [illegible] oppugnationis, [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible]. Horum exemplum qui in [illegible] Myo- Myolanum
lanu[m] erant, [illegible] deditionem [illegible] [illegible]

hostium-

Anno 1600.

horrenda præcipitia, in rupe altissima sitæ, fuerint. Carbonaria, rupes potius quam arx, quum fortiter aliquamdiu oppugnationem sustinuisset, tandem & ipsa in regis potestatem concessit. Inter deditionis leges fuit, vt præsidiarij, relictis vexillis, discederent. Ea conditio quum quibusdam displiceret Gallis arcem tradere, nisi vexilla (honorifica magis quã fructuosa infelicis militiæ signa) secum efferre sibi liceret, recusarunt: quorum honesto desiderio rex satisfecit. Sola restabat arx Momelianensis, quæ Gallorum impetum remorari posse videbatur, nec enim cuniculis suffodi, nec scalis admotis inuadi poterat: & ab omni tormentorum vi tutam plerique militiæ gnari iudicabant. Sed tamen præter hanc Sancatharini quoque (quod firmissimum erat haut procul a Geneua propugnaculum) munitioni Sabaudus plurimum quoque fidebat. Vtramque rex simul & eodem tempore oppugnare decreuit. Sancium ad Sancatharinum mittit, qui Geneuenses præsto esse, resque ad oppugnationem, quæ ipsorum commodo fieret, necessarias subministrare iuberet: ipse Momeliano copias circumfundit, magnas quidem arcem obsidentibus, oppidum, quod vt diximus, iam ante fecerat deditionem, afferebat commoditates: vix tamen vllus locus collocandis ad arcem conuerberandam machinis idoneus reperiebatur. Sed omnia potest industria. Tandem enim, diligentia maximè & ingenio Romij viri, militaris effectum est, vt triginta tribus, diuersis in locis dispositis tormentis & muri vrbis arietarentur, & præsidiarij defensione prohiberentur. In descensu vnius montium, quos arcem vndique claudere diximus, prærectus erat collis, vineis consitus. In huius vertice septem tormenta, laterorum vi

Momelianum obsidet.

eo per-

eò pertracta, prædictus Ronius collocauit, vt ijs arcis muri quaterentur, ad pedes verò cuiusdem collis duas alias tormentis designauit stationes, tàm contra propugnaculum, Maurosinum vulgò dictũ, quàm loca alia, ad quæ ictus pertingere posse videbātur: è quibus etiam quati poterat turris quædam vetusta, forma quadrata, ruinamq; minitans, quod olim ab exercitu Francisci primi, Regis Francorũ, fuisset concussa. Citra fluuium quoque duobus locis positę machinę displodebantur in inferius propugnaculum, inferebantque damnum ijs qui exire, & oppugnantibus resistere, aut etiam murorum ruinas restaurare vellent. Hæc maiorem quam vlla alia res timorē incussit obsessis: qui intereà (quippe tormentis eorumque apparatu probè instructi) globos & tela in hostem spargere nunquàm cessabant. Rex ergo quum protrahi obsidionem videret, obsessos iterum monet, vt se dederent, nec tot tormentorum impetum exspectarent, aut militum rapacitati se exponerent, quibus nihil magis in votis esset, quàm locum tam celebrem deprædari. Heîc Brandisius arci præfectus, non præstitit eam constantiam, quam Sabaudus sperauerat. Impetratis enim quinque dierum inducijs, tandem cum Rege ita conuenit, vt nisi intra menstruum spacium Dux obsessis auxilio veniret, arx dederetur, præsidiarij cum omnibus, quæ gestare possent, excederent: & è centurionibus aliquem, qui hæc pacta Duci significaret, mittere liceret. Ita ergo Rex, quum intra vertentem mensem ex aduerso nemo cōparuisset, arce munitissima, præter multorum spem exspectationemque, decima sexta Nouembris die est potitus. Brandisius, qui hac deditione varijs, ijsque pa-rum secundis de se rumoribus causam præbuit, scri-

Anno 1600.

deditur.

Anno 1600.

ptum edit, quo facti sui rationes explicat, ac nominis sui existimationem & honorem duello defendere paratum se dicit. Quum tamen Sabaudiæ Ducem nō leuiter à se offensum animaduerteret; venire ad eum recusauit: quæ res suspicionem de ipso conceptam valdè auxit; præsertim cum magnis quoque muneribus à Rege affectus diceretur. Sunt qui existimēt, bellū hoc omninò præter opinionē Sabaudo accidisse: qui adulta iam æstate. eū annū securū sibi & quietum, nisi qua ab excursionibus, pollicebatur; eaque de caussa quæ ad bellū necessaria præparare neglexit. Nihilominus quū audisset quo in statu Momelianum esset: exercitū quantum potest contrahit, & per vallē Augustæ profectus, ad Emęum castra figit. Galli hyemis iniuria vexati, nihil magis quàm prælio decertare cupiebant: Ergo obuiam proficiscuntur: & tentata fortuna, vtrimque multi interficiuntur, tandem vero Sabaudicæ copię equestres maximè, pabuli inopia confectę, retrocedere compelluntur. Rex Desdiguierę cū parte exercitus Mustierfij relinquit, qui regionem Tarentasiensem ad imperata facienda cogeret: ipse ad oppugnationem Sancatharini propugnaculi proficiscitur. Paulò ante Regis aduentum centurio quidā ex obsessorum numero Regis permissa inde egressus erat, vt Nemursium ducem inuiseret, qui Regis cum venia, quod Sabaudiæ Duci affinitate coniunctus esset, ab eo bello abstinebat. Rex Duci Nemursio mandat, vt dictum centurionem ad se duceret Lelusellum, vbi tū diuersabatur, duobus aut tribus stadijs Sancatharino distantē vicum. Hunc Rex alloquutus, ostendit quanę vires suę sint; quàm exigua obiectis in Duce spes esset: facileque persuasit, vt ad suos

ad suos reuersus deditionem pro virili promoueret, in quam non multò pòst præsidiarij consenserunt, his legibus, vt nisi intra 10. diem Dux eis tulisset auxilium, armatis, sub signis exire, & bellicorum tormentorum, quæ ibi essent, trientē, educere secum liceret. Interea dum deditio expectatur, nūciatur Ducē Tarentasiæ venire: cui obuiam proficiscens Saelsionensis Comes, prius de discessu, quàm aduentu eius cognouit. Sancatharinum propugnaculum, importunis G. neuēsiū precibus solicitatus, euerti Rex permisit: ipse Lugdunū magnis itineribus contendit, vt reginā sponsam suā, quæ nuper ex Italia eò venerat, videret. Hoc felici & inusitato belli progressu moti Principes & Respublicæ Italiæ, verentesque ne belli scintillæ vltra Alpes spargerentur, & Italię pax turbaretur: Pontificem Romanum hortati sunt, vt bellum inter Regem & Ducem cōponere studeret. Is nepotē suum Petrū Aldobrandinū Cardinalē, ad Regem Ducemq; ablegauit, vt vtrumq; ad pacis studiū inflecteret, atq; ita omniū Christianorū quieti cōsuleretur. Cardinalis primò Ducē conuenit, cuius quum singulare pacis studiū intellexisset, hortatus est, vt è suis aliquos ad Regem secum vnà proficisci pateretur, qui tractationi interessent. Adiūxit ergo Dux Cardinali comites, Franciscū Arconatū, & Renatum Lusingium, magnæ experientiæ viros: Hi cum Cardinali Chamberiacum ad Regē profecti sunt, qui 26. Nouembris die Nicolaū Brulartum, & Petrum Ioanninum Nantum deputauit, vt Ducis postulata audirent, eisque responderent. Ipse enim, vt diximus, Lugdunū ierat: & de Cardinalis aduentu certior factus, vt eò sequerentur se, rogârat. Lugduni ergo de pacificatione, Cardinali

Anno 1600.

Sancatharinū occupatum.

euertitur.

Pontifex pacē tractat.

Anno 1600. dinali sequestro, primùm agi cœptum: quò quum nuncius de euerso à Geneuensibus Sancatharino esset allatus, Cardinalis tractationem abrupit. Rex de eo certior factus, idque pro noui belli initio habés, exercitui suo omnia hostilia libera esse iussit, ducibus quoque copiarum mandauit, vt arma tam ad se defendendos, quàm hostibus nocendum parata haberent; permisit quoque Geneuensibus, vt demolitionem propugnaculi incœptam perficerent: quòd illi tanto studio fecerunt, vt postridie ne forma quidem aut primæ eius delineationes apparerent. Hoc pacto abiecta omni spe pacis, nullus nisi de armis, equis, pecunijs erat sermo. Quum autem Ronius Cardinalem inuiseret, vt in Italiam profecturo valediceret, is mentionem fecit interruptæ tractationis; rogans, Regi significaret, sibi nihil accidere posse iucundius, quàm vt intermissa actione continuata firma tandē pax & amicitia coiret: quæ post multam disceptationem in has tandem leges

Pax facit. facta est, vt Dux Marchionatum Salussanum retineret, proque eo Regi Bressam, Bangianam & Verongam valles traderet, cum omnibus locis, quę sunt inter Rhodanum & Saonam, fluuios. Hanc pacem postea quoque Hispaniarum rex, etsi nonnullas eius conditiones rebus suis maximè incommodas diceret, ratam nihilominus habuit: & sic vniuersæ Galliæ quies est restituta.

Canisa à Turcis obsessa. Quum de pace, quam suprà diximus tractatam, inter Christianos & Turcas conuenire non posset: Turcarum tyrannus duodecim Ianitsarorum millia Constantinopoli Budam misit, vt cum reliquis finitimis præsidiarijs, Christianorũ rebus quacũq; possēt ratione incōmodarēt. 4. Septēb. die ex itinere Bubotiũ nostrorum magis ignauia, q̃ sua virtu

te re-

se recipiunt. Erant enim in oppido præsidiarij supra quingentos, rebus omnibus necessarioque apparatu instructi: sed timore perculsi, vix expectato primo impetu, deditionem fecerunt: & ex pacto incolumes Pappam deducti sunt. Octauo Septembris die ad Canisiam Turcæ castra posuerunt, munitiones excitârunt, & tormentis locatis, oppugnandi fecerunt initium. At nostri eruptione facta, Turcas propugnaculis suis eiecerunt, machinas clauis ferreis confixis inutiles reddiderunt, vnam etiam hosti ademtam, in oppidum pertraxerunt. Etsi verò exterius propugnaculum Turcæ quàm vehementissimè inuaderent & oppugnarent: à nostris tamen semper cum magna suorum cæde sunt reiecti: Interea Vngaricus exercitus, ductore Duce Mercurio, ad Muram fluuium Calendis Octobris peruenit: & eo statim die traiecto fluuio, obsessis aduentus sui signum dedit. Vesir Turcarum, nostrorũ paucitate per exploratores cognita, Mercurium monet, ne tã exiguas copias tanto suorum numero obijceret, aut existimaret obsidionem tantillis viribus solui posse. Cui cordatè simul & piè Mercurius responderi iussit: Non se dubitaturum etiam multò minoribus viribus quantumuis immensam Turcarum infidelium multitudinem, immò si vel ipsos cacodæmones à suis partibus haberent, inuadere, & Dei auxilio profligare. Dum nostri progrediuntur: hostis cohortes aliquot castris educit, & colliculo occupato nostrorum aduentum prestolatur. In hos missus cum equitibus suis Colonitsius, leuia aliquot prælia conserit, dum nostri aciem suam instruunt, & tormentis hostilem disturbant. Sensim ergo Turcæ pedem referunt: nostri verò castra castris quàm proximè possunt, opponunt. Ita dum vtrimque si-

Anno 1600.

Anno 1600. bi ab hoste propinquo timent, nox ea per quietē fuit transacta. Postero die nostri ad hostem ducūt, & sub signis instructi, prœliū poscunt. Sed castris se continebant hostes, quibus tuti, facilè omnem nostrorum vim eludebant. Herberstæinius tamen, Hofkirchius & Colonitsius, dum castrorum aditum speculantur, in Turcarum aliquot turmas, haud procul à castris inciderunt, & consertis manibus, Turcisque in fugam actis, ad tentoria ipsorum vsque insequūtur; paucisque desideratis cum quatuordecim machinulis cāpestribus, quas hosti eripuerant, læti ad suos reuertuntur. Turcæ ergò alia via nostros aggrediuntur, & à tergo circūfusis copijs, omnibusque viarum angustijs, quæ frequentes ijs in locis, obsessis, in magnā rei frumentariæ difficultatem nostros conijciunt; adeò vt quamuis magna annonæ vis aduehi, & in itinere iam esse diceretur, nihil tamē in castra potuerit adduci: Hac necessitate coacti nostri exercitum reducunt: sed nec discessus periculo caruit. Hostis enim vndique consurgens nostros iam in medium penè inclusos, neci certissimæ destinabat. Ac pro-

Auxilium diuinum. fectò ad incitas res iam redierat; nisi desperato auxilio humano, diuinum se ostendisset. Sub crepusculum enim vespertinum, dum nostri vndique circumuenti in maximis versātur angustijs: aër inhorrescit, tenebræ conduplicantur, tonitru cœlū remugit, crebrisque micat fulguribus: inde turbo rapidissimus primum nostrorum castra, sed sine damno, mox Turcarum peruadit, ex equis nonnullos deijcit, omniaque terroris implet. Hac veluti diuinæ opis præsentia nostrorum animi recreati, noctis etiam densissimæ beneficio vsi, hostili mucroni iugulum subduxerunt. Nostrorum discessus

fregit præsidiariorum animos valdè debilitauit, Vngarorum præsertim: quorum nonnulli ad hostem iam fugientes, quo in statu res oppidi essent, aperuerunt. Germani primùm quidem à præfecto admoniti, alacres se & oppidum ad extremum vsque spiritum defendere paratos declarârunt: sed Vngarorum defectione, hostiumque viribus consternati, & ipsi deditionem fieri flagitârunt. Ita ergò 22. die Octob. locus totius Stiriæ munitissimus in Turcarum potestatem concessit: præsidiarij verò cum omnibus suis fortunis ad Murâ vsque fluuium incolumes sunt deducti: Paradisius, qui oppido fuerat præfectus, Raquelspurgi Duci Mercurio se sistit: sed ab eo ad Matthiam Archiducem remissus, ex Cæsaris mandato paullò post facti sui rationes reddere iubetur: quumque parum se purgaret semèl etiam fugam explorâsset, cũ alijs quibusdã, post annũ demũ, q̃ nostri Canisiæ obsidionẽ infeliciter iẽcâssent, dextra primũ, deinde capite, vt periurus, fuit trũcatus. Oppido recepto Vesir Turcarũ 3. peditũ millia, equites quingentos præsidio imponit, & 12. ad Trauirij ã excitatis castellis, liberum sibi aditum muniti: inde circummissis vndiq; litteris, profugos vt reuertantur monet, promissa 3. annorũ ab omnib' tributis immunitate. Anno 1600. *Paradisius capite truncatur.*

Mense Octobri nuptiæ inter Henricum IIII. Franciæ & Nauarræ regem Christianissimum, & Mariam Medicæam magni Hetruriæ Ducis filiam, celebratæ sunt: quarũ pompã, quantũ quidem ad nostrã peruenit notitiam, paucis describemus. Dũ Rex in Sabaudia bellũ prosperè gerit: Legrand ũ, fidũ sibi hominem, Florentiam mittit, qui sponsam accerseret, & in Galliã deduceret. Is quũ vicesima Septẽb. die Liuorniã appulisset, triduo post, Ioãne *Nuptialis pompa reginæ Gallorum Florentiæ.*

Anno 1600.

& Antonio Medicis, cum magno nobilitatis numero, comitantibus, Florentiam est ingressus. Vbi ad aream Pythiam peruenit: magnum Florentiæ Ducē obuium habuit; & vtrimque facta salutatione, eundem Regis nomine paucis verbis compellauit: palatium inde ingressus, eo ipso vespere regiam spōsam accessit, eique regis litteras tradidit. Biduo post qui vicesimus quintus erat Septembris, Duci legationis suæ diploma exhibuit, quæque alia in mandatis habebat, exposuit. Romæ Sillerius erat, Regis ad Pontificem orator. Is audito Legati aduentu, cōtinuo & ipse Florentiam properauit. Eodem Dux Mantuæ secunda Octobris, & postridie Venetorū Legatus venit. Quarto Octobris Cardinalis Aldobrandini aduentu nunciato; Florentini magno numero ad aream Pythiam confluxerunt: & Duce ipso præeunte, ad portam vrbis obuiam processerunt, inde Legatum cum Romana & Geneuensi nobilitate reuerenter exceptum, magna pompa in vrbem perduxerunt. Agmen ducebat monachorum, aliorumque clericorum, quos vocant, ordo: sequebantur apparitores & ministri vrbani; inde Cardinalis & Ducis familiares. Post hos quinquaginta equites hastati, loricis & galeis armati, rubris sagis superinductis, seni equitabant; inde sex tubicines; mox rhabdophori vrbani: proximè hos Florētini nobiles Romanis & Genuatib' permisti, à duobus veluti Imperatoribus ducebantur, ocreati quidam, quidam sine ocreis & calcaribus, pro vt quisque in equum insilierat; sed splendidissimè amicti omnes. Inde muli viginti vnus clitellarij, Cardinalis vtensilibus onusti; post hos eiusdem equus rubro holoserico instratus, cum alijs tribus, agebantur: Sequebatur alia nobilium caterua, binis item ducto-

ductoribus præeuntibus. Post hos proceres Ecclesiastici: inde flos Romanæ nobilitatis, Marchio Corniæ, Columna, & alij. Cardinali duo corynephori bina sceptra aurata; vnus verò crucem præferebant: ipse Pontificaliter amictus, sub vmbella, quam octo Florentini nobiles iuuenes gestabant equitabat, sinistrum ei latus Florentiæ Dux claudebat; pone sequentibus sedecim Prælatis, quos Cardinalis Roma secum adduxerat. Agmen quinquaginta alij hastati è prætoria Ducis cohorte clauserunt. Cardinalis portæ iam appropinquās, ex equo descendit, & in genua procumbēs, Pacem est osculatus. Inde templum primarium ingressus, dictis precibus ad palatium contendit: post cœnam, præsentibus Florentino, & Mantuano Ducibus, Virginio Vrsino, Ioanne & Antonio Medicis, regijs item Legatis, Pontificis nomine regiæ sponsæ est cōgratulatus. Biduo post, quinta scilicet Octobris, sponsalia magnificentissimè celebrata sunt: eodemque die Duci non ita pridem natus filius sacro lauacro tinctus est, Venetorum Legato suscipiente. Appetēte iam nocte, vniuersa aula choreis perstrepebat; inde ad cęnam itum, exquisitissimo & planè incredibili apparatu instructam, non veris tantū epulis, sed ijs etiam, quæ præter oculorum delectationem nihil habent. Visebantur Elephanti, oleæ & imprimis Cosmi Medicæi, qui primus in hanc familiā principatum intulit, effigies, aliaque. Vbi sponsa cum Cardinali, Duce Mantuano, & Florentino (qui ei dextram hoc ordine) itemque Mantuani, & Florentini, & Virginij vxoribus (quæ ei ad læuam) cōsedissent: prima fercula illata sunt: quibus remotis, mēsa mirabili artificio in duas partes dissilijt, quarum vna ad dextram, altera ad læuam sensim abs-

Anno 1600.

 cessit.

Anno 1600. cessit. Aubeus autem alia velut è solo emergebat mensa, bellarijs, nectare & ambrosia exquisitissimè instructa: quæ quum & ipsa oculis se subduxisset, tertia, pretiosis lapillis, speculis, alijsque aspectu incandis rebus præfulgens, & longè lateque splendorem iaculans, successit: quarta inde, licet multa iam hyeme, Alcinoi hortos, in quibus varij generis flosculi, & arbores fructibus onustæ, cernebantur, mediam æstatem repræsentabat. Vix hęc mensa prodierat: ecce superrè ad vtrumque latus binæ nubes emergebant, quarum vni Florentina virgo, Dianæ personam gerens; alteri Eunuchus quidam insidebant: & alternis vocibus dulcissimo cantu, omnium aures mira voluptate permulcebant. Omnium oculos tenebat abacus, Lilij formā gerens, margaritis & vnionibus pretiosissimis vndique exornatus; & vasis aureis & argenteis, magno numero, onustus. Sequens triduum venationibus, & alijs ludicris certaminibus fuit datum. At nona

Comœdia apparatu admirabilis. Octob. incredibi sumptu Comœdia fuit peracta, quæ & aures & oculos spectatorum admiratione, ac tantum non stupore oppleuit. In primo actu biceps ille Parnassus repræsentabatur, binis fontibus scatens; quorum vnus poe .è in vertice montis, alter ad eius pedem, supra quem Pegasus volitabat. Inferiori adsidebat Poësis, quæ initium cātu faciebat: cuius vocem mox nouem Musæ, monti inclusę, exceperunt, tanta vocis & musicorum instrumentorum dulcedine, vt vix vnquā quidquā suauius fuerit auditum. Vbi Musæ canerè desierunt: Poësis è monte descendit, Prologum quàm suauissima voce decantans: eoque decantato, pedetentim montem rursus conscendit, & in vertice eius consedit. Excipiunt rursus Musæ; quibus ca-

nentibus, mons sensim subsidit, & è conspectu abit. In secundo actu primùm sylua quædã nouellis & viridantibus arboribus consita cernebatur, sub quibus Cephalus, venatione fessus, cum ministris suis somnum capiebat. Mox cœlo descendit Aurora in nube, ad terram vsque pertingente, & quam suauissimè canere incipit. Sono exciti ministri Cephalum excitant: quem Aurora alloquuta, blandis verbis amorem eius captat: ipse verò venationis studijs totus deditus ad primam amoris mentionẽ tergiuersatur, & subducit se post virgulta latens: eum verò Aurora insequitur, multis verbis dolorẽ suũ testata. Interea Tithonus Auroræ maritus nube aduehitur, & amissã cõiugẽ deplorat. Qũ binæ hæ nubes euanuissent mare lilijs candentibus plenum enascitur, ex eo mox Oceanus, delphino insidens emergit, cui Sol quadrigis vect⁹ occurrit: qui cõgressi admirãtur quid sit q̃ tã serò dilucescat. Superuenit Cupido, nubi insidẽs, cuius vtrumq; latus duæ aliæ nubes claudebãt in quarũ vna Amor, in altera 4. alij insidebãt, qui, post longum satis Oceani, Phœbi & Amoris colloquiũ, aërẽ ætherẽq; cãtu mulcebant. Interea delphin⁹ cũ Oceano submergitur, Sol occidit, Cupido cœlũ repetit, Amore in terris relicto. Tertius act⁹ secũdũ habuit Cephali & Auroræ cõgressũ; in quo Cephal⁹, sicut antea, Amori reluctãs, ab Aurora iterũ se subducebat inde Nox infernè emergẽs, Auroræ tarditatẽ & morã incusabat. In 4. actu Terra itidẽ Aurorã absentẽ requirebat: & habito cũ Amore colloquio, rogabat, vt Aurorã, cũq; ea diẽ q̃ primũ reducere vellet. Interea Iupiter, tot q̃relis fatigat⁹, Mercuriũ è cœlo mittit, & q̃relis mederi iubet. Is amorẽ in terris repertũ secũ in cœlũ regredi iubet

Sub-

Anno 1600.

Anno 1600.

Subuectis illis, cœlum dehiſcit; è quo duodequinquaginta perſonę prodeuntes, mirabilem edunt cócentum: mox Iupiter apparet, aquilæ inſidens, & Amorem ad Auroram, cui valdè ſuccenſere ſimulabat, è veſtigio reducendam ablegat. Dum Amor cũ Aurora ſermonem miſcet, Cephalus accedit; qui Amoris inſtinctu tandem Auroræ mirifico amore correptus, cum ijs vnà in cœlum ſubuehitur. Tandẽ in extremo actu Fama producebatur, excelſo monti inſidens; iuxta eam præco, ſuauiſſima voce magni Ducis laudes decantãs. Ad vtrumque latus octonæ ſedebant perſonæ, præcipuarum vrbium, quæ Duci parent, arma & effigiem gerentes. Paullatim inde montis tumor euaneſcit; ſedecim illi perſonæ deſcendẽtes reginæ congratulantur, & iubila edunt; Fama cœlum repetit: tandem è monte iã depreſſo lilium enaſcitur, aurea corona ſuper impendente. Mythologiam lectoris iudicio relinquo. Paucos inde poſt dies regina cum claſſe octodecim triremium Linornia ſoluit, & ventis ſecundis vſa breui Marſiliam tenuit. E naui egreſſam Cancellarius, magna nobilium virorum frequentia comitatus eleganti excepit oratione. Auenionem inde deductam, ciues magnifico apparatu, & triũphali curru in vrbem introduxerunt. Ad fores Cancellarij ſequens Elogium deſcriptum pendebat:

Henricus Quartus, cognomine Magnus,
Henricus Gallus, Pius, Victor,
Inclytus, Fortunatus, Clemens,
Gallicus, Nauarricus, Allobrogicus:
Pater patriæ, heros ſtupendæ fortitudinis,
Exteris formidoloſus, iuxtà amabilis;
Publicæ quietis auctor; priuatæ aſſertor:

Miles

Miles inter strenuissimos, inuictissimus; Anno
Imperator inter summos egregius: 1600.
Rex inter felicissimos, fortunatissimus:
Futura ætatis specimen, præteritæ terror,
Miraculum nostræ: coniunx Maria Medicæa,
Noua Clodilda, atq; ex ea noui Herculis pater,
Quod publica vota flagitant, mox futurus: hodie
Cum regina, coniuge felicissima, scito populi,
Decreto Senatus, Edicto Principis, Auenionem,
Nouam Romam, propitius ac serenus, omnium
Ordinum studijs magnis, qui curru, specie ac
Vultu triumphantis sublimis ingreditur.

Lugdunum inde profectam, lætissimisque ciuium acclamationibus exceptam, Rex paucis comitatus, è bello Sabaudico redux, conuenit; vbi etiam 17. Decembris nuptiæ regali planè pompâ sunt celebratæ. *inde Lugdunum.*

(***)

MER-

MERCVRII GAL-LOBELGICI SVCCEN-TVRIATI

LIBER VI.

IN QVO RES GESTAE AB ANNO M. DC. *vsque ad annum* M. DC. I. *exponuntur.*

Essexius tumultuatur.

NOui sæculi initium ordimur; sed non minus q̃ superiora fuerant ferrei, & infidi. Rarò quippe meliora, vel malis succedunt. Sed quid? vbi viuimus? In mundo scilicet: cui perpetuum, turbari, misceri. Aut igitur hæc talia spectanda sunt, & ferenda; aut hinc exeundum. Nos illud faciamus; dum hoc facere iusserit magnus ille imperator.

Initio huius anni, magnus fuit & periculosus in Anglia motus ab Essexio Comite excitatus; quem ad magnos honores regina prouexerat; eiusque opera forti sæpè & fideli antè fuerat vsa. Sed profectò verum est, non minoris esse animi secundas res quàm aduersas rectè ferre. Is siue pro meritorum ratione parùm se cultum existimans, siue cæca magnarum rerum spe ductus, aut vt quidam volunt, priuatis simultatibus impulsus; rebus nouis studere & præsentem regni statum iniquo animo ferre, Tironio etiã Comiti, qui iãdiu in Hibernia rebellat, occultè fauere credebatur. Eius rei quæ indicia quædam ad reginam permanâssent; iam e-

riam multorum nobilium ad eum concursus fieri dicerentur: regina è consiliarijs suis præcipuos mittit, qui postulata ipsius audirēt, & vt seditiosos à se omnes segregaret, monerent. Ille non modò non quietiora consilia est amplexus; sed etiam reginæ suæ Legatos per vim detinuit, mortem eis, si discedere tentarent, interminatus. Mox Londinū cum coniurationis popularibus profectus, rumores de regina, & ijs quorum opera in administrādo regno ea vtebatur, parū honestos spargi curāt, & populum ad seditionem concitare quouis modo annititur. Regina, misso præcone, rebellionis eis pœnam denunciat: simulq; ciues, vt in officio manerēt, cohortatur. Pergunt illi nihilominus, & regios quosdā ministros malè mulctāt, quosdā etiā interficiūtq; mox omnia tumultu & sanguine redūdatura videbātur, nisi apud populū plus fides & reginę amor, q̄ incerta spes à cōiuratis ostēsa potuisset. Essexius, Rutlādus, Sothāptonius Comites, à suis destituti à reginæ ministris mox cōprehēsi sunt, & in vincula coniecti. Pro Essexio multi, inprimis Dux Bullionius deprecabātur, sed impetrari nihil potuit: sq; non multo post securi in carcere Londini percussus, vitā honestè & laudabiliter hactenus peractā, ignominiosa & acerba morte finiuit. Bona eius regni Senatus fisco adiudixerat: sed ea regina filio eius, innoxię ætatis misereta, concessit. Eaut nunc qui sibi & alijs nimiū fidunt, nec cadere posse videntur.

Anno 1601.

capit. plect.

Dum hæc in Anglia fiunt: Pragā veniūt Persarū regis Legati, Antonius Serlaus, Anglus natione, & Cuchinus Oly. Begus, Persa, cū litteris Latina lingua conscriptis, & alijs amplioribus mandatis: ad quæ Cæsar sic respondit: Quū Persarū rex amici-

Persarum ad Cæsarem Legati.

Anno 1601. tiam suam vltrò sic ambiat, atque etiam fedus cõtra Otomannicam tyrannidem cum Christianis Principibus cupiat, magna cum voluptate percepisse: atque ex eo facilè colligere quàm heroico animo, quantaque prudentia sit præditus; nec dubitáre quin ex hoc consilio maximam apud omnes Christianos Principes, & exteras etiam nationes, quæ Turcarum tyrannidem detestantur, laudẽ sit consequuturus. Se quidem in euertendis Turcarũ opibus, nullis sumptibus, nullis viribus parsurum: sperare vicissim, regem quoq; tàm præclaram occasionem rebus suis consulendi minimè prætermissurũ. Interea verò dum Cęsar reliquos Europæ Reges, Principes, ac Respublicas ad bellũ Turcis, communibus armis inferendum exhortatur; ipse Moscouitarum Ducem ad fedus sollicitaret, cui iam pridem inuisæ sint Turcarum vires, & grauis tyrannis. De cetero Cæsarem vicissim regi omnia beneuolentiæ & humanitatis officia offerre ac promittere, omniaque quæ ad ipsius dignitatem augendam & commoda promouenda pertinerẽ videbuntur, lubenter & sedulò procuraturũ. Hoc responso accepto, Legati, vbi Pragæ aliquamdiu substitissent, domum ad suos redierunt.

Militis partus Hoc anno res mirabilis accidit: quam equidem diu dubitaui vtrum scriberem, an vt rem vel vanam, vel parum memoratu dignam, cum multis alijs nugamentis in Relationum illarum Historicarum rhapsodijs iacere paterer. Vicit tandem & rei ipsius nouitas, & exemplum. Nam si Plinius alijque quorundam in alium sexum trãsformationes non crediderunt tantùm, verùm etiam litteris prodiderunt: quid ni idem nobis facere liceat in re, quæ quantò minus habet admirationis, tantó plus

plus fidei meretur? Piadenæ in Italia quum Pontifex, vt infrà dicemus, militem conscribi iussisset, quem in Vngarā mitteret, inter alios, Germanus quidam, Daniel Burckhammerus, Puchēsis (quod est ad lacum Podamicum oppidulum) nomen dedit. Is quum vnà cum vxore sua, quam secum adduxerat, nocte quadam cubitum concessisset; acerrimos primùm ventris dolores suboriri sibi conquestus, paullò pòst infantem parit. Res palàm fit: tandem ad magistratum quoque defertur. Examinatus, androgynum se fatetur: infanti sibi virile nomen inditum; puerum postea sartoriam artem didicisse: tandem stipendia facere cœpisse, in Vngaria primùm, vbi septem annos Cæsari militârit, deinde in Belgio sub Hispaniarum regis vexillis. In Belgio quum esse, semel cum Hispano quodam rem habuisse, è cuius concubitu fœtus hic sit procreatus: sed clàm rem omnem habuisse; neq; vxorem, quę virum se nunquam fuerit experta, cuiquā verbum vllum ea de re fecisse. Hæc ita è confitentis ore ab Actuarijs excepta; & in publicos Commentarios relata sunt: infans inde, fœminei sexus, Ecclesiasticorum permissu, baptizata, Elisabethæ nomen accepit: totaque Italia rẹs hæc prodigij loco habita fuit. Anno 1601.

De Polonorum in Sueciam expeditione, & infelici eius successu, suprà à nobis dictum est. Post eorum discessum, Carolus Dux Sudermaniæ Liuoniam pænè omnem peruasit, loca munita occupauit, iamq; breui Polonos inde omninò electurus videbatur, nisi Coquovicius cum Polonorum exercitu ei ad Coquehusam occurrisset; vbi acri inito prælio, Sueci fusi sunt. Hanc suorum cladem vlturus Carolus; copias recolligit: & viginti milli- *Res Suecica & Polonica.*

Anno 1601. bus virorum è Suecia euocatis, Polonos ad Vendã inuadit, & Coqueuicio capto, cædit ac fugat: inde Rigam, primariam totius Liuoniæ ciuitatem, obsidione cingit. Huius cladis nuncio in Poloniam allato, Ioannes Zamoscius, magnus Regni Cancellarius, iter quod iam ante in Liuoniam ad Caroli impetum coërcendum, de communi regis & Senatorum consilio instituerat, quantum potest, maturat, & missis litteris, bellum denunciat. Etsi, inquit, nullo tibi iuris sumus adstricti vinculo, qui contra ius omne, leges & consuetudinem, bellum nefarium nobis, nullis prouocatus iniurijs, intulisti: non Sueciam solùm, sed Poloniam etiam & Lituaniam ad tumultum concitâsti; Liuoniam prouinciam à Polonis & Lituanis multo sudore & sanguine partam, iamq; tot annos pacifice possessam, hostiliter inuasisti, lacerâsti & depopulatus es, eamque hodie etiam tenes, & vt propriam vêdicare tibi conaris; nec iccirco op⁹ fuit, vt quid nostræ sit in eo voluntatis, tibi denunciaremus: tamen ne ex nostra parte quidquam intermittamus, quod ad legitimum bellum spectat, more maiorum nostrorum, qui vt iniustam vim nemini vmquam intulerunt, ita illatam quibuscumque potuere rationibus fortissimè semper propulsârunt, omnem amicitiam tibi tuisq; e socijs & auxiliatoribus renunciamus, nosque iniurias nobis factas vlcisci, & tecum prœlio decertare, in Dei omnipotentis nomine, in quo solo confidimus, constituisse, publicè testamur. Quod si ergo fortes estis & honesti milites, non prædones & profugi, si causę vestrę æquitati côfiditis (quam quam quid iuris habet hęc inopinata vestra Liuoniæ inuasio, cædes multiplex & deprædatio, istaque cõtra Po-

Zamoscius Sueco bellum indicit.

tra Po-

tra Poloniæ regnum & Lituaniæ Ducatum grassa- Anno
tio?) ad pugnam vos prouocamus: adeste cum ar- 1601.
mis vestris parati & instructi, ordines in acie ser-
uate, nec fugæ latibula circumspicite; & vestro cū
damno experimini, vtrum Deus iustissimus vobis,
an regi nostro eiusque exercitui auxilio suo sit
adfuturus: quem hanc caussam, & litem à vobis
excitatam, iustè disceptaturum & iudicaturum,
nihil dubitamus. Pœnam ille quidem differt: sed
tu Carole scito, perfidiam tuam, impietatem, cru-
delitatem, quibus patriam tuam lacerâsti, pleris-
que omnibus satis notas esse. Tu, vt pater, patrue-
lem, tu vt subditus, dominum tuum, per summam
malitiam & impudentiam (quod nefas dictu est)
vi & fraude persequutus es: qua quidem in re, nec
regis nostri honori, nec patriæ saluti vllo modo
deesse possumus, quibus & Deus & natura ipsa nos
arctissimè obligauit. His acceptis litteris, Carolus *Poloni fusi.*
exercitum instruit: & quum per exploratores co-
gnouisset, Polonos in loco quodam hinc paludi-
bus, illinc flumine circumsepto securè agere: cum
nouem millibus lectissimorum militum fluuium
de nocte traijcit, & Polonos in castris suis impro-
uiso aduentu oppressos, semisomnes obtruncat,
castraq; eorum diripit & incendit. Ita maxi-
mus Polonorum exercitus, antequam ad pugnam
ventum est, infeliciter pugnauit: & quia magna
eius pars equitatu constabat, pabuli autem vt in
locis præfrigidis, magna esset, ingruente iam hye-
me, inopia, breui post fuit dilapsus. CAROLVS
quoque quum frustrà Rigam obsedisset: cum IO-
ANNE NASSOVIO, & Renardo Solmensi,
Comitibus, in SVECIAM nauigauit, non sine

Anno 1601. summo vitæ periculo, ob glaciem, qua aquæ interea fuerant astrictæ. Nos in Belgium reuertamur.

Rinberca à Comite Mauritio obsidetur. Quomodo Rinbercam Admirans Hispanici exercitus ductor, ad deditionem coëgerit, quomodo item Brabantiæ &c. Duces omni cum Hollandis commerciorum vsu suis interdixerint; suprà à nobis est explicatum. Et Bercenses quidem præsidiarij mandatum hoc Principum suorum impigre exsequebantur, nec Rheni tantùm nauigationem intercludebant, verùm etiam itinera omnia obsidebant, & sæpè amicorum iuxtà atque hostium, in quascumque inciderant, facultates deprædabantur. Excursionibus etiam frequentibus vicinas regiones, Trans Isulanam, Drentiam, & Tuentiam infestabant, & qui tributum pendere recusâssent, immaniter torquebant. Ea res non vicinorum tantùm Principum vectigalia imminuit; sed Hollandis etiam cumprimis, quà publicè quà priuatim, maximo damno erat & detrimento. Mauritius ergò Nassouius postridie Calendas Iulij cum exercitu viginti millium virorum, in quo tria erant equitum millia ad Bercã castra ponit: & extemplo naues aliquot bellicas in flumine, paullò supra oppidũ collocat, vt oppidanis terrâ & aquâ aditũ omnem intercluderet. Oppido præerat Ludouicus Ferdinandus Daualus, cum magno è varijs nationibus peditum præsidio: equites verò tantùm quinquaginta erant, Botbergio ductore. Et quamquam magna vis alimoniæ & reliquorum commeatuum iam antè esset in oppido: præsidiarij tamen obsidionis iam certi, armenta omnia rusticis & aratoribus erepta in vrbem cogunt, & quidquid possunt, comportant: & naues perforatas demergunt,

gunt, ne in hostium venirent potestatem, & nihil quod ad obsidionem tolerandum pertinet. omittunt. Mauritius non tantùm contra obsessorum eruptiones, sed etiam contra externam hostium vim, castra mirum in modum fossis & vallo, alijsque operibus ita communiuerat, vt facilè quamlibet irruentium multitudinem posset sustinere. Nihilominus obsessi aliquoties eruptione tentata, multum damni in castris passim dabāt, nec minus ipsi accipiebant, cum cęde suorum sæpè in vrbem repulsi. Præfectus interea Archiducem de suo periculo certiorem facere cupiebat: sed clausis vndique itineribus quomodo id efficeret non inueniebat. Tandem duo sese offerunt, qui nandi peritia confisi, noctis silentio Rhenum trajiciunt, & Gelriam aut Stralam, vicina Hispanorum præsidia, petunt. In eos iam iter ingressos quatuor equites incidunt, & eorum alterum, qui à via metu deflexerat, captiuum in castra perducūt. Nihil socij periculo territus alter progreditur; sed & ipse ab equite quodam, quum non satis expediret, vnde veniret, aut quò iter haberet, inuaditur: sed viribus præualidus, equitem iamiam detracturus erat, nisi eidem alius superueniens opem tulisset. Mox vterque quod transfugæ & desertores essent deprehensi, ad supplicium ducitur. Alter de pœnitentia & fide admonitus, impiè in hæc verba erupit: In castris quidem parum sibi esse fidei; sed eam tamen apud omnes caupones & œnopolas oppidi integram sibi constare. Ita ergo vterque, inspectantibus præsidiarijs, laqueo gula fracta est. Vnius rei inopia vehementer premebantur obsessi, medicamentorum scilicet, & fomentorum: quæ tamen in primis erāt necessaria, tot quotidie vul-

Anno 1601

Anno 1601. neratis obligandis. Nec enim vmquam tormentorum fulmina cessabant: tum cuniculi tanta diligentia & contentione agebantur, vt breui ad vrbis munitiones sit peruentum. Ante vrbis mœnia munitiones quasdam præsidiarij excitauerant, easque hactenus tutati fuerant: quibus suffossis & vi pulueris dissipatis, Mauritius demum, misso præcone dedi sibi oppidum postulat. Idem periculum iam ciuitatis mœnibus imminebat. Præfectus, etsi initio cum suis oppidum ad extremum vsque vitæ spiritum defendere decreuerat: viso tamen periculo, & spe auxiliorum incerta, Mauritij postulata scripto sibi tradi petit: quibus cognitis, Botbergium cum ITALO quodam centurione in castra ad MAVRITIVM mittit; is vicissim Clutium equitum, & Dortium peditum centurionem obsidum loco oppidanis tradit. Post multas vltrò citroque latas conditiones, tandem in has consensum est, vt oppidū dederetur, militibus, nautis alijsque cuiuscumque generis aut conditionis, nemine excepto, libera exeundi esset facultas, cū armis, sarcinis & omnibus impedimentis: neque etiam cuiquam fraudi esset, qui superiori tempore Ordinibus militâsset, aut quocumque alio modo noxam meruisset: Præfecto duas machinas campestres, cum duobus vasis pulueris sulfurei, & quinquaginta globis abducere liceret: MAVRITIVS ad impedimenta, ægros & vulneratos vectandos, præsti à cautione de restituendo, ducentos currus suppeditaret; ceteris, qui vel vulnerum, vel morbi atrocitate vecturam ferre nondum possent, tantisper dum conualescerent, in vrbe manere liceret, salui posteà ad suos bona fide remitterentur: debita omnia, obsidionis tem-

& per deditionem capitur.

pore

pore contracta Præfectus ciuibus solueret ex ijs bonis, quæ antehac ex vi Edicti fisco erant illata: aratoribus etiam & paganis, quibus pecora sunt abacta, vt satisfieret ab Archiduce, idem Præfectus operam daret: ciuibus, qui ad alia loca commigrare vellent, tempus semestre concederetur, intra quod de facultatibus suis quod videretur statuerent: captiui vtrimque liberi dimitterentur, vbi pro victu soluissent. Vltimo die Iulij Præfectus cum mille & trecentis militibus egressus, Traiectum ad Mosam est profectus, cum magna sauciorum multitudine: & ex obsessis quidem supra mille desiderati perhibentur, ex obsessoribus verò non pauciores cecidisse, credibile est. Operibus complanatis, Mauritius vrbem diligentissimè præsidio & operibus firmat: ipse copijs in æstiua distributis, vt à tam graui obsidione reficerentur, Hagam Comitis redit, vbi Ordinum erat conuentus. Sed antequam descenderet, aliquot equitum peditumque millia ad MVRSAM, post VALPVRGIS Comitissæ mortem à DVCE IVLIACENSI occupatam, ducit; præsidiarijs, nisi oppidum continuò dederent, vim interminatus. Præfectus spacium sibi dari petijt, quo interea quid faciendum sibi esset, à DVCE DOMINO suo exquireret: sed recusante MAVRITIO, quum imparem se esse ad vim tantam sustinendam animaduerteret, neque etiam vt armis se defenderet, in mandatis haberet, oppidum & arcem Mauritio dedidit, & cū suis excessit. Mauritius arcem cōtinuò ita munire cœpit, vt si opera perficiantur quæ hodieque incredibili sumptu fiunt; locus ille vix Antuerpiensi castello, aut cuiuis alij

Anno 1600.

itemque Mursa.

Anno 1601.

propugnaculo sit concessurus. Controuersia interea, quæ inter Ducem Iuliacensem, & Mauritium Comitem, item Ordines Confederatos eo nomine est excitata, ad Cameræ iudicium est delata.

Ostendæ descriptio.

Hoc anno Ostendanum cœpit obsidium, quod etiam nunc, quum hæc scribimus, durat. Est id oppidum Flandriæ maritimũ, tribus miliaribus Nuporto, & quatuor horarum itinere Brugis distãs. Pagus primùm fuit, piscatoribus inhabitatus; sed initio huius belli ciuilis ab Ordinibus, loci sequutis opportunitatem, leuibus primùm, deinde firmis operibus muniri cœptus est. Fluuio enim alluitur, Ipperlæa nomine, qui vbi in mare exit, sinum facit, & portum recipiendis nauibus idoneũ. Oppidum ipsum amplum satis est, quippe cuius mœnia vix horæ spacio circuiri possunt. Incolis tam frequens quõdam fuit, vt ad tria ciuiũ millia numerarentur; qui iã ad ducentos circiter & quinquaginta sunt redacti. Sæpè à multis frustrà tentatum est, & à Duce Parmensi, & à Lamotta, Greuelingæ præfecto; quorum hic quum veterem iam ciuitatem occupâsset, (quæ pars est oppidi, litori proxima) inde rursus non sine suorum strage est eiectus. Sed nuper, quum Albertus Caletum primùm Gallis, deinde Hulstam Hollandis extorsisset, mirum in modum munitiones eius creuerunt. Nam duplici fossa, & duplici vallo vndique cinctum est: quorum ea est altitudo, vt non facilè superari possint, si vel à mediocri propugnatorum numero defendantur. Quà mare spectat, nudantibus se æstu recedente arenis, infirmius aliquanto est: sed paucarum horarum id periculum est; & eodem æstu rursus affluente, oppugnantibus maximè

ximè formidabile. Portus ad occidentem æstiuũ se porrigit, non altus ille quidem, aut capax admodum: sed non ita pridem vnda maris vi in terram irrumpens, canalem oblongum fecit, vltra viginti passus latum, & profunditate vel magnorũ nauigiorum patientem: per quem, ceu perennem fluuium, naues quouis tempore exeunt & ingrediuntur. Breuis inde in Selandiam, Galliam, & Angliam est traiectus. Angliæ reginæ Ordines confederati hypothecę nomine oppidum iam olim tradiderunt; eaque hactenus semper è suis Præfectũ aliquem eò misit, cum magno Anglorum & Hollandorum præsidio: quod vicina omnia longè lateque infestis excursionibus quotidiè vexauit, & immania tributa non pagis tãtùm & villis, sed oppidis quoque nonnullis extorsit. Quocirca Flandri sæpè multis precibus apud Archiducem institerunt, vt hanc spinam è pede Flandrici leonis euelleret; promissa ad obsidionem maxima vi pecuniarum. Albertus ergò primùm oppido castella circumponit, eisque perpetuum præsidium ad cohibendas oppidanorũ excursiones imponit: quorum defensio, vt quidam scribunt, nonagenis aureis menstruis constabat. Sed quum ne sic quidem satis tutam esse Flandriam Archidux è superioris anni expeditione didicisset: tandem summis viribus Ostendam oppugnare decreuit. Et oppugnatio quidem, primùm admoto exercitu (quod fuit die 52. Iulij) non omninò difficilis credebatur. Nã primo ferè impetu obsessis portus veteris vsum eripuit; & adactis propius munitionibus, iam vallo imminebat: sed illi continuis laboribus & nouum portum sibi aperuerunt, & oppugnantes partim aggerum perforatione ita summouerunt, vt iam

Anno 1601.

Anno 1601. oppido maius ab vndarum impulſu, quam hoſtium inſultu, periculum immineret. Tanta vtrimq; principio obſidionis machinarum vi fuit certatum, vt non penè toto menſtruo ſpacio quinquagies mille in vrbem, vicies mille magni ponderis pilæ ferreæ ex vrbe in caſtra contortæ ferantur. Præſidium Angla & Ordines confederati ad eum auxêre numerum vt iuſti exercitus ſpeciem habeat: atque ita magis caſtra caſtris oppoſita, quam vrbs obſeſſa videatur. Nos vt nihil memoratu dignum, quod in hac obſidione factum ſit, omittemus: ita diurna acta proſequi operæ precium non putamus: niſi fortaſſe tua intereſſe exiſtimes, lector, ſcire quot naues hoc vel illo die in portum ſint inuectæ, quot ictus exceperint, quot declinauerint; huic brachium, illi pedem, alij caput comminutum; & ſi quæ talia vſitata ſunt & quotidiana obſidionum ſpectacula:

Comitia Tranſyluanorum. De Tranſyluanis ſupra diximus, quomodo non niſi certis quibuſdam conditionibus Cæſaris imperio ſe ſubijcere voluerint, planeq; ad defectionem ſpectâ int. Quare comitia Clauſeburgum indicunt, ij ferè qui Batorio fauebant: & clauſis per quatriduum portis, de ſumma rei deliberant. Heic facilè vicit eorum ſententia, qui Batorio Principatum reſtituendum cenſebant: qui verò à Cęſaris partibus ſtare videbantur, in cuſtodias ſunt abducti. Mox præconis voce Sigiſmundus Batorius legitimus Princeps proclamatur, eique omnes parêre iubentur: legati deinde ad eum e Moldauia accerſendum, mittuntur; interea abſentis vices Tſchiackus quidam, Ordinũ decreto, gerit, ſæuus homo & ambitioſus. Is Mi.h. è'is Vaiuodæ, qui tum apud Cęſarē erat, filiũ & vxorem Vogaroſſam capti-

captiuos abduci mandat; omnemque eorum quæ hactenus in Transyluania contra Cæsarem acta erant inuidiam in ipsum Vaiuodam trāsfert, vt qui Principatum vi inuaserit, & grauissimis affecerit damnis. Interim Basta quem Cæsar ijs in locis legatum habebat, quum frustrà se videret obniti; ab Ordinibus discedendi potestatem flagitat. Rogatus vt maneret, oblata etiam annua pensione, constanter recusat: simulque discedens, vt Cæsari fideles sint monet. Illi quum facilè intelligerent quam grauiter hoc ipsorum factum Cæsar esset laturus: Stephanum Carquesium legatum ad eum mittunt. Is Presburgum venit secundo die Martij, cum his mandatis: Ordines Transyluaniæ magnū è nouis illis motibus, qui nulla sua culpa exstiterint, percepisse dolorem, & quod potuerint, remedium adhibuisse. Quum neminem alium in præsentia haberent, cuius ope tutiores essent; ad SIGISMVNDI Batorij patrocinium magnis de caussis iterum confugisse: nihilominus quam deberent obedientiam & fidem CAESARI præstituros: cum TVRCIS etiam ijs conditionibus pacem facturos, quas Cæsar minimè improbaturus. Michaëlem VAIVODAM nunciata filij & vxoris captiuitas maximoperè perculit & afflixit. Ad Cæsarem Viennā, vbi interea substiterat, Pragam euocatus, Transyluanorum perfidiam non nouam sibi accidere dixit: se tamen locorum peritia fretum, si modicis auxilijs adiuuaretur, omnem prouinciam breui pacatam Cæsari traditurū. Sub finem Aprilis Sigismundus Batorius exiguo cum comitatu è Moldauia in Transyluaniam redijt: cui extemplo Rubitius Viuarā tradidit. Itaq; ad Georgiū Bastā datis litteris, fortunā & miserias suas in quas

Anno 1601.

Batorius in Transyluaniā redit.

in quas

Anno 1601. inquas acerbissimas nulla sua culpa incidisset, deplorauit; eorumque quæ contra Cæsaream Maiestatem deliquisset, gratiam sibi fieri, vtque sibi nouos ad Cæsarē legatos mittere liceret, postulauit. Quod enim Tschiackus, seditione excitatâ, Principatum affectârit, vehementer sibi displicere, neque consilia sua & rationes cum eo miscere velle. Basta verò nihil aliud respondit, quàm totum hoc à Cæsaris pendere arbitrio, cuius hac in re mandata sibi exspectanda sint. Legatos Transyluanorum Cæsar tot iniurijs affectus nihilominus ad suos redire iubet, sed iuramento prius obstrictos, non modò nihil contra Cæsarem molituros, sed etiam, vt fideles subditos, omnibus in rebus debitum obsequium præstituros. Michaëlem etiam Vaiuodam, pecunia & copijs adiutum, donis insuper affectum, in Transyluaniam remittit, vt coniunctis cū Basta viribus, Transyluanos domarēt, & ad obsequium reducerent. Batorius interea magno confecto è Transyluanis, Vngaris, Moldauis, Cosacis, Tartaris & Turcis exercitu (nam præter peditatum, ad quadraginta equitum millia habuisse scribitur) loca quædam munita & oppida Trāsyluaniæ occupat: iamque de Cæsarianis ex vniuersa prouincia eijciendis cogitabat. Postquam igitur per exploratores cognouit, Bastā & Vaiuodam cum modicis copijs ad Moitinam consedisse, ibique Silesiorum equitum aduentum præstolari: ratus facilè eos opprimi posse, antequam reliqui sese illis coniungerent, castra eorum oppugnare, aut prœlio cum ijs decertare decreuit. Admoto vtrimque exercitu, & collatis castris, Cæsariani velitationibus & leuibus prœlijs Transyluanum distinent, quoad subsidiariæ Silesiorum equitum cohor-

[Marginal note: ... Cæsaria... ... confligit...]

cohortes, quæ non procul aberant, in castra essent acceptæ. Vterque exercitus in colle consederat, quem Transyluanus occupârat, multò erat altior. Calêdis Augusti (qui dies Petri Vinculis sacer est) Batorius cum exercitu è colle, circiter horã quartam & quintam vespertinam, descendit, periculũ aliquod facturus. Mox Basta & Vaiuoda suos & ipsi in aciẽ producũt. Primus impetus in Transyluani exercitum à Valonibus factus est, qui confertis agminibus incedentes, sparsos hostiũ ordines perfregerunt & disiecerunt: inde Basta ab vno, Vaiuoda ab altero latere, cum suis incurrentes, hostilem aciem omnem perrumpunt, & palantes passim cateruatim concîdunt. Cruenta fuit hæc pugna: vtpote in qua è Batorianis ad decem millia, è Cæsaris verò exercitu centeni aliquot perierunt: magnumque Cæsarianis ad victoriam attulit commoda tormentorum locatio; quæ quum è tumulo non nimis alto in subiectos spargerentur, non ordines tantùm perturbârunt, sed etiam magnam virorum & equorum stragem ediderunt: hostilium verò machinarum ictus, è loco superiori contorti, Cæsarianorum capita sine vllo damno superuolârunt. Post pugnam milites ad castra diripienda conuolant, in quibus magna omnis generis præda reperta. Inter cetera, quadraginta maiores æneæ machinæ, & decem supra centum equitũ peditumque vexilla, ad Cæsarem victoriæ signa, transmissa fuerunt. Hostibus fusis & fugatis, Cæsariani Clauseburgum cum victricibus copijs profecti, ciues magna vi pecuniarum in trimestre militum stipendium, multant, & in Cæsaris potestatẽ, à quo turpiter defecerant, actis præsidium imponunt. Vaiuoda, licet quum antea, tum in hoc

& vincitur.

Clauseburgum à Cæsarianis receptum.

maximè

Anno 1601.

Vaiuoda ob clandestinas machinatio-nes occisus

maximè prœlio Cæsari fortem & fidelem operam nauâri; fraudulēta tamen cum Turcis, Tartaris & Polonis consilia agitabat; & dominandi cupiditate incensus, totus imperij sibi vni acquirendi studio ęstuabat. Nullū præterea crudelitatis genus in miseros incolas prętermittebat. A Basta, cui iam pridem ex ijs quæ antea cum Turcis egerat, erat suspectus, vt desisteret admonitus, nec tam præclara erga Cæsarem merita nefario crudelitatis scelere commacularet, contumaciter respondit, Nec Bastæ iam, nec Cæsaris imperium vllum se agnoscere: sua sibi virtute iam partum esse imperium: proinde ijs imperaret Basta, quos sub imperio haberet. Dissimulat primum Basta: mox decimo octauo Augusti ad se vocat, quasi de rebus grauibus cum eo consilia communicaturus. Quum venire abnuerer: duo signa Valonum & duo item altera Germanorum ad eum comprehendendum mittit. Ille vim conspicatus, suorum auxilium magna voce inclamat, & arrepto gladio, centurionē alterum Germanorum petit. Ibi Valonum quidam hasta eum transuerberat: mox alij semiviuo caput amputant: rapacissimus quisque ad diripienda Valachorum castra conuolant. In Vaiuodæ tentorio litteræ inuentæ sunt, quæ perfidiam eius erga Cæsaream Maiestatem, & nefaria consilia ità perspicuè ostenderunt, vt Valachi ipsi, qui hac cæde vehementer primū n erant irritati, ijs perlectis, acquieuerint, dixerintque iure sibi cæsum videri: quin etiam si quæ agitâsset consilia, explorata ipsi habuissent, iam duduū se ipsos supplicium de ipso sumpturos fuisse. Basta quicumq; sub Valacho stipendia fecissent, conditionem obtulit, vt vel exauctorati sine vllo periculo discederent,

derent, vel nouum sub iisdem stipendijs Cæsari dicerent sacramentum. Sed plerique omnes militiam prætulerunt. VAIVODAE cadauer totum diem, inhumatum sub dio spectaculo fuit. Sic & ille qui paullò ante, & superiori tempore tam feliciter pugnauerat, aliosque euerterat: infelix iam à sua ipsius ambitione & leuitate est euersus.

Anno 1601.

Canisa obsidetur.

Quomodo Canisa in Turcarum potestatem venerit: superiori libro est à nobis explicatum. Quũ verò non Stiriæ tantùm & Austriæ, sed finitimarum etiam prouinciarum, atque adeò ipsius Italiæ magni interesset, Turcas inde expellere, & locum munitissimum recuperare: Ferdinãdus Archidux, ad cuius ditionem Canisa pertinet, & Pontificis, & Hispanorum regis & aliorum Italiæ Principum opem implorat. Et Pontifex quidem aliique Italiæ Principes, duodecim millia bellatorum ei auxilio miserunt, Ioanne Francisco Aldobrandino, PONTIFICIS nepote, ductore: Hispanus, sex millia: reliquus peditatus ex indigenis erat conscriptus. Vniuersis copijs, quæ erant ad viginti tria peditum, & quatuor equitum millia, & quingentos, summo cum imperio præerat ARCHIDVX ipse Ferdinandus, qui præsens ipse huic expeditioni interfuit. Eius legatus siue vicarius erat Dux MANTVANVS. Cum hoc exercitu nono Septembris ad CANISIAM profecti: obsidionis faciunt initiũ. Et vt nostri nihil quod ad oppugnationem; ita TVRCAE nihil quod ad sui defensionem pertinebat, omiserunt. Quotidiè in ITALORVM præsertim castris multi, in iisque illustres viri, cadebant: nihilo segnius tamen alij vt iter sibi aliquod ad oppidum facerent,

Anno 1601. incumbebant. Interea rumor de Alba regali per vim à nostris capta allatus, magnam in nostrorũ castris lætitiam excitauit: quam etiam tormentorum tonitru, vti fieri solet, significârũt; & per idoneos homines præsidiarios, vt se dederent, neque in idem periculum, in quod commilitones ipsorum incidissent, se conijcerent, sunt cohortati. Nã si deditionem faciant; non vitam tantùm, sed etiã reliqua quæ vellent facilè impetraturos; sin verò, suo periculo experturos Christianis adhuc satis animi viriumque esse ad ipsos domandos: quod certè cum pernicie ipsorum & internecione sit futurum. Præsidiarij, in quibus facilè primi erant perfidi illi Valones transfugæ, contemtim respõdent, Nihil sibi ab his oppugnatoribus esse periculi: legatos etiam magno cum clamore & irrisione discedere iubent; & ne nostris quid concederent, tormenta omnia, ad prioris diei exemplum, displodunt, quasi obsidionis paulò post solutæ iam certi: Etsi vero iam aditus per murorum ruinas quodammodò erat patefactus: inuasio tamen hactenus dilata fuit, quod pons fossæ injciendus, nondum esset confectus. Is postea & breuior fuit, quàm vt ad vallum pertingeret; & infirmior quã vt insistentium militum onera sustineret: eoque in fundum subsidente, non milites tantùm, verùm etiam ductores, & in his Herberstænius, magno in vitæ periculo fuerunt. Nec Turcæ interea tela in nostros spargere cessabant, quibus ducenti circiterè nostris interfecti sunt. Quamquam autem Turcæ magna alimonię premerentur inopia, adeò vt equorum carnes in delitijs haberentur: nihilominus tamẽ eandem, quam antea, ferociam ad extremum vsque seruârunt: iterumque de deditione

admo-

Anno 1601.

admoniti, ne respondere quidem dignati sunt, sed nudum gladium nostris eminus ostenderunt. Decimo quarto Nouembris die Hermanus Christophorus Russvormius cum auxiliaribus copijs in castra peruenit; sequenti verò nocte tanta vis frigoris fuit, vt mille & quingenti milites & trecenti equi in Ferdinandi exercitu, à casis & tentorijs satis instructo, obriguerint. Sed minimè miserabilis Russvormicorum militum erat conditio: qui Albæ regalis oppugnatione defatigati, & longissimæ viæ laboribus confecti, castrensem apparatum & tentoria secum non attulerant: ideoque sub dio cubare tam gelida tempestate cogebantur. Russvormius, etsi suorum militum miserias miserabatur: nihilominus tamen omnia patienter ferre decreuit, dummodo Deo & Archiduci, adeoque vniuersæ Reipublicæ Christianæ gratam aliquam & vtilem operam posset præstare. Sed quum obsidionis ratio ei non omninò placeret: Archiducem rogauit vt eius disponendæ auctores accerseret, & quousque iam progressi essent se alijsque præsentibus, exquireret. Ex eorum sermonibus, denique etiam ipsorum operum inspectione intellectum est, parum spei esse oppidi potiundi: cuius nulla pars à nostris ità erat clausa, vt Turcis pabulatoribus exitus etiam medio die non pateret. Quocirca quum meliore & commodiori anni parte nullum operæ preciũ esset factum; & in posterum aliena iam anni tempestate prosperi successus nulla spes esset: melius visum est obsidioné maturè soluere, quàm milites ad certissimum, vt videbatur, interitum, vel hosti vel frigori conficiendos obijcere. Ita ergò vasis conclamatis, exercitus à Canisia recessit: ita tamen vt fugæ speciem

Obsidio soluitur.

Anno 1601. receſſus ille haberet, relictis quàm plurimis impedimentis, armis & commeatu, quæ vel noſtri milites, qui in poſtremo erant agmine, vel præſidiarij poſt noſtrorum diſceſſum diripuerunt:

Melior fuit eorum qui Albam regalem obſederant fortuna. Nam etſi Turcę, magno, vt videbatur ſtudio pacem vel inducias cum Cæſarea Maieſtate facere nitebantur: euentus tamen poſteà docuit nihil aliud quàm fraudem eos ſpectâſſe, vt ita noſtrorũ arma tantiſper à ſe auerterent, quoad Perſarum & Georgianorũ impetu fracto, & motibus, qui per Aſiam à ſcriba quodam excitati erant, ſedatis, omnes vires in Chriſtianos cõuerterent. Et quia finitima Vngariæ oppida & caſtella præſidijs & cômeatu parũ erãt inſtructa: colloquẽdo eò tẽpus extrahere ſtudebãt, dũ neceſſaria inferrentur. Hac eorum fraude detecta: Dux Mercurius cui exſtincto Mansfeltio, militaris rei ſumma à Cæſare erat delata, Albã regalẽ oppugnare ſtatuit. Quare tertio die Septẽb. motis, quæ ad Comorã fuerant, durãte pacis tractatione, caſtris: tridui itinere ad Albam regalem peruenit, & ſingulis ducibus loca vbi tenderent, deſcribit: inde de ſuburbijs, quę oppido inſtar muri erant & propugnaculi, expugnãdis deliberat, Et quia à fronte aggredi ea periculoſum videbatur: Ruſſvormium per loca paluſtria, eâ parte quæ quod nulla vis inde timeretur, propugnatoribus vacua erat, ad Sigetanum (nomen eſt vnius è ſuburbijs) cum ſuis militibus viã quærere iubet. Turcæ quidem captiui, & indigenæ ruſtici nullum illac tranſitum patere vna voce affirmabant: ſed quum his fidendum non exiſtimaret Ruſſvormius, quoſdam è ſuis ad explorandum mittit, qui retulerũt, trãſiri eũ poſſe; ſed difficulter

Ruſſvor-

Anno 1601.

Russvormius igitur cum mille lectissimis militibus, quorum singuli fascê ad explendas voragines humeris portabant, vespere iam ingruente paludes ingreditur: & aliquantulû progressus, multò eas profundiores & impeditiores quàm exploratores retulerant, poenè cum vitæ periculo experitur. Sed generositas ipsum & virtus vt ne desisteret, milites, ducis exemplum vt impigre subsequerêtur mouit. Incredibile est quæ in his arundinetis pertulerint. Nam vbi ferè minima erat aquæ & vliginis altitudo, femora contingebat: & qui vel vno passu aberrabant, statim toto corpore mergebâtur, ac nisi à socijs extraherêtur, in magno erant vitæ discrimine, q̃ 6. aut 7. quibus submersis auxiliû ferri nô potuit, ibi amiserût. Tâ lê diuina ope eluctati, paullò ante lucê magno cû clamore prædictû suburbiû inuadût & occupât, dato prius signo quo Mercurius admonitus exercitû ad reliqua suburbia eodê têpore oppugnâda summittit. Hic trepidare Turcæ, discurrere, nec quò se verterent satis scire: nostri irruere, cędere, ferire: donec tâ lê Turcæ, relictis omnibus suburbijs, in oppidû confugerût. Præter aliâ pdâ, nostri 14. machinis æneis sunt potiti. Inde oppidû ipsû oppugnari cœptum; Mercurio q̃uis tribunorû suorû diligêtiæ & virtuti, q̃ paullò ante, vt & alias expertus fuerat, minimè diffideret, nihilominus pſente omnia p̃curâre. Admonitus vt sibi parceret, neq; tâtis periculis suâ exponeret vitâ, in qua omnis ferè belli administrâdi ratio iâ verteretur, respôdit: Iuramêtû se Cęsari dixisse, cui omni ex parte satisfacere constituerit, vitâ etiâ pro Christianæ reipublicę salute lubêter proiecturû. Quæ res cęterorum omnium animos vehementer erexit, & ad omnia pericula imperterri-

Anno 1601. territos fecit. Collocatis tormentis muros oppidi quati iubet: sed antequam summa fieret oppugnatio; præsidiarij de deditione interpellantur. Illi pro responso tormentis nostros petunt. Quare Mercurius hac pertinacia offensus, nunciari eis iubet: Quandoquidem tàm inciuiliter agant, & in hoc suo proposito præfractè persistãt, se alios nũcios die crastino ad eos missurum, & Dei auxilio fretum, in oppido cœnaturum. Nec dictum caruit euentu. Sequenti enim luce duobus locis per murorum ruinas nostri, non sine cæde multorum, enixi, tandem in oppidum ipsum penetrârunt; licet constantissimè resistentibus Turcis; qui tela vndique, malleolos, faces, & flãmam in subeuntes immittebant: sed quum exitium sibi imminens viderent, ædibus se includunt, aut defendere se ibi, aut mori parati, præparatis iam antè instrumẽtis, quibus ędes ipsas cum omnium, qui propius accessissent, interitu conuellerent: quod à multis non minus inhumaniter cœptum, quàm crudeliter patratum est: adeò vt & templum, & Palatium, & sumptuosissima quæque ædificia vehementer lacera, vel potius rudera eorum, nostris sint relicta. Bassa tamen, vitæ incolumitate promissa, viuum se dedidit; quem Mercurius statim in castra misit. Maior pars prædæ Valonibus cessit, qui cateruatim in opulentissimas quasque domos irruerunt; atque etiam Germanis, si quam fortè nacti essent prædã, eam vi eripuerunt: vnde vehemẽter animi vtrimque sunt exacerbati: quin tanta quoque fuit Valonum rapacitas, vt impij homines Vngaricorum regum sepulcra, quæ ibi visuntur, aperire, & mortuos, eosque tot iam sæculis sepultos spoliare non dubitârint. Mercurius ad maiorem Albæ securitatem

tem, Simontornam, Copanum, Adomum, Felduaram & Paam, vicina castella, nullo negotio, aut subducentibus se Turcis, aut ægrè defendentibus, occupat: & restauratis oppidi ruinis, Staremberigio eius defensionem committit. Interea Turcarũ exercitus ad obsidionem soluendam ad Budam collecti, duces, etsi serò nimis auxilio suis se venire intellexerant; tamen, vt Imperatoris sui offensionem vitarent; nostrorum castra oppugnare cõstituerant; quibus captis, facilem sibi Albæ recuperationem promittebant. Quocirca munitiones eorum aggressi quasdam expugnant, & per montana circumducto exercitu, castrisque ipsis vndique circumsessis, Christiano nemini se eo die vitam relicturos minantur. Quum igitur nostris aut pereundum ibi, aut vi & armis patefacienda esset via: Mercurius copias suas in aciem producit qua pro loci rationibus prudenter instructa, hostem ad prælium diuino magis auxilio quàm humano fretus, prouocat, & mox profligat. Quæ victoria tantò fuit admirabilior, quod quum nostri vix octo, Turcæ verò triginta virorum millia in exercitu haberent, è nostris tamen dimidia tantũ pars cum hoste manum conseruit, multos occidit, reliquos in fugam impulit, & nouem etiam machinas extorsit. In hoc conflictu, quum nostri, ad Albam, quæ à parte Turcicarum copiarum iam obsidebatur, propius accessissent: præsidiarij eruptione facta, quatuordecim machinas, cum non exigua globorum missilium copia, hosti eripiunt, & in vrbem abducunt. Postridie, vndecimo Octobris, nostri castra propius ad hostem posuerunt: & vterque exercitus ea nocte in armis stetit: nec Turcæ aliud existimabant, quàm nostros statim in

Anno 1601.

Ad Albam regalem conflictus.

Anno 1601. fugam abituros. Vna omnino erat via, per quam nostris commeatus apportabatur, inque ea mons quidam in mediocrem altitudinem exsurgebat. Hunc Turcæ occuparant: sed nostri inde fortissimè deiecerunt, & contra frequentes hostium assultus ad extremum vsque tutati sunt. Interea tribus locis diuersa prælia miscentur: iamq; Ianitsari Husaros in fugam egerant, & nostrorum acies Turcis vndique irruentibus, fluctuare incipiebat: sed à ducibus maximè Comite Turnio, qui Husaros stricto gladio in ordines rursus compellebat, restituta, nostri non impressionem tantùm fortiter sustinuerunt; sed post acrem, & in multam vsque noctem protractam pugnā, Turcas in fugam egerunt, & ad sua vsque castra persequuti sunt. In hoc conflictu, qui iusto pænè prœlio æquari potest, magni nominis Turcarum duces perierunt: Mahumedes Kihaïa, Bassæ duo, quorum vnus Budensis, sex Sangiaci, multi Begi, & gregariorum militum ad tria millia, è nostris ferè trecenti, sed illustris nemo. Interea frequentibus pluuijs auctæ quæ circa Albam sunt paludes, Turcarum omnem in ea oppugnanda conatum irritum fecerunt. Qui re castris incensis, obsidionem soluerunt: nostri milites partim ad Canisæ obsidionem missi, partim exauctorati, partim in hiberna deducti sunt. Bassa Budensis, is qui iam diu Viennæ captiuus detinebatur, vbi Albam regalem amissam à suis cognouit, totum diem, cum duobus famulis ab omni cibo abstinuit, & pronus in faciem humi cubans, cum lacrymis Deos suos est comprecatus: qui omnino Turcis hoc anno irati fuerunt, qui tamen omnis si obsidio CANISIAE prosperum habuisset euentum, longè infelicissimus illis erat futu-

futurus. Sed nimirum miſcet DEVS triſtia læ- tis. Anno 1601.

Hoc anno, viceſimoſexto menſis Augusti, Olinarius Nardanus. Hollandus, per fretum Magellanicum vniuerſum orbem terrarum triennio ferè circumnauigauit, multa aduerſa, quà ab hoſtibus, quà à tempeſtatibus expertus. Quod Itinerarium quum excuſum in manibus ſit, nos hîc omittimus proxima tamen editione Compendium eius tibi daturi.

Olinarij Nardani expeditio Magellanica.

De nuptijs Gallorum regis cum Maria Mediceꝗ ſuprà diximus, Ea hac anno, ſeptimo die Septembris ad Fontem Bellaquæum felici partu filium, ſiue, vt in Gallijs primogenitum regis vocant, Delphinum eſt enixa, quæ res per vniuerſam Galliam maximam lætitiam excitauit. Eodem menſe eiuſdem anni, viceſimo ſecundo ſcilicet Septembris, Hiſpaniæ regina puellam peperit, cui in Baptiſmo ANNAE MARIAE MAVRITIAE nomen eſt inditum. Inde vtraque natio Romæ diuerſis templis ſupplicationes indixit, aliaque lætitiæ ſigna dedit.

Regi Gallorū filius:

Hiſpanorum filia naſcitur.

Berca ad Rhenum occupatâ: Mauritius Naſſouius in Selandiam profectus eſt, vt ibi quæ ad Oſtendæ defenſionem requiebantur, procuraret. Non exigua manus Hiſpanarum militum tum per ſeditionem oppidum Vertæum, in Texandria, ſeu Campania Brabantiæ ſitum, occupauerat, imperiúmque ad tempus detráctabat. Horum animos Mauritius promiſſis & pecuniâ tentauit, & à ſacramento auertere conatus eſt: ſed quum hoc non ſucceſſiſſet, ſciret tamen hoſtem magnis vndique difficultatibus diſtineri, tentandū aliquid, etſi hyems iam immineret, ſibi exiſtimauit. Calendis

Silnaducis obſeſſa.

ciues perterrefecerat: sed per milites quosdam pretio conductos à Præfecto pons facibus subiectis & stramentis exuritur. Sexto idus Nouembris Grauia missi veniunt manè ante lucem ducenti sexaginta milites: qui etsi numero pauci essent, mirum tamen in modum animos ciuium erexerunt; eosque postero die magnoperè confirmârunt perlatæ ab Archiduce literæ, quibus nunciabat, se de auxilijs quàm primum ferendis Comiti Friderico Vandembergio mandata dedisse. Interea obsidionem vrget Mauritius, & candentes igne globos in tecta vrbis emittit: qui tamen incendium nullum, vt sperabatur, excitârunt. Nã & tecta ipsa, quod lateribus & laminis saxeis constarent, ignem non facilè concipiebant: & magistratus vrbanus edixerat, ciuibusq́ue iusserat, vt siccam in ædium tabulatis arenam & cõtignationibus sufficientẽ haberent, qua igneas illas sphæras exciperent, restinguerentque. Tribuum etiam Præfectis, seu Vicomagistris negotium committitur, vt ædes in quas sphæram igneam incidisse suspicarentur, conscendant, & visitent, & exortum incendium diligẽter restinguant. Paullo pòst, duce Hilario de Byleuen, mille circiter pedites per loca paludosa non sine periculo in vrbem sunt introducti, ad decimum septimum Calendas Decembris. Non destitit Mauritius frequentibus tormentorũ ictibus vrbem concutere, cuniculos subterraneos agere, quibus munitiones obsessorũ euerteret. Fortuitus etiam in vrbe accidit casus, Præfecto & Bardulio senatore in mœnia obeũtibus, qui quum ad quendam stationarium venissent, tesseram ab ipso Præfecto exigentem, is vt eum agnouit, honorem eidem exhibere cupiẽs, brachi-

Anno 1601.

Anno 1601.

um corpore inclinato, comprimit, & sclopi tractandi imperitus aut imprudens, igne non satis accuratè custodito, nec auersis per inscitiam à Præfecti corpore armis, sclopo disploso, in coxa eum vulnerat, & duobus locis senatorem traijcit. Cōponit tumultum prudentia Præfectus, cuius virtuti & peritiæ militari, vigilantiæ & industriæ magnam conseruationis suæ partem Siluæducenses acceptam meritò ferunt. Dum hæc ibi geruntur: Archidux serenissimus de periculo obsessorum certior factus, Comitē Fridericum Vandēbergium è castris Ostendanis cū copijs ablegauit, & in mādatis dedit, vt militem quàm maximo posset numero colligeret ex præsidijs Brabantiæ, & seditiosos illos Verteneses sibi iungeret: qui etsi ab imperio secessionē fecerant, in tam arduo tamen & difficili negocio ad obsequium redierunt. Is rebus omnibus paratis, ex oppido Diesta mouet, & per ericeta, quæ in regione illa vastissima sunt composita agminibus ad Siluamducis cōntendit. Interea tantum frigus incidit, vt non modò multi stationarij milites algore obriguerint, verùm etiam flumina glacie concreta nauigationem intercluserint. Quare Mauritius, duplici periculo, & ab hoste & à tempestate territus, satius sibi esse & securius ducebat, cum integro exercitu suo recedere, quàm ancipem belli aleam experiri. Ita ergo vicesimo septimo Nouembris in Hollandiam se recepit: itinera tamen omnia quæ Siluamducis ferunt, infestari iussit, vicinisque, ne quid commeatus inferrent, vetuit.

[...]r relicta

[...]olloquium Ratisbonæ [...]ximo.

Infelix hoc in religionis negotio dissidiū multi Principes viri cōponere hactenus sunt aggressi: nuper quoq; initio mensis Decēbris de Serenissimi Ba-

mi Bauariæ Ducis Maximiliani, & Illustrissimi Anno
Philippi Ludouici, Comitis Palatini Nuburgensis, voluntate & sententia Ratisbonæ institutum fuit Colloquiũ. Bauari Theologi fuerunt, D. Hungerus, Gretserus, & Tannerus: Nuburgenses, Iacobus N. Philippus Heilbrunneri fratres, Abrahamus Manne, Tobias Bruno, Magnus Agricola, Christophorus Moroldus, Dauid Scelman, Henricus Dettelbach: quibus Saxoniæ elector Aegidium Hunniũ, Dauidẽ Rungium, & Ioannẽ Fladungũ; Brandeburgicus, Abdiam Vicnerũ, Laurentium Læliũ; Virtembergicus Princeps Andream Osiandrũ, & Felicẽ Bidẽbachiũ adiunxerunt. Heic Lutherani Theologi, iuxta leges consensu Principũ præscriptas primò proposuerant, & defendendas susceperunt sequentes hac duodecim Theses.

1601.

Theses Lutheranæ.

I. Verbum Dei, Prophetarum, Euangelistarum & Apostolorum scriptis comprehensum, doctrinæ, cultus, ac fidei Christianæ vnicam, certam atq; infallibilem normam, regulam ac mensurã esse, cui propter ipsum Deum auctorem fides per se tradenda sit, indubitanter agnoscimus.

II. Idipsum controuersiarum religionis omnium inter nos, præsertim qui CHRISTIANORVM nomen sibi vindicant, IVDICEM, aut sanè vocem IVDICIS supremi, quem omnes agnoscere, timere ac venerari debemus, constituimus.

III. Quod cum verbo Dei scripto concordat, recipiendum & approbandum: quod discordat, simpliciter & sine omni exceptione repudiandum esse censemus.

IV. In

Anno 1601.

IV. In verbo illo diuino omnia, quæ nobis ad veram Dei & voluntatis diuinæ agnitionem, adeoq́; ad salutis æternæ consequutionem, nec non ad cultum Dei placentem necessaria sunt, sufficienter contineri, minimè dubitamus.

V. Quæcumq; ad salutem scitu necessaria sunt, satis perspicuè & dilucidè in vtroq;, Nouo præsertim Testamento, nobis ob oculos posita esse, Dei beneficio agnoscimus.

VI. Vnicam hanc tam certam, perfectam, perspicuamq́ue normam fidei, & cultum, parati sumus per Dei gratiam ex Scriptura palàm tueri.

VII. Neque hanc sententiam esse nouam, sed à sanctis quoq; Patribus approbatam, ipsorummet testimonijs claris & perspicuis ostendere constitutum nobis est: non quod vel in hac quæstione, vel speciatim in Articulis controuersis, doctrinam nostram Patrum scriptis superstruamus (vnum enim, solidum & immotum fundamentum, cū hîc tum alibi Dei verbum scriptum agnoscimus) sed vt appareat, huic nostræ assertioni præter meritum impingi nouitatis notam, quasi ea sanctæ & orthodoxæ veritati planè fuerit incognita.

VIII. Quin hoc affirmatum nostrum de vnica Norma & Iudice scripturæ Sacræ vsq; adeò nouum non est, vt eiusdem luculenta vestigia, & aperta quædam testimonia in ipso etiam Iure Pontificio (quod apud aduersarios authenticum esse constat) manifestè reperiantur.

IX. Aliam religionis normam, aliosq; Iudices, quocumq; vocentur nomine, nisi ex prædicto Dei verbo

infal-

infallibili doctrina sua rationes exponant, in re tam ardua, nostramq; salutem concernente, de qua nobis omnibus coram tribunali Christi respondendum est, admittere non possumus. Anno 1601.

X. Qui dogmata quædam religionis, quæ in sacris literis nec expressè continentur, neq; inde bona consequentia deduci possunt, necessariò credenda, aut cultus quosdam citra scriptum Dei verbum & mandatum, ab hominibus excogitatos, ipsi Deo gratos vel etiam meritorios esse opinantur, denique dissentientes hanc ob caussam hæreseos insimulāt, haud leuiter errare sentimus.

XI. Verbum Dei θεόπνευστον, in rebus præsertim ad humani generis salutē pertinētibus, imperfectionis, obscuritatis, aut ambiguitatis arguere, debita & religiosa erga auctorem obseruantia & deuotione prohibemur.

XII. Recens aduersæ partis pronunciatum, quod prædictam vnius normæ ac Iudicis constitutionem, omnium hæreseon & confusionis Babylonicæ caussam atque scaturiginem esse, dictat, minimè Catholicum, & in vera Ecclesia Christi inauditum esse arbitramur.

Duodecim his thesibus, Catholici vnicam tantùm opposuerunt, hanc scilicet. *Thesis Catholicorum.*

Sacra scriptura non est Iudex omnium controuersiarum fidei & religionis Christianæ.

Quam quum Lutherani thesin esse negarent, quod negatiua esset, & quòd eum Catholici iudicem statuerent, omnino indicari sibi vellent: illi thesin modò positam sequentibus verbis amplius declarârunt & auxerunt:

Sacra

Anno 1601. *Sacra scriptura non est Iudex omnium controuersiarum fidei & religionis Christianæ: sed hoc munus pertinet ad Pontificem Romanum: eoque hodie fungitur Clemens octauus, Petri successor, Christi vicarius: cuius definitio toti Ecclesiæ cum auctoritate proposita, in cõtrouersis religionis quæstionibus decidendis infallibilis est, siue cum Concilio, siue absque Concilio definiat. Est quidem scriptura religionis norma infallibilis, verùm nec sola, nec vnica: sed præter hanc necessariò admitti debent traditiones, & Ecclesiæ definitiones, Doctorumque orthodoxorum consensus.*

Re hinc inde multis verbis in curia Ratisbonẽsi disputâta; quum vtraque pars in sententia sua persisteret, nec de Iudice conueniret; iamque exigui fructus in alterutram partem spes esset: Principes Colloquio finem imposuerunt, & humanissimè valedictione facta ad suam quisque aulam discesserunt. Exstant ab vtraque parte editi libri, quos comparet sibi qui hæc talia legere cupit.

Seditionem in Hibernia, duce Tironio concitatam, & ab Hispanis diu iam fotam, hoc anno magna ex parte Angliç regina compescuit. Eius exercitus Quinsalam oppidum, seditiosorum receptaculum, iam antè obsederat: Sed Tironius, acceptis ex Hispania auxilijs, obsidionem soluere, & Anglos profligare magno studio tentabat. Quare cũ equitatus parte per Anglorum castra in oppidum penetrare satagebat, vt duobus locis simul, à fronte & à tergo faceret irruptionem. Id eius consilium quum intellexisset Anglus: cum mille & ducentis peditibus, & equitibus trecentis de noctu in itinere se Tironio obijcit, qui hoste præter opinio-

pinionem conſpecto, ſuas copias extemplo reduxit, fruſtrà reclamante Hiſpanorum tribuno, qui ceſſionem hanc fugæ initium fore prævidebat. Tironius quum vadum fluminis proximi tranſijſſet, peditatum in aciem inſtruxit: ipſe cum quadringentis equitibus in fronte eius conſtituit, malo, vt euentus docuit, conſilio. Quum enim equites Anglorum irruentium vim non ſuſtinerent: in peditum ſuorum ordines retrò inpacti, eos vnà ſecum in fugam egerunt. Soli aliquantiſper pedem cum Anglis contulerunt Hiſpani: ſed obruti multitudine, tandem & ipſi, quà quiſque potuit, fuga ſunt dilapſi; pauci tamen elapſi, quod eos in fuga ſparſos Angli vndiquè interciperent, interficerétque. Hiſpanis & Hibernis omnia vexilla ſunt erepta: Hiſpanorum tribunus Alphonſus dell Occampo, viuus in Anglorum venit poteſtatem: Tironius, cum paucis, locorum notitia fretus, in ſyluas & paludes ſe recepit. Præſidiarij Quinſalences, hac ſuorum clade accepta, vehementer commoti ſunt Quare quum oppidi defendendi nulla ſpes eſſet: Alphonſus Aguillarius, vrbi præfectus, licet inuitus admodum, Dupetito, regio vicario, oppidum tradidit; pactus vt cum ſuis militibus, tam Hiſpanis quàm Hibernis, incolumis in HISPANIAM deduceretur, præſtita prius de nauibus reſtituendis cautione. Diſcedens, multis verbis Hibernorum perfidiam deteſtatus eſſe dicitur, atque adſeuerâſſe, quocumque ſe mitti, immò vel ad remos à rege damnari malle; quàm cum Hibernis amplius rem habere. Totam ferè Tranſyluaniam hac hyemè Georgius Baſta Cæſaris imperio, profligatis rebellibus, ſubiecerat: BATORIVS tamen omnem mouebat lapidem, vt Principatum amiſſum recu-

Anno 1601.

Res Tranſyluanica.

Anno 1601. recuperaret. Nec auxilia ei non indigenarum tantùm, sed Tartarorum etiam & Turcarum defuerût, quibus aliquoties antè fortunam, & hoc ipso tempore Clauseburgum infeliciter tentauit. Fugienti inde similis, cum paucis per vastas solitudines errabat. Sed quum ne sic quidem satis tutus sibi videretur, Basta eum vndique premente: legatos ad eum misit septimo Decembris, qui peterent, vt Principatu suo vti frui se fineret; ipse de voluntate Cæsaris loca munita præsidijs communiret. Ad hæc Basta nihil aliud respondit, quàm Cæsaris mandata se exsequi velle, nec posse aliter se facere: cuius gratiæ & potestati si Batorius se permitteret, optimè suis rationibus consulturum. Sed Batorius nondum tum eo consilio vti voluit; quo tamen postea vti est coactus, vt infrà dicemus.

MER=

MERCVRII GALLOBELGICI SVCCENTVRIATI

LIBER VII.

IN QVO RES GESTAE AB ANNO M.DCI. *vſque ad annum* M.DCII. *exponuntur.*

SVb finem prioris, & initium noui anni, plurimus fuit rumor de Oſtēda per deditionem ab Archiduce capta: ſed rumor is fuit. E captiuis Hiſpani quum alia cognouerant, tum illud, magnam eſſe præſidiariorum paucitatem, adeoque vix mille & quingentos, qui per valetudinem arma ferre poſſent, reſtare: quod præter eos quos hoſtilis vis perculiſſet, plurimi quotidie peſte abſumerentur. Quare Archidux vetus oppidum, quod æſtu recedente nudatis arenis, facile aditu videbatur, oppugnari iubet. Hunc eorū conatum conſpicatus Verius, Anglorum tribunus, ſuorū viribus diffiſus, legatos in caſtra ad Archiducem mittit, qui inducias impetrarent, vt interea de deditionis conditionibus agi poſſet. Obſidibus vltrò citroque datis, obſeſſi primum quatuor horarum tantùm ſpacium, mox diem integrum ad deliberandum petunt. Annuit Archidux, & liberaliter omnia pollicetur. Ita ergo dum per dies aliquot de conditionibus diſceptatur, de induſtria

Anno 1602. tempus protrahente Verio, arma cessant, milites congrediuntur, colloquuntur: totum littus vndiq; spectatorum multitudine, qui è varijs Flādriæ locis confluebant, complectur. Interea quinque naues Selandicæ, militem & commeatum portantes, in portum inuehuntur: quorum aduentu Verius recreatus, ciuilibus verbis apud Archiducē se excusat: Grauibus de caussis ad tractationem hanc se descendisse; ceterùm dum de conditionibus & articulis deliberatio haberetur, naues aliquot aduectas cum copia earum rerum, quarum anteà penuria laborâsset. Quocirca, nisi honorē & existimationē suā lædere vellet, nō posse se in actione cœpta, nulla iam vrgente necessitate, progredi: sperare nihilominus & hoc ipsorū factū serenissimum Archiducē in bonā partem interpretaturum, & in posterum, si fortè ad benignitatem ipsius confugere iterum coacti fuerint, nihilo asperiores cōditiones eis propositurum. Redditis obsidibus, multò quam vmquam antea vehemētius arma vtrimq; exercentur. Archidux vbi deceptū se animaduertit: oppidum summa vi quàm primum oppugnare decreuit: quod postea septimo Ianuarij cum vtriusque partis damno factum. Postquam toto eo die amplius bis mille ictibus vrbis munitiones erant concussæ; vesperi diuersis locis Hispani oppidum fortissimè inuadunt; sed non minus fortiter reijciuntur; adeò vt ad duo millia desiderata fuisse dicātur: quorū etiam aliqua pars, æstu iā accedēte, in aquis suffocata perijt. Inde ergò obsidio magis fuit q̄ oppugnatio: & vtraq; pars in eo vnicè elaborabāt, oppidani quidem vt tutum sibi commeatum seruarēt; Hispani, vt eundē obsessis intercluderēt. Qua in re immanes sumptus ab vtraq; parte sunt

facti,

facti, hodieq; fiunt, obsidionis vero exitus in Dei est manu.

Anno 1602. C. Mauritij expeditio in Brabantiam.

Hollandi interea quum animaduerterẽt Archiducem ab Ostendana obsidione nulla re posse abduci: magnas copias è Germania & Anglia contrahunt, quibus Brabantiam vel Flandriam inuadere constituerant, vt ità vel inuitum Archiducem ab obsidione Ostendanâ auerterent. Lustrato ad Cliuiam exercitu, in quo tria curruum millia fuerunt, Mauritius vniuersas copias in tria diuisit agmina, quorũ primũ Ernestus, alterũ Gulielmus Nassouij, tertiũ Frãcisc⁹ Verius, eques Anglus (qui paullò antè Ostendâ fuerat euocatus) duxerunt. vnumquodque agmen senis peditum millibus, & duo de triginta equitum turmis constabat. Traiecto Mosa, post dierum aliquod iter in Tungros perueniunt: ibique accepto commeatu, Tienã cõtendunt, vbi tum Admirãs castra habebat. Eò Mauritius caduceatorem mittit, & Admirantem ad prœlium prouocat: qui respõdit, Iussum se regioni illi præsidio esse, nõ prœlio decertare. Proinde si castra sua oppugnatum veniret; prælij copiã fore. Biduo post, octauo Iulij, Mauritius, flumine tribus pontibus iuncto, cum vniuerso exercitu, toto die instructa acie stetit: sed Hispani castris se continuerunt. Quare Mauritius, proposito suo frustratus, exercitum reduxit: & receptis à nonnullis Brabantiæ pagis tributis, tandem vicesimo Iulij ad Grauiam castra posuit. Est verò Grauia territorij Cuciani oppidum Mosę adsitum, olim Gelrię Ducibus subiectum, postea verò Brabantiæ Ducatui insertum. Id Maximiliano Burensi Comiti oppigneratum, Gulielmus Auraicę Princeps, qui filiã eius vnicam vxorem duxerat, magna vi pecuniæ

Grauia expugnatio.

Anno 1602.

numerata,patrimonio suo addidit, olimque tranquillè possedit: nisi quod à Pacificatione Gandauensi Germani milites præsidiarij nonnihil tumultuati sunt:quos tamen,paucis suorum per nouam,quæ excitabatur munitionem,ciuium operâ immissis,mox expulit, quadraginta ferè ex ijs cæsis.Sed ab Alexandro Farnesio, Parmæ Principe pòst oppugnatam,quum diu fortiter vim sustinuisset,Præfecti ignauiâ amissum est, & in Hispanorum ditionem cõcessit, inque ea hactenus mansit. Et loci natura, & operibus munitissimum est;vallo præalto,firmis oppugnaculis, & fossis profundis & latis cinctum. Mosa alluitur, cuius nauigatio ciuibus magnas adfert vtilitates:ad quam tuẽdam præsidiarij cis Mosam propugnaculum exstruxerant,quod à reipsa Sumptus perditi nomen habebat.Id primum Mauritius aggressus, multo negotio,à præsidiarijs desertum capit:inde castrorum limites designat, quibus vniuersis fossas circumducit,fossas lorica cingit, per loricam militũ stationes disponit:&quandoquidẽ non dubitabat ab hoste foris se propugnatum iri;quatuordecim vigilum receptaculis castra includit, in quorum singulis quinquageni mosquetarij excubias agerent.Castra vniuersa in tres partes erant diuisa, Ad orientem,hibernum,ad ipsum Mosam,Comes Mauritius tetẽdit: vbi duo pontes Mosæ impositi, peditibus vnus,equitibus alter traducendis inseruiebant.Catenæ etiam duæ ab vna ripa ad aduersam erant ductæ, & vtrimque propugnaculis firmatæ,vt naues incendiariæ, si quas fortè Hispani prono alueo demitterent,arcerentur.In altera castrorum parte,quę priori contigua erat,versus occidentem hibernum, Gulielmus Nassouius cum

Grauia obsidetur.

Frisijs

Frisijs & Scotis,& parte equitatus, ſtationem habebat:tertiam verò infra vrbem Angli, cum Ringrauio & Friderico Comite Solmenſi tuebantur, ibique forum erat rerum omnium promercaliū, quæ ex nauibus egeſtæ, curribus inde in ceteras caſtrorum plagas ſubuehebantur. Cis Moſam, ad ſeptemtrionem,nullius ducis erant tētoria: equites tamen ex alijs caſtrorum partibus ad excubias agendas eò mittebantur. Præſidium omne, quod in oppido erat, mille & quingentis conſtabat viris:ciues verò in vniuerſum vix trecenti erant,qui olim ſupra mille & ducentos fuiſſe dicuntur: nec tamen arma eis ferre licebat, quod Hiſpani non ſatis eis fiderent.Intereà Archidux, quò ſe Mauritij impetus conuertiſſet,accepto: Admiranti iubet vt quantocyus obſeſſis auxilium ferat. Is collectis quantas poterat copijs, quum dies aliquot in Ducatu Cliuenſi ſubſtitiſſet, decimo Auguſti caſtra ex aduerſo collocat: & Moſa ponte iuncto, itinera Neomagenſia, ad intercipiendos commeatus,infeſtat & obſidet. Magnam eius aduentus in oppido inter præſidiarios excitauit lętitiam:& ne ſibi ipſi deeſſent,fortiter aliquoties eruptione facta,victores nonnunquam, victi interdum in vrbem redierunt. Eà nocte quæ inter duodecimum & decimum tertium Auguſti diem interceſſit,oppidani nunquam in caſtra hoſtium detonare & fulminare ceſſabant:quod ſignum erat Admiranti craſtino die vtrimque ſimul vno & eodem tempore caſtra oppugnandi. Adſunt ergò manè præſidiarij primùm,ſexcenti,qui in Friſios impetu facto,damno vtrimque dato & accepto, mox in oppidum reiecti ſunt: inde auxiliatores conſpiciuntur,virgultorū faſces,matteclos, ſcalas, dolabras,

Anno 1602.

Admirans Grauiæ obſidionem ſoluere conatur.

Anno 1602. ligones, aliaque id genus instrumenta portantes, quibus sperabant castrorum aliquā partem se incensuros, & vbi omnia feruerent tumultu, in oppidū penetraturos. Sed Mauritio tanto fuit facilius hūc hostis conatū auertere, quod de eo iam prius esset admonitus. Triduo post Hispani rursus aciē ante castra ostentant: obsessi interim Anglos inuadunt, eadē penè fortuna, qua prius. Vulneratus est in hoc conflictu Anglorum tribunus Verius; exq; eo vulnere mortuus passim dictus fuit: quod tamē secus se habet. Tentatis frustrà castris, Admirans noctu clàm præmissis impedimentis, exercitū reduxit, & vbi ad Venlonā aliquammultos dies substitisset, nec à ciuibus impetrare potuisset, vt prę-

Retrocedit. sidiū admitterent, Traiectū versus cōtendit, omni spe obsidionis soluendæ destitutus. Nam & magna copiarū pars iā dilapsa erat, & tyronū præsertim Italorū; qui turmatim ad hostiū castra quotidiè, inde q; accepto commeatu & à Mauritio viatico adiuti, quà cuiq; proximū erat, domū proficiscebantur. Reliqui intépestiuo admodum tempore stipēdiū flagitātes, ad seditionē spectabāt: è quibus quū nonnulli Aumontiā occupassent, Admirās, vt nascenti malo occurreret, oppidū inuasit & incēdit; sed seditiosi, pręter paucos, ferro sibi exitu patefacto, Dalā atq; inde Hostratā petierūt. Post Admirantis discesfū, Mauritius Rinbercæ timens, Ernestū Nassouiū cū aliqua equitatus & peditat⁹ parte ad Rhenū misit, ijsq; ie locis præsidio esse iussit: & ne hostis cōmeatu iuuaretur, ne qua nauis supra Bercā eueheretur, edixit. Interea quāuis ab Hispanorū exercitu castris foris oppugnarentur castra, nihilominus summis viribus cœpta vrgebatur obsidio: iamq; muri & aggeres ita propugnatoribus

bus infesti erant, vt vix prospicere quisquã aude- rec. Tandẽ expulsi suis munitionibus præsidiarij, quũ ad summam oppugnationẽ omnia parata viderent 19. Septẽb. deditionẽ pacti, eodẽ statim die arce, inde biduo pòst oppido excesserũt, sexcenti circiter viri. Leges deditionis cũ ciuibus primũ hę fuerũt: Vt omniũ eorũ quæ antè facta vel dicta essent, ęterna esset obliuio, nec cuiq̃ eo nomine molestia exhiberetur: Mauritiusq́; omnes pariter, Ecclesiasticos & sęculares in patrociniũ & tutelã susciperet, cui etiã, vt hypothecario, fidẽ omnes & obediẽtiã præstẽt. Idẽ priuilegia omnia, immunitates, libertatẽ, quibus ante bellicos hos mot⁹ ciues vsi sunt, ijsdẽ cõfirmaret. Omnibus vtriusq; sexus Ecclesiasticis, ciuibus, inquilinis qui Catholicam profitentur religionẽ eãdẽ porrò quoq; profiteri, & tranquillè & pacatè viuere liceret, ijdẽq; ab omni iniuria & contumelia defenderentur: templũ etiã vnũ, in quo suos matrimonij & baptismi ritus peragãt; eorũdẽ vsui permitteretur. Religiosi omnes monachi, moniales, in monasterijs suis, si volent, permanerent, bonisq́; suis & reditibus liberè vterẽtur fruerentur. Et quia ciuibus nõnullis à præsidiarijs multũ debetur: liceret eis in regiones Archiduci subiectas proficisci, ibiq́; intra semestre tẽpus ius suũ cõtra eos prosequi: q̃ tẽporis spaciũ si cui nimis breue sit, ampliorẽ is cõmeatũ ab vrbis pfecto, quẽ Mauriti⁹ cõstituet, postularet. Quod si qs oppido emigrare, & aliò trãsferre domiciliũ voluerit; liceret intra pximũ trienniũ id facere, q verò ex oppido vel rus, vel aliò, peregrinationis ergò, cõcesserint, ijsdẽ quandocũq; placuerit, in vrbẽ redire, bona sua vel p se vel p alios administrare fas esset. Quũq; oppidũ hoc in confinio

ANNO 1602.

Leges quibus Grauia dedita est.

Anno 1602. Ducatus Cliuensis & Rauestænensis dynastiæ positum sit, vbi consueta Hollandorũ vectigalia & tributa locum non habent; ciuium etiam fortunæ immensis præsidiorũ sumptibus exhaustæ sint: daret operam Comes Mauritius vt ab eiusmodi oneribus immanes ciues habeantur, durante præsertim bello. Idem etiam præsidij in oppido collocandi rationes ità moderaretur, vt ciuibus oneri non sint: & tam equitum quàm peditum habitaculis construendis loca quædam vacua assignaret. Et quia incomparabilia planè damna ciues iamdiu perpessi sunt: nulli Vnitarum prouinciarum ciui in quemquam ciuem aut ipsam rempublicam Grauiensem vlla actio debiti nomine proximo biennio daretur. Hac etiam transactione nõ præsentes tantùm ciues, sed etiam qui superiori tempore reipublicæ aliquo munere perfuncti, alibi iam degunt, comprehenderentur: quibus etiam liber in vrbem reditus quocumque tempore patuit. His quidem conditionibus ciues à Mauritio in fidem recepti sunt: nec minus humaniter cum militibus actum est, quibus non arma tantùm & signa, sed omnia etiam sua efferre omnibus & singulis est permissum.

Bironij conspiratio. De Galliæ rege suprà diximus, quomodo is regni sui quietem vnicè procurare sit enixus. Quare non ijs tantùm qui contra ipsum arma gesserant, clementissimè ignouit: sed eosdem quoque Præfecturis, dignitatibus, alijsque regijs muneribus & beneficijs coluit & exornauit: imprimis, verò nullum liberalitatis genus erga eos prætermisit, quorum in bello & pace opera vsus sæpè fuerat. Inter hos fuit Carolus Gontaultius: quem mortuo patre rex primum Franciæ Marescallum, postea ex

equite

equite Ducem Bironij creauit; equitum etiam vtriusque ordinis collegio, qui honor longè maximus habetur, adscripsit, Burgundiæque Ducatum regendum ipsi tradidit: ac omnino ad fastigiũ, regiæ dignitati pœnè proximum, euexit. Sed profectò verum est quod à Poëta dicitur, Anno 1602.

Nescia mens hominum fati, sortisq́ue futuræ,
Et seruare modum, rebus sublata secundis:

nec vllis finibus insatiabilis hominum coërcetur cupiditas, eorum præsertim qui oculis suis exterarum istarum rerum splendore illudi patiuntur, nec ex veritate, sed opinione mundum hunc & mundana æstimant. At ô miseri! quid fortunæ rei tam fragili fiditis, quæ vt verè Minus ait, vitrea est, & quum maximè splendet, frangitur. Scianum mihi quis illum apud Tacitum adspiciat: & honoribus intumescat! Et profectò accidere cuilibet potest, quod cuiquam potest. Non considerauit hæc Bironius, & cæca quadam cupiditate rerum maximarum abreptus, ea sequutus est consilia, quibus in tristissimum exitium se præcipitauit. Quamquã enim non cum Hispano tantùm, sed cum Sabaudo quoque Gallorum regi pax esset: non deerant tamen qui nouis rebus studebant, & vel regis odio, vel ambitione incitata, id agebant, quomodo regia corona in alium transferretur. Cum his consilia miscere quum publico rumore diceretur Bironius; rex tamen vt tam grauem suspicionem de eo conciperet, cuius fidem & obseruantiam multis superiorum temporum documentis perspexerat, diu non potuit induci. Tandem detecta vniuersæ coniurationis serie à Lafnio quodam, Bironio rerum omnium secretarum conscio: primum

Anno 1602. dissimular, & Bironium, qui duodecimo Iulij ad Fontem bellaquæum venerat, nō minus humaniter q̃ antea excipit & tractat. Ille q; quum rege colloquutus, paullo post à Suessionensi Comite ad cœnā abducitur: in qua tristis assedit, & cogitabūdus à cœna ad regē reuersus, quod multa iā nox esset, in suū inde hospitium cubitum discessit. Postero die ad regem vocatus, deq; eo cuius argueretur admonitus, grauissimis verbis se caputq; suū exsecratus est, si vera essent, quæ dicerentur. Rexq; verbis ipsius fidē habere simulās, tū acquiescere videbatur. Post cœnā à regina ad ludē?ū inuitatus, tū lusit quidē, sic tamen vt de serijs cū rebus cogitare facilè appareret. Rex interea iu cœnaculo obambulare, modò cōsistere, modò rogare, vter ludendo vinceret, Bironius an regina: quumq; Bironius responderetur, Et ego, inquit, lusum iam verso, in quo equidem penes me victoriam fore spero. His rebus in multam noctem productis: rex vt cubitū singuli se conferrent, iussit. Bironium regio conclaui egressum, Vitri9, è familiaribus regis quidā, subsequitur, & gladij à latere Bironio pendentis capulum amplexus, confestim vt exarmatus captiuum se sisteret, è regis mandato monet. Exclamat mox Bironius & quanta iniuria sibi fieret, cui ea arma eriperētur, quibus regni Gallici dignitatem & salutē non fortiter minus, quàm feliciter hactenus defenderit, conquestus, tradere tandem omnino recusat. Vitrius ergò regis mandatum ei iterat: quē Bironius obsecrabat, vt è suis aliquem ad regem mitteret, qui hanc contumeliam deprecaretur: aut si omnino rex id vellet, arma non Vitrio, sed regiæ custodiæ traderentur. Quum obtinere nihil posset, Equidem primùm inquit, iam arma

mea

mea,& vt vereor postremùm depono.In custodiã abductus, miram tristitiam præ se tulit,& non modo insomnem illam noctem transegit, sed nec ad quietem quidem vmquam se composuit,aut caput reclinauit. Eodem tempore Brastinus ad N. Valesium,AuerniæComitem socium conspirationis,missus,regis mandatum ei exponit; qui nullã pauoris dans significationem, Arma mea, inquit, quod attinet, non impedio quominus statim auferas;quibus nemo vmquam, præter feras aliquot &apros,est occisus.Inde altissimo somno quieuit. Ea nocte qua captus est Bironius, equi ipsius omnes instrati & parati ad fugam stabant, inter quos tres miræ pernicitatis fuisse dicuntur:adeò vt si ea nocte oppressus non fuisset,fuga fuerit elapsurus. Die Veneris,qui decimus quartus erat Iunij, BIRONIVS per internuncios regem monet,vt res Burgandicas, ne quid detrimentum ibi acciperetur,diligenter procuraret. Nam intellecta Bironij captiuitate Baronem Lussium minimè quieturum. Quæ res etiam regem nonnihil exacerbauit,quod minari,magis quàm salubriter monere videretur. Sequenti die vterque rhedæ impositi Molinum, inde naui Lutetiam deuecti sunt, sequente magna ad vtramque ripam armatorum manu: rex postridiè Sangermanum profectus, vbi recens natus ei filius educabatur,nutricem exanimatam reperit: quæ quum venenum sibi datum animaduertisset, infantem nunquam postea vberibus admouit, atque ita innoxiam infantis ætatem,qui per latus eius petebatur,præsentissimo exitio liberauit. Bironius sequentibus aliquot diebus examinatus, consilium suum minimè diffitebatur, multò minus se purgabat:sed scriptis manu sua ad regem litte-

Anno 1602.

Anno 1602. litteris pristinorum suorum meritorum, quę multa regi præstitisset, rationem haberi, vitamque sibi donari petijt: multumque laudata regis clementia & mansuetudine, qui etiam infensissimis hostibus ignouerit, in sola ipsius facilitate spem omnē sibi positam dixit. Quid si huius delicti sibi gratia fieret: vitam se suaque omnia lubenter regi & patrię impensurum. Quod si in patria locus sibi negaretur, saltim in Hungariam in exilium mitteretur; vt ibi si fortè, bonam aliquam operam vniuersæ reipublicæ Christianæ nauare posset: daturum operam, ne à vetere Gallorum virtute degener videatur: eaque quæ à rege in militaris artis disciplina longo iam annorum vsu didicerit, re ipsa & factis comprobaturum. Sin nec hæc conditio placeat: domo sua includeretur, cuius limen si vmquam rege inuito egrederetur, non modò nullum supplicium recusare, sed etiam æternæ damnationi omnibus inferorum cruciatibus se caputque suū deuouere. Miserabiliter se deceptum ab ijs qui alienis periculis ad sua emolumenta abutantur: eorum vanitatem & malitiam iam se videre; suam verò imprudentiam & temeritatē qua in summas has angustias sit cōiectus, tantùm deplorare posse. Similiter amici eius ad regis genua prouoluti, misericordiam implorârunt; & in primis equestris dignitatis socij, ne rex grauius aliquid in Bironium, quod ad vniuersi honestissimi ordinis ignominiam pertineret, decerneret, sollicitè intercesserunt. Respondit rex, Si res hæc ad suam tantū personam spectaret, velle se vltrò, & posse quoque ignoscere: quum verò regni vniuersi plurimū intersit, cuius saluti & incolumitati nequaquam deesse queat; tantum tamque mali exempli facinus non

nus non posse non punire: ceterum nihil priuata vltionis cupiditate impulsum, grauius in eum statuere, sed legibus & iudicijs rem omnem permittere, & secundum ea sententiam moderari velle. Defensionem interea Bironius meditaretur, quæque ad caussam ipsius probandam, & innocentiã demonstrandam facerent, sedulo omnia conquireret argumenta. In hoc læsæ maiestatis crimine nullum omninò locum cuiusquam deprecationi aut intercessioni relinqui, nec patris quidem pro filio, nec filij pro patre. Ignominiam quidem, de qua querãtur, in neminem alium quàm facinoris auctorem cessurum. Non minus se dolere hoc tristi ipsius casu, quàm ipsos: quod tamen regis & benefactoris sui vitæ insidiatus sit, id verò sibi minimè tolerandũ videri, nec excusari vllo modo posse. Quãuis vero vniuersa criminis ratio ita aperta erat, vt vix vllæ ampliores probationes requiri viderentur: rex tamen omnia iudiciorum sollemnia obseruari iussit, & secundum leges, expensis vtrimque argumentis pronunciari. Ita ergo sentẽtia ad vicesimum septimum vsque Iulij dilata est: quo die è custodia eductus Bironius, ante iudicum tribunal constitutus est. Accusatus, longam orationem est exorsus, magis ad mouendos iudicum animos, quàm crimen purgandum accommodatã. Nam & merita sua in rem Francicam, magnificè quidem, sed verè deprædicabat: & vulnera, quæ supra triginta toto corpore, pro patria & rege pugnans, acceperat, ostentabat: adeò vt multi è iudicibus à lacrumis temperare sibi non potuerint. Nam & vera esse sciebant quæ iactaret: & pristinã illius fortunam cum præsenti statu comparantes, non ipsius tantùm, sed rerum omnium humanarũ con-

Anno 1602.

Anno 1602. conditionem miserabantur. Et certè, miserum erat videre eum, quem omnes non multò antè maximis acclamationibus excipere solebant, ex illo ipso loco, vt damnationis iam certum reum, caussam dicentem; illamque dextram, quam toties victricem antè gratulabundi exosculabatur, ad iudices supplicem nequicquã tendentem, illam denique vocem, quæ antea bonam Gallici imperij partem moderabatur, vt viuere liceret, audire obsecrantẽ. Inter alios sermones in sceleris indicem Lafinium asperrimis verbis est inuectus. Sed reductus in custodiam, post biduum capitis damnatur. 13. Iulij Senatores & Iudices è curia in Bastillianũ mane circiter horam octauam veniunt, vt sententiæ exsequutioni interessent. Pegma iam in area quadã publica, eiusmodi supplicijs destinata (creuiá appellant) erat exstructum, iamq; infinita hominum multitudo eò confluxerat, & fenestræ omnes vicinatũ ædiũ, magno pretio conductæ, spectatorum plenę erant: quibus exspectantibus dum ad suppliciũ Bironius produceretur, à rege ad iudices venit internuncius, qui significauit, regẽ amicorũ precibus inductũ velle, vt de Bironio non in publico loco, sed in Bastilliano supplicium sumeretur. Eo ergo in posterũ diẽ dilato; Senatores mane rursus cõcilio habito de regis mandato deliberant, cui morẽ in hac re gerere difficilè primũ videbatur: quod in eiusmodi casibus superioribus tẽporibus nemini vmquam, ne Sampaullo & Nemursio quidem Comitibus, ea gratia esset cõcessa, qua tamen quum iustitiæ nihil derogaretur, adsẽtiuntur tandem, & in area subdiali pegma quatuor pedes altũ fieri mandãt. Hora 11. Cancellarius, supremus Præses, quæstor rerũ capitaliũ, 4. Senatores,

tores, itéq; quatuor Scabini ciuitatis in Bastilliano conuenerunt. Ibi Cancellarius primum a Bironio equestris dignitatis ornamenta postea coronã & paludamẽtũ, principatus insignia, repetijt: quibus redditis, sententia in ipsum est pronunciata. quam equidẽ impatienter admodũ audiuit, & subinde interpellans, ecquid nulla spes gratiæ reliqua esset, requirebat. Aderant ei quidã è Dominicanorũ familia monachus, Garnerius, & Magonius parochus ad Diui Nicolai: quorũ neglectis sermonibus ipse loqui nunquam intermittẽs, modò fortunã suã deplorabat, modò suã, modò aliorum leuitatẽ incusabat. Quotcumq; cõclaue viderãt ingressum, impetratæ veniæ nunciũ sibi venire arbitrabatur. Interea Cãcellarius & Senatores prãsum discesserunt: quib⁹ hora secunda pomeridiana reuersis, Cãcellarius mẽsam & sellã poni iubet, Bironiũ adsidere iussum de certis qbusdã reb⁹ percunctatur, cui⁹ respõsa pñsẽs Actuarius excipiebat. Digressis Cãcellario & Senatoribus, idẽ Actuari⁹ mox in cõclaue regreditur: quẽ veniẽtẽ Bironius rogat, Antẽq⁹ iã adesset moriẽdi. Nihil tale ille ad ferre se dicit, sed cõfessioni, q̃ pri⁹ ediderat, manu sua subscribere iubet. Paret Bironi⁹, & aliq̃diu cu Doctorib⁹ Theologis colloquut⁹, vbi iã omnia ad supplicium parata fuerunt, egredi iubetur. Carnificẽ vincula intẽtãtẽ minis repulit, atrocissima ei interminatus, si ante vel post ictum vllã sui partẽ cõtrectaret; & insano parum absimilis, insolẽtissima verba iaciebat. Sacellum cum cõfessario suo rursus ingressus, peccata cõfitetur, dein vocatum ad se Actuarium ad Cãcellariu mittit, q facultatẽ cõdẽdi testamẽti ipsi impetraret, qua acceptã, litteras manu sua ad regẽ scribit quibus vt ratũ à se

Anno 1602.

factum

Anno 1602.

factum haberet testamentum, obtestabatur, Sacello exiens, fortè fortuna Præsidis coquum prætereuntem conspicatus, chirothecas suas ei tradidit, & has, inquit, ad mei memoriam tibi habe: nummos etiam aureos & argenteos, quos secum habebat, inter præsentes distribuit: annulos digitis detractos nobili cuidam dedit, cum mandato, vt natu minimę sorori suæ eos ipse redderet. Verba hęc frequenter repetebat: Ergone ita mihi moriendũ est! He miserum me! Sed quandoquidem res mutari non potest: age feramus, Ad supplicij locum vbi peruenit, vehementer expalluit, & gradibus quibus in pegma ascendebatur, innixus, preces ad Deum extremas fudit: quibus perfectis, adest mox carnifex, & linteolo oculos ipsi obnubere conatur: quod ille minimè tulit, sed abacto eo, thoracem suum ipse exuit, & noto cuidam porrigere volebat, nisi lictor quidam obstitisset: qua re vehementer fuit indignatus. Mox linteolo sibi ipsi oculos obvincit, & in genua procidens quum sensisset carnificem cæsariem, qua ceruices ipsius tegebantur, detondere velle: properè iratus consurgit, velum detrahit, & gladium oculis requirẽs minabundo vultu: Quid, inquit ad carnificem, me prohibeat iam, quo minus te & dimidiam horum spectatorum partem neci dedam? Ad hæc verba & vultum hominis, multi spectatorum vota mutârunt sic vt qui antea multis laboribus in eum locum penetrâssent, recipere se inde, modò possent, quam primum cuperent. Interim nobilem quemdam in turba conspectum, vt crines sibi demeret, rogat: quo tergiuersante, & collacrumante, Ah, inquit, homo miser & ignauissime, tune supremum hoc officium mihi præstare recusas? Crines tandẽ ipse in

ipse in nodũ colligit, & cuiusdã è regio satellitio opera in oculis obuelandis vsus, in genua iterum pcumbit: sed è vestigio rursus cõsurgens, O acerbam, inquit mortem! quam equidem æquo animo vt adeam, ab animo meo impetrare non possum. Conuersus indè ad Theologos, regi amicisque nunciari iubet, Mori se velle vt fidelem Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ alumnum: & hortari, ne malis consultoribus fidẽ habeant, aut seducendos se præbeant. Tandem iterum sine cuiusquam opera obuincto capite, in genua subnixus, Mi Deus, inquit, miserere mei: & carnifici, Feri, feri properè, inquit: quibus vltimis verbis adhuc inter labra natantibus, caput humeris abscissum in solum procidit; & cum sanguine densus quidã vapor instar fumi, exijt: cadauer verò sequẽti nocte in Fano D. Pauli ex regis mandato est humatũ. Bonorum semissem, quę vniuersa fisco Senatus addixerat, rex hęredibus permisit. Hic fuit exitus viri belli magis quàm pacis artibus excellentissimi, quem vt virtus ad summa prouexit; ità superbia & ambitio in extremam ignominiam & ludibrium deiecit.

Anno 1602.

supplicium.

Etsi, vt suprà diximus, Transyluania ferè omnis in Cæsaris potestatem à Georgio Basta fuit redacta: multi tamen, inprimis è nobilium ordine, Batorio occultè fauebant. Ex ijs aliqui; coacta non exigua manu, Bistricium, non ignobile ijs in locis oppidum, se contulerunt; & asportatis eò rebus preciosissimis; Batorianarum partium studium apertè præ se tulerunt. Bastã ergò cum exercitu celeriter eò profectus, vrbem obsidet, & muris tormentorum vi deiectis, Valones & Germanos per ruinas immittit: qui incautè subeuntes; hostium

Bistricium (vulgo Nessa) à Basta receptum.

Anno 1602. contemptum clade non mediocri luerunt. Quò verò alacrius milites oppugnationem aggrederentur: Basta præconis voce proclamari iubet, ijs qui per vim irrumperent, prædæ oppidum se permissurum. Huius rei nuncius oppidanos mirũ in modum consternauit, ciues præsertim panperculos, qui à nobilibus circumuenti, de suo maximè ludicurio animaduertebãt. Quare ad Bastã è suis quosdam mittunt, qui vim deprecarẽtur, & de pace tractarent: cuius conditiones à Basta præscriptas quũ oppidanus magistratus minimè admitteret, oppugnatio non minori, quàm cœpta erat, studio continuatur tanto militum studio, vt breui ciues in hostium manus venturi viderentur. Milites enim vehementer accenderat prædæ auiditas; quam multam & opulentam ex omnibus locis eò congestam nouerãt. Interea Nicolaus Vagodius à Batorio ad Bastam venit legatus, nuncians nec Batoriũ cõtra Cæs. Maiest. bellum gesturum, & ciues Bistricianos potestati eius lubẽter se permissuros; modò æquis conditionibus acciperentur. Basta ergò, qui oppugnationis exitum adhuc incertum esse, & quã dugnationis exitum adhuc incertum esse, & quã durus esset cum hoste in desperationem verso futurus conflictus, non ignoraret: oppidanos his legibus in gratiam recepit: vt triginta thalerorũ millia mulctę nomine soluerent; & qui discedere vellent, cum fortunis suis omnibus incolumes in loca tuta deducerentur. Egressos itaq; trecentos circiter viros, cum sex & nonaginta rhedis; quibus præter impedimenta imbellis puerorum & mulierum manus vehebatur, ante portam Bastæ equitatus excipit. Basta verò vrbem ingreditur, remq́uè diuinam celebrat, seuerissimè prius interdicto, ne quis supplicibus vim vllam faceret; aut fieri pateretur.

fetur. Vix duo millia progressi erāt, quū ecce immanissimè milites currus & rhedas inuolant, nec impedimenta tantùm diripiunt, sed etiam nobiles matronas, virgines & pueros captiuos faciunt, frustrà obnitentibus & scelus detestantibus præfectis, quorū aliqui dū militū furorē sistere conantur, in magno vitæ periculo fuerūt. Huius rei fama in oppidum perlata: Basta è vestigio in campum prouolat, & multū perfidiam hanc exsecratus, auctores sedulò conquiri iubet: quorum aliquot è vestigio supplicio affectis, prædam omnem, quantum quidem in eo tumultu recuperari potuit, oppidanis reddidit, magnā clementiæ & moderationis laudē apud Transyluanos, iustitiæ verò & seueritatis opinionem apud suos adept⁹. Tandē ergò Batorius, toties fortunā nouercā expertus, quibuscūq; modis pacē cū Cæsare facere decreuit, q̄ dū tractatur, Moyses Zecelerorū dux nouis motib⁹ initiū dedit, q millib⁹ aliquot collectis, ad Viseburgū rei benè gerendæ occasionē speculabatur. Dū Basta eò contendit, Tschiaccus Istuan de insidijs certiorē eū facit. Missis ergò nuncijs, Basta quo animo militē apud se haberet, exquirit. Respōdit Moyses, magnæ nobilitatis parti nō satis placere pacis cōditiones, quæ tū tractaretur. Ferret ergò alias tolerabiliores. Legatis nullo aut breui cum respōso dimissis, Moyses citra Marosam fluuiū in montana pfectus est: Basta verò impedimētū hoc sibi objici tū potissimū eò ægrius ferebat, quātò propius à spe Transyluaniæ omnis pacādæ iā aberat. Q̄ si ergo Moyses iterū vt saniora consilia sequeretur admonitus ab incępto nō desisteret: ne maiores ad ipsum fierēt cōcursus, cauēdū sibi statuit. Ad loca igitur vbi Moyses castra habebat profectus in hostilem aciē instru-

Anno 1602.

Militum ergà Bistricianos perfidia.

Moyses Zecclerus à Basta profligatus.

Anno 1602. instructam, & in vndecim cohortes distributam incidit:& sine mora suos & ipse ex aduerso componit. Inito prœlio, ad quingentos è Cæsarianis desiderati sunt, è Moysis verò miscellaneo Transyluanorum, Tartarorum, & Turcarum exercitu, ad tria millia ceciderunt, Moyses verò fugâ saluti suæ consuluit. Castris direptis Basta ad reliquias factionis conficiendas quosdam in omnes partes emittit:ad quem tertio post pugnam die Sigismûdus Batorius venit, qui vbi earum rerum inuidia, quæ à Moyse gestæ erant, se purgâsset, vnâ cum Basta Viseburgum paullo post est ingressus, seque totum Cæsaris potestati permisit. Ita iam omnibus ad pacem firmam & perpetuam spectantibus: Basta per tubicines & præcones populationem omnem prohibet, capitis in delinquentes constituta pœna.

Batorius Bastæ se dedit.

Ali Bassa capitur.

Haiducci, qui Rabæ & Comorræ in præsidio erant, Turcicas regiones longè lateque populabantur. Dum verò sexaginta circiter Turcis secum abductis domum repetere constituunt: certiores fiunt Ali Bassam, qui anteà Canisæ summo cum Imperio præfuerat, secundo flumine ad Vesirem Bassam excipiendum, descendere velle, exiguo cû comitatu, in quo inter alios apostata quidam fuit Pranquerus, qui ad Turcas, proditâ Christiana religione, defecerat. Mox ergò interfectis captiuis omnibus, quindecim miliaribus infra Budam côsident, & duo nauigia nacti, vbi primùm Bassam aduenientem conspexerunt, magno animo naué aggrediuntur, & quatuordecim occisis, inter quos modò dictus fuit apostata, Bassam cum magna prçda capiüt, & Iaurinum abducunt. Is quæstione habita, sequentia est confessus: Pincernam se antè

Tur-

Turcarum Imperatoris fuisse; postea Agria à Turcis expugnata, præfectura Budensi donatum fuisse, quem tamen magistratum tres tãtùm menses gesserit, inuidia quorundam & ambitione, maximè verò Amurathis Bassę depulsus. Iussum postea Pestanę vbi pręesse, Belgradum iter habuisse, in quo ab Haiduccis oppressus, ad hanc infelicem deuenerit fortunam. Turcarum Imperatorem in Vngariam ipsum hoc anno non venturum, sed Hasanem Bassam cum ingenti Ianitsarorum manu missurum: iamque earum copiarum partem aliquam Belgradum peruenisse. Iussisse Imperatorẽ non Strigonium tantùm, sed Albam quoque regalem obsideri; atque ideo exercitus Asiatici maximam partem, Scriba cæso, ad supplementum Vngaricarum copiarum destinatam: Tartarorum etiam octoginta millia conducta, qui, dum Strigonium obsidetur, omnia peruadant & depopulentur. Budam non operibus tantùm, sed etiam sex millium virorum præsidio, rerumque omnium necessariarum apparatu esse firmatam, præterquã alimoniæ: quam tamen breui importatum iri minimè dubitet. Pestam, quæ contra Budam est, eiusque clauis meritò censeri potest, quinque millium virorum præsidio teneri: in quibus ducẽti sint & quinquaginta perfidi Valones, qui habitu à Turcis diuerso consueto scilicet illo suo vtantur, & singulis mensibus stipendium accipiãt amplissimum. Cum ijs etiam Gallos nonnullos qui in Schutana insula iam degant fugæ consilià agitare: quod cum Vngaris & Germanis pacem colere nõ possint. His rebus cognitis, & Turcarum Tartarorumque aduentu exploratu, Archidux Matthias rei militaris peritos viros Viennam ad se euocauit

Anno 1602.

Anno 1602. uit, vt quibus optimè modis hosti occurri possets deliberaretur.

Archidux Albertus seditiosos milites proscribit.

Quomodo Grauia in Mauritij Nassouij venerit potestatem, suprà diximus. Quũ verò iactura huius oppidi grauis admodum esset, & seditiosorum militum cõtumaciæ à nonnullis imputaretur: Archidux Albertus Ordines vniuersos Gandauum primùm, posteà Bruxellam venire iussit, vt ibi de remedijs præsenti malo adhibendis cõsultaretur. Nonnulli enim non imperium tantùm detrectabant, sed cum Mauritio & ordinum confederatorũ Legatis, clandestina primùm, inde aperta quoque colloquia habebant; atque omninò ad defectionẽ spectabant. Archidux ergò publico edicto ad ordines suos & signa quemque redire iubet; capitis & fortunarum omnium in contumaces proposita pœna. Primũ verò proditionis eos insimulat, qui eo tempore maximè, quo hostium conatus erat reprimendus, specie secessionis, quum nihil aut parum eis deberetur, commilitones suos, præsidiarios Grauienses, ipsamque vrbem turpiter prodiderint, imperium, quum ad soluendam obsidionem ducerentur, detrectantes. Non nouas quidem & inusitatas esse militum istas secessiones: omnes tamẽ qui superioribus tẽporibus idem fecerint, hoste ingruente, imperium sequutos, bonamque operam ducibus suis nauâsse. Horum verò factum tantò minus ferri posse, quantò minores eius habebant caussas, nec vllam ferè, nisi vt hostium vires, quibuscum colludant, cõfirment, & maximam coactæ pecuniæ vim ad se trahant. Quæ res quum non tantùm noui sit exempli, sed etiam sceleris plena: velle, iubere, vt intra triduum omnes & singuli ad obedientiam redeant, suisq; ducibus & cẽ-

turionibus se sistant: quod qui fecerint, non passurũ vt vlla eis molestia hoc nomine exhibeatur, qui verò in contumacia perseuerârint, pro perduelibus, & læsæ maiestatis crimine reis habitum iri. Cõstituit deinde in singulorum capita prẽmium: gregarij militis, decẽ, eorum qui munus aliquod gerũt, cẽtũ; in cẽturionis, ducentorũ; in ducis verò caput, quingentorum coronatorum. Bona etiã & fortunas illorũ vbicũq; positas proscribit. Cæsarẽ itẽ, regẽq; Hispaniarũ & quoscũq; alios Principes, ad quorũ ditiones seditiosi illi pertinẽt, rogat, vt deprehẽsis manũ injiciant, & puniendos dedant. Vxoribus, liberisq; eorũ nõ aditu tãtùm ad ipsos interdicit, sed quicũq; eos cõmeatu iuuerint, rapinæ & libidini obuij cuiusq; permittit: nomina deniq; seditionis huius populãrium è militũ catalogis exscribi, & circa omnes prouincias mitti mandat, quò facilius agnoscantur, & ad pœnã cõquirantur. Hac accepta proscriptione, seditiosi ad Comitis Mauritij patrocinium confugiunt, & edicto scripto facti sui rationes explicant: Sic nimirum, frustra tentatis ad Grauiam castris, stipendiũ, quũ aliter non possent, secessione facta extorquere conatos: nec quidq̃ ea in ratione toties ab alijs vsurpata, noui esse exemplo: quumq; hostiliter se peti animaduerterẽt: extrema necessitate coactos ad hostium suorum patrocinium respexisse. Quũ ita nec leuibus nec asperis remedijs quidquam proficeretur, Octauius Frangipanis, Apostolicus in Belgio legatus sequestrum se, & intercessorem interposuit: & Hostratam ad seditiosos profectus, honorificè ab eis except° est: vbi cœpta vix tractatio, quũ ille nihil præter promissa & bonã spẽ adferret, mox fuit abrupta: nec illi quidquam prius cum Ar-

Anno 1602.

Seditiosorum responsio.

Anno 1602. chiduce aut eius Legatis agere volebant, quâ promulgatum Edictum reuocatum esset & antiquatũ.
Violentia. Inde excursiones in Brabantiam longè lateque fecerunt, & à miseris agricolis & rusticis nõ alimoniam tantùm & necessarium apparatum, verùm etiam magnam argenti vim extorserunt. Ad vicinos quoque vexandos progressi, Leodiensibus litteras miserunt, in medio pugione perforatas, quatuor angulis igni combustis, interminati nisi cõtinuò vasa aliquot pulueris sulfurei, funiculos, certum hastarum & scloporum numerum, cum aliqua pecuniæ summa mitterent, ferro se & igni eos prosecuturos. Eodem exemplo ad præfectos & oppida agri Iuliacensis, Cliuensis, Coloniensis, Treuirensis, itemque Aquisgranenses litteras miserunt, vt scilicet è vestigio aliquot aureorũ millia numerarent, inde per certos homines de menstrua agerent contributione. Molestissimè hanc eorum insolentiam tulerunt Principes, inprimis Iuliacensis, deque ea vehementer apud Archiducem est cõquestus: qui quum multò verbis se purgâsset, quod eos iam minimè in potestate sua esse nec vlli alij quàm suis grauiores, diceret: quatuor equitum cataphractorum turmæ, de consensu nobilitatis sunt conductæ, & per stationes ad Mosam dispositæ, vt transitum, si quam fortè vim tentarent seditiosi, impedirent. Posteà missi ad eos sunt, qui quam iniustum & fœdum admitterent facinus, amicos & vicinos ità hostiliter tractando, ipsis demonstrarẽt, & ab incœpto dehortarentur: & tandem eò perducta res est, vt certa pecuniæ summa, non vt debita, sed gratuita ipsis penderetur. Similiter ceteræ regiones populationem veritæ, pacem ab eis precio redemerunt.

Albam regalem, quam à nostris expugnatam supra commemorauimus, hac æstate Turcæ incredibili cum damno totius Christianæ reipublicæ, recuperârunt. Post mensium aliquot obsidionem, quũ nostri sæpè frustrà alimoniã & militẽ introducere essent conati: Sigetanum tandem suburbiũ duodecimo Augusti à Turcis fuit occupatum, cæsis ferè præsidiarijs omnibus, qui magnam partem Haiducci erant: Germani verò, qui Haiduccis præsidio missi erant, ægrè se in oppidum receperunt: quod Turcæ sequentibus diebus aliquot tanta cõtentione oppugnârunt, vt gregarij milites, abiecta spe defensionis, inscijs tribunis & ductoribus, cum hostibus de deditione agere cœperint: quæ dum tractatur, Valones perfidi & Ianitzari conferti muros scandunt, & in oppidum erumpũt, obuijs quibusq; trucidatis, ceteris captiuis in castra abductis. Ibi vrbi præfectus ceterique militum nostrorum ductores Vezirem Bassam obsecrârunt, non tantũ vt liberi dimitterentur, verùm etiã litteræ publicæ darentur, quę documento essent, non se, sed milites deditionis consilia agitâsse: Bassa verò, quandoquidem, inquit, ipsi vltrò fatemini, non vos, sed milites vrbem mihi dedere voluisse: æquum etiã est, vt voluntatis illi erga me suæ fructum ferant, vos verò pertinaciæ pœnã luatis. Ità redẽptis ductoribus, gregarij milites sunt dimissi. Nacti sunt Turcæ decem tormenta noua, præter ea quæ antè ibi fuerant, pulueris sulfurei, salis, missilium, etiam pecuniæ copiam non contemnendam.

Anno 1602.

Alba regalis à Turcis capta.

Hanc iacturam paullo post melior nostrorum fortuna, & felicior euentus compensauit. Budam & Pestam, ex aduerso ad Danubium sitas vrbes, Turcæ ponte iunxerant, vt & commeatus hinc inde trans-

Pesta à Christianis recipitur.

Anno 1602. de transferri. & si vis fieret, vltrò citroque auxilia summitti possent. Nostri facilè animaduertebant, ponte rupto, & interclufo commeatu minus difficilem fore alterutrius vrbis oppugnationē. Quare nauigia aliquot, mira & noua arte instructa, prono alueo demittunt: ad quorum conspectum Turcæ magno numero in pontem prouolant, & nostros telis & globis frequentissimis petunt. Intereà Comes Sulzensis terrestri itinere profectus, aquaticū oppidum cum suis occupat: & Turcas qui pontem propugnabant deijcit, & in fugam compellit. Hoc modo libero aditu patefacto, nostrorum partim pontem rescindunt, partim è terrâ, Turcis fluminis defensioni vnicè intentis, scalas muris Pestæ applicant, & in vrbem euadunt. Consternati Turcæ; vbi circumuentos se vident, deditionem offerunt, sed nostri calidos adhuc animos continere non potuerunt, quin magnam præsidiariorum ederent cædem. Illi ergo in loca vrbis munitissima se conferunt, sed quum nostros viderent ingruentes, vitam modò pacti, cum vxoribus & liberis sese dedunt, polliciti idem à Budensibus præsidiarijs impetraturos. Pesta ergò in potestatem redacta, nostri Budam sibi quoque dedi postulant; sed reculantibus præsidiarijs, tormentis oppugnare incipiunt. Interea Vezir Bassa de successu ad Pestam certior factus, copias quantas potest contrahit, & magnis itineribus progressus, ad Pestam castra sua nostrorum castris opponit. Dum ità nostri Budā, Turcæ Pestam oppugnāt, & quotidie prœlia conferunt, multi vtrimque ceciderunt. Nos euentum obsidionis adhuc incertum Deo relinquimus, quē precamur vt propediem non Budæ tantùm expugnatæ, sed etiam penitus fractarum Turcicarum virium historiam scribere possimus. Osten-

Ostendam hac æstate non hostis tantùm, sed pestis quoque vehementer infestabat: cuius initium è mortuorum contagione, qua non aër tãtùm, sed etiam aqua putealis infecta fit, quidam fuisse perhibent. Tãta certè vis morbi fuit, vt milites eò missi, ad certissimam mortem sibi proficisci viderentur. Nec tamen ideò Ordines confederati quidquã quod ad loci defensionem pertineret, intermiserunt, & subinde mutatis præsidijs, & recenti illato commeatu, militum animos confirmârunt. Et Archidux quidem biremes aliquot in Hispaniam adornari iusserat, quę cum Slusensibus & Dunkircanis nauigijs coniunctæ canalem, per quem vnum in oppidum patet ingressus, obsiderent: sed Hollãdi eas in itinere aggressi, duas ex ijs demerserunt, vnam ad Caletum in arenas & sicca compulerũt, quę longa erat passus sexaginta duos, vtrimque vicenis quinis remis instructa. Reliquas Spinola saluas in portum Dunkircanum inuexit. Similis fortuna non multò post aliquot Hollandorum naues Ostendam petentes oppressit: quarum quædã tormentorum vi depressæ, quædam aduersa tempestate in litus eiectæ, HISPANIS prædæ fuêre. ANNO 1602. *Ostendana.*

Luxemburgensi agro Ordines confederati iam olim bellicum tributum imposuerant: sed eius loci magistratus subditis ne quid contribuerent, seuerè interduxit. Ad eos cogendos mense Nouembri missus Ludouicus-Guntherus Nassouius cum duobus equitum, tribus circiter peditum millibus per agrum Iuliacensem non sine incolarum damno profectus, Sanuitũ expugnat, & ciues pecunia multat. Ad primum eius aduentum Petrus-Ernestus, COMES Mansfeldius, regioni præfectus, *Ager Luxemburgensis vastatur.*

paganos

Anno 1602. paganos omnes quæ cara haberent in loca proxima munita comportare, & ferraméta omnia à molis auferre iusserat: fieri tamen non potuit, quin multa hosti subitò aduenienti relinquerentur: quę omnia fuerűt direpta. Missis deinde circűcirca per tubicines litteris; quibus incolæ adesse, & pecuniam quantam iussi essent, contribuere iubebátur, quum nemo compareret: Nassouiani pagis & villis ignem inijciunt, & supra centum & quinquaginta concremant, & prædâ onusti, quà venerant, ad suos reuertűtur, multis abductis captiuis, inter quos fuit Abbas cœnobij S. Huberti, cui quadraginta millium aureorum lytron dixerunt. Archidux, accepto hostilis huius in agrum suum inuasionis nuncio, veritus ne hostes locis illis se communirent, eamque regionem omnem sub imperium cogerent: è castris Ostendanis Comitem Buquoium cum aliqua exercitus parte ad sistendű hostem misit: qui iam ante Hispanorum aduentű erat digressus.

Hispanus de commercijs edictum iterat. Quomodo non tantùm Hispaniæ rex, sed etiam Archidux omnem cum Hollandis commerciorű vsum subditis suis interdixerint, suprà est explicatum. Quod edictum licet acerrimè vrgeretur: caueri tamen nő potuit, quin multi tàm ex Anglia, quàm Hollandia & Selandia consuetam negociationem exercerent, dum Gallorum aut aliorum opera vtentes, pro amicis fallunt. Detecta hac impostura: Hispanus hac hyeme non modò superius Edictum renouari iussit, sed etiam statutum promulgauit, quo portuum & rei maritimæ custodes in omnes nautas maiori diligentia, quàm hactenus, inquirere, suspectos detinere, deprehensorum bona in fiscum inferre iubentur, ita tamen vt

nec mu-

ne numus quidem inde sine expresso regis mandato moueatur. Anno 1602.

Motus Embdanus. Embdanum motum suprà paucis delibauimus. Is hoc tempore valdè recruduit, atque ita auxit, vt non sine alterius factionis interitu conquieturus videretur. Ciues enim vbi Comitem id agere animaduerterunt, vt interclusa nauigatione (quem ad finem multa diuersis locis excitârat munimenta) vi ad parendum cogeret: ab Ordinibus confederatis auxilia petierunt, & facilè impetrârunt. Cum his in Comitis ditionem profecti, loca ferè omnia munita in suam potestatem redigunt, atq; in eas angustias Comitem conijciunt, vt paullò pòst Hagam proficisci, atque Ordinibus se purgare, eorumque operam ad componendas cum ciuibus controuersias implorare decreuerit: quorũ intercessione & sequestratione, dum hæc scribimus, pacem propediem, vt spes est, confectum iri nunciatur. Ordines deinde auxiliorum præstitorum has rationes in litteris ad vnum ex imperij septemviris perscriptis, reddiderunt: nimirum nô dubitare se, quin maleuolorum voculis & obtrectationibus quæ in caussa hac Embdana ipsi fecissent, in malam partem omnia detorqueantur, & ad augendam inuidiam ab hostibus accipiantur: ideoque facti sui rationem sibi reddendam, remq; omnem diligenter explicandam existimâsse. Quũ aliunde, tum ex ipsa Archiducis aula, quæ Bruxellis est, & iam olim & nuper sibi nunciatum, omnẽ illum bellicum apparatum contra Embdanam ciuitatem eò dirigi, vt Hispanis Embda Comitis opera potitis Amisiæ nauigatio & portus aperirentur; atque ita bellum terra marique & contra Belgicas confederatas prouincias, & membra quędam Imperij

Anno 1602. Imperij magnis viribus administraretur. Quocirca gliscentem inter Comitem & ciuitatem discordiam in ipso statim ortu extinguere maximoperè annixos, & Delfilæ pacis quasdam conditiones proposuisse, quæ tum vtrimque acceptę, postea verò à Comite non vno modo sint neglectæ: qui etiā ad detrimentum vicinorum, diuersis in locis ad Amisam construxerit munitiones, atq; id iuris, quod nulli maiorum suorum fuerit cōcessum, facto ipso vsurpârit. Multas sibi esse caussas, cur prędictū Comitem, vt & fratres habeant suspectos. Nam & fratrem nuper in Hispanias missum, iamdiu Archiducis castra sequi: & Hispanos ipsos Frisiæ Oriētalis Comitatum sibi vendicare, vtè pacis Veruini Anno 1598. factæ articulis, manifestè patet. Hoc etiam ipso tempore magnam tempestatē ex ijs locis Belgio confederato imminere; non dubijs rumoribus ex ipsa aula Bruxellensi afferri. Rogare igitur atq; orare, vt quæ & ad suam & ad vicinorum salutem fecerint, ea bonam in partem accipiātur. Nec enim se Embdanis vlla in re, quę cōtra Imperij ius sit & maiestatem, patrocinari velle; sed periclitantes deserere noluisse.

Res Gallicæ. Vicesima secunda Nouembris secundus fœtus ex Henrico IIII. Galliæ & Nauarræ rege, & Maria Medicea procreatus, puellaris sexus, breui gaudio (nam paucis à partu diebus mortem obijt) & regē & regnum vniuersum affecit. Et rex quidem hoc tempore ijs qui cum Bironio conspirauerant, modò intra duos menses delictum profiterentur, publico Edicto veniam proposuit: Auernię Comitē è carcere adductum, genibusque aduolutum, in gratiam recepit, mensæ adhibuit, & domum, vt tranquillè ibi & quietè viueret, dimisit. Quoque magis

regni

regni sui vires aduersus vim externam confirmaret: nouum fedus cum Heluetiorum pagis (exceptis paucis Catholicis, qui in fide Hispaniarum regis permanserunt) fecit: quod præsentibus legatis quadraginta duobus, vtrimque dato & accepto iuramento, in primario templo Lutetię Parisiorum, sollemniter fuit sancitum. Turnonium est, Galliæ ad Rhodanum oppidum. Ibi circa meridiem tanta cornicum multitudo conspecta dicitur, vt cœlum ipsum obumbrarent: quæ postquā diu misto agmine circumvolitârunt; tandem in duas veluti acies secesserunt, & vtrimque impetu facto, post longā dimicationem, multæ hinc inde mortuæ repertæ sunt. Dolus an virtus, quis in hoste requirat: notus nimis est nostris temporibus & vsitatus versiculus. Nec verò eos ego Principes reprahendere ausim, qui suas res aliorum periculis, suis minimis sumptibus stabilire non negligunt: tantùm dico, satis vixisse se arbitrari eos, qui ad vllam proditionem operam suam commodant; quæ sæpè detegitur, nōnunquam grauissimè punitur, semper verò auctoribus est ignominiosa. Vngarum quendam, qui ad Turcas superiori tempore desciuerat, cum sex alijs Canisæ præsidiarijs Comes Serinius induxerat, vt igne iniecto, dum ceteri ad restinguendum incendium accurrunt; porta ipsi aperta hostem in vrbem admitterent: sed re detecta, proditionis conscij omnes, stipitis per corpus adacti crudelissimo supplicio sunt affecti. Iisdem artibus Ostenda, itemq; Clundera, Hollandiæ munimentum, circa hoc tēpus petita fuerunt: duobus vtrobiq; vigilum præfectis auctoribus: sed pari euentu. Quin etiam seditiosi Hispani milites arcem Cameracensem simili dolo sunt aggressi; sed detectā coniuratione tres

Anno 1602.

Prodigium.

Proditiones detectæ.

Canisa insidijs petitur.

item Ostenda, & Clundera:

& Cameraci.

Anno 1602.

tres è præsidiarijs strangulati, nouem ad remos damnati sunt. Ijdem seditiosi, dum tributi exigendi gratiâ Brabantiam peruagantur, fortè in duas Hispanorum equitum turmas, quæ in oppido Vertano præsidium agitabant, inciderunt; quibus stipendij nomine aliquid debebatur, coniungere se cum ipsis coëgerunt: recusantes, fustibus malè mulctos, & equis armisque spoliatos dimiserunt.

Geneuæ descriptio.

Antiquissimũ oppidum est Geneua, cuius quoque Iulius Cæsar in Commentarijs suis meminit; in meditullio Sabaudiæ in colliculo quodam, quà Rhodanus è lacu Lemano exit, situm. Cum ciuibus Sabaudiæ Duces iam diu acerrimas inimicitias exercuerunt: quod nescio quid iuris in oppidũ & Episcopatum prætenderent. Et ciues quidem cum Bernatibus & Friburgijs fedus inierunt: quod Sabaudus frustrà sæpè rumpere est conatus. Tandem odiorum semina hinc iacta religionis mutatione ita pullularunt, vt Episcopus ciuibus, quum apertè metu Bernatium non auderet; clàm perniciem machinaretur; assumpto Sabaudiæ Duce, qui non minus Geneuates ob mutatam primùm religioné, deinde quędam insolenter facta, infensissimè oderat. Nec minus odiũ erat vicinæ nobilitatis; quæ ad compescendam Geneuatium pertinaciam coniurauerat, & apertè bellum ostentabat. Mox Bernates à Geneuensibus, confederatis suis, de auxilijs appellati, omnia eorũ, qui hostes se declarauerant, castella deiecerunt, sed à Ducis omni ditione vim abstinuerunt; donec tandem quorundam intercessione motus hic repressus magis, quàm sublatus fuit. Paucis post annis Sabaudo Geneuatibus bellum facienti Bernates omnem regionem circa vrbem eripuerunt: captis Morgijs, Rolla, Rolfino,

Tipho-

Tiphona, Iuxo, Clusa, Copeto, Rossenæo, Lasserra, Laufanna, atque omni Episcopi diœcesi occupata: reliquam Ducatus partemquæ cis Clusam est, Galliæ rex inuasit.

Anno 1602.

Hunc suum dolorem Sabaudus vlcisci cupiens, quum alias sæpè, tum nuper Geuensibus est insidiatus. Sparsos per omnem eam regionem milites, ea nocte quę inter vndecimum & duodecimum diem Decebris intercessit, clā n colligi iussit, sic vt nulla indicia ad Geneuenses permanârint: cum quibus Albigüius ante lucē profectus, fossas vrbis siccas deinde murum quoque ad nouam portam superauit, nemine vigilum strepitum sentiente. Murum iam transgressi trecenti circiter, in diuersa vrbis loca contenderunt, & alij quidem mercatoris cuiusdam ædibus, quas rebus suis commodissimas existimabant, pyrobolare instrumentum admouerunt, irrito euentu: alij portas ligonibus & dolabris effringere, suosque intromittere sunt conati. Strepitu excitati ciues, mox pauci prouolârunt, & globo facto, quà maximè hostes vrgebant, se obiecerunt. Interea Sabaudicorum clamor, Victoriam ingeminantium, totâ passim vrbe auditur: dumque reliqui portam moliuntur; qui foris præstolabantur, muros subierunt, & in area suburbana, quæ à planicie nomen habet, per apertā portam mox irrupturi, aciem instruxêre Sed ciuibus vndique ad defensionem accurrentibus, & in hostes fortiter illatis, intra mœnia deprehensi partim cæsi, partim dissipati & acti in fugam fuerunt; pauci saltu se præcipites è muro deiecerunt: tres & quinquaginta à ciuibus capti eodem die, nobiles iuxtà & ignobiles, suspendio vitam finiuerunt; quorum omnium capita, vt & eorum qui cæsi in fossis iacebant,

Geneua tentatur à Sabaudo.

Anno 1602.

ceruicibus auulsa, eo loco quà venerant præfixa sunt,& spectanda proposita. E ciuibus vndecim circiter sunt desiderati. Hunc Ducis conatum non Bernates tantùm confederati, verùm etiam Galliæ rex molestè tulisse dicuntur: quorum illi è vicinis locis collectum militem socijs è vestigio auxilio miserunt; hic verò litteris & ciuium virtutem collaudauit,& auxiliorum, si necesse sit, spem fecit, monitis vicinarum regionũ præfectis, vt res Geneuenses curæ haberent.

Vachtendoncum tentatũ.

Vachtendoncum cum præsidio non ità firmò Rihouius tenebat. Is equitis cuiusdam opera, Peelhasij nomine, in pabulo & stramine conuehẽdo, piscando item in Nærsa flumine vti consueuerat. Hic ab Hispanis corruptus alium quendam ex eodem præsidio in conscientiam assumit,& 5. Martij cum scapha, quasi stramen aducturus, vt solebat, egrediuntur. Adsunt Hispani, certo loco præstolari iussi: & quatuordecim milites lectissimos in aliud nauigium, eum in vsum adductum, imponunt, & stramine tegunt. Ita naui ad pontem arcis propulsa, proditorum alter excubitorem, notum sibi rogat, vt manu porrecta, paullulum enitentem se in pontem adiuuaret: manu apprehensum in aquã de ponte detrahit. Exsiliunt continuo sub stramine latentes, portam oppressis excubitoribus, occupant, pontem pensilem subducunt: iamque per auersam ab oppido partem multis suorũ intromissis, oppido imminebant. Sed tanta celeritate vti nõ potuerunt, quin oppidani præsidiarij vallum ex obuia omnis generis materia contra arcem excitarent: in quo tormentis dispositis arcẽ oppugnare incipiebant. Commodum tum CLVTIVS

& Qua-

& QVADIVS, vterque turmæ equestris præfectus ex HOLLANDIA redibant. In itinere de periculo edocti, magna celeritate VACHTENDONCAM petunt; & in oppidum ingressi, tantisper HISPANORVM vim morantur, dum è vicinis præsidijs auxilia mitterentur: quorum opera QVADIVS, in Rihouij captiui locum suffectus, HISPANOS post sex dierum oppugnationem eò compulit, vt arce exeundi potestatem vltrò postulârint. Nam & oppidi potiundi spes nulla erat, quotidie augescente præsidio: & in arce ad tantam multitudinem sustentandam (nam octingenti circiter erant) nec commeatuum satis, nec ceterorum apparatuum quidquam erat; nec aliunde, vijs omnibus ab Ordinum militibus obsessis, quidquam poterat sperari. Anno 1603.

Ità ergò cum armis egressi HISPANI, re infecta, non paucis desideratis, ad suos redierunt. Bonam hic operam Ordinibus confederatis nauâ ũe CLVTIVS & QVADIVS: quorum aduentus solus obstitisse videtur, quo minus oppidũ in hostium venerit potestatem. Paullò post alia detecta fuit proditio: cuius auctor dũ apud Hispanos captiuus desidet, ad eam inductus (nam pendencũ ei alioqui erat, quod ex ijs vnus esset qui Sãtandreanum dediderãt) corpore in quatuor partes dissecto, pœnas luit.

Lusitani, qui Goæ sunt (est verò id Indiæ orientalis, vel potius AFRICAE maritimum & celeberrimum emporium) ægrè ferentes aromatum mercaturam, quam ipsi soli hactenus exercuerant, & quod inde est lucrum ab HOLLANDIS sibi præripi: classem quatuordecim *Indica Hollandorum commercia.*

Anno 1603. triremium Bantamum, in Iaua maiori ſitum oppidum, miſerunt, eo fine, vt Hollandis expulſis, ciues ab eorum ſocietate verbis & promiſſis, ſin id minus ſuccederet, vi & armis auerterent. At ciues coniũctis cum Hollandis viribus, è Luſitanorum nauibus profligatis quinque ceperunt, quaſdam tormentorum vi conuulſas demerſerunt: reliquæ Amboinã appulſæ ex inſulanis nonnullos, quod commercia cum Hollandis exercuiſſent, interfecerunt, & caryophyllorum ſuccifis arboribus, omnem ſpem fructus in poſterum ſuſtulerunt. Ex Hollandorum nauibus ſex hoc tempore benè onuſtas aduentare celox præmiſſa nunciauit: quum paullò antè tres aliæ è noua Guinea, quę mille & trecentas auri rudis libras ferre dicebantur, in Angliam, atq; inde in Selandiam appuliſſent.

Motus Metenſis. Arcem Metenſem Sabollio, Galliarum rex ſuperiori tempore commiſerat, hoc pacto, vt nemini eam, niſi regi ipſi traderet. Circa hoc tempus eò venit Eſpernonius, cum regijs mandatis, quibus arcis ei cuſtodia demandabatur. Eum quum intromittere recuſaret Sabollius: ciues, ſiniſtrè de ipſo ſuſpicati, aduerſus arcem munitiones obijciunt. Avi tamen vtrimque temperatum eſt: dum de regis volũtate liquidò cognoſceretur: qui decimoquarto Martij cum ſex peditũ & tribus equitum millibus eò profectus, magnaque ciuium lætitiâ exceptus, Fontenæum vrbi, Erguiæum arci pręfecit, Sabollio qui fuga ſibi proſpexerat, fruſtra requiſito. Etſi verò hæc regi potiſſimum Metim proficiſcendi cauſa fuit: pacis tamen inter Lotharingum & Brandeburgicum reſarciendæ ſtudium impuliſſe eũ quoque creditur. Lis enim de Epiſcopatu Argentoratẽſi, ante multos annos ſopita, hoc tẽpore ità recruduerat

Motus Argẽtoratenſis.

duerat, vt ad arma iterum ventum sit. Nam Lotharingus Brandeburgico non tantùm multa loca eripuit:(de qua iniuria Brandeburgicus ipse, cum alijs Germaniæ principibus Galliæ regi non ita pridem præsens conquestus dicitur) sed eiusdem quoque milites in pago Sæffelshæmo oppressit, & tormentis duobus prædaque exuit: sic vt magnus inde per totam Germaniam motus timeretur: quem tamen optimus prudentissimusque rex in tẽpore, latis vtrimque conditionibus (vt speramus) sedauit. Anno 1603.

Ostendana. Ad Ostendam hoc ipso tempore res magna vtrimque contentione geritur; dum hi de retinendo, illi de expugnando oppido laborant. Nouus quidã artifex, excitata ad ipsam canalis oram magni operis munitione (planam formam vocitã) viam iam ostendisse dicitur, quomodo canali obstructo, prohibendus sit nauium in oppidũ accessus. Alius item nouam artẽ excogitâsse fertur, globorum veneno inficiendorum, quorum decidentium fumo, non aliter quàm vertigine aut epilepsia correpti adstãtes milites, exanimati concidãt omnibus viribus ad sui defensionem ablatis. Credo quasi parum crudele inuentum sit ars tormentaria: nisi veneficia ad eam quoque accedant. E cõtra Ordines machinas aliquot immani magnitudine Oestẽdam misisse feruntur, ad disturbanda obsidentium opera. Et quoniam continua & diuturna obsidione tandem oppidũ expugnatum iri metuunt: Mauritium prima æstate ad obsidionem soluendam cum exercitu in Flandriam profecturum multi suspicantur; pauci, credo, sciunt. Intereà Ordinum milites, iterum in agrum Luxemburgẽsem itinere instituto, sed ab incolis & militibus, qui-

Anno 1603.

bus ibi Alberti Archiducis nomine conductis diribitorij locus in prædicta regione fuit assignatus) aditu prohibiti, rebus infectis quà venerant redierunt, magnis per agros passim datis damnis. Ab altera parte Hispani seditiosi non tantùm agricolis sumptu pabuli & alimoniæ miserè prægrauant: sed etiam à Principibus magnam pecuniæ vim extorquent.

Dum ad decimum tertium Aprilis tributum à TREVIRENSI diœcesi exspectant: vnus ex eis in pago Gymnico, haud procul à COLONIA à rusticis interfectus fuit. Quare irritati, quinque diuersis in locis ignem ædificijs iniecerunt, qui vento adiutus pagum totum fœdum in modum absumpsit.

Anglorum reginæ mors.

Finem nostri operis nobilissimæ ANGLORVM reginæ Elizabethæ fine claudemus: quæ, vt quidam scribunt, postridie Calendas Aprilis viuendi finem fecit, septuagenaria ferè. Nata enim est Anno MDXXXIII. regnum inijt Anno MDLVIII. femina præter multas corporis dotes, supra sexum prudens, benefica, multisque literis expolita. Nam GRÆCAM & HISPANICAM linguam mediocriter callebat: LATINAE verò, Gallicæ & Italicæ peritia cum doctissimis viris contendebat. Vno certè & eodem die tribus maximorum regum legatis, Latinè vni, alteri Gallicè, tertio Italicè respondere audita est. Sed quũ quæ de eius morte circumferũtur obscura adhuc sint, neque dum additis circumstantijs satis explicata: nos procerum ANGLIAE Decretum, quo IACOBO VI. SCOTORVM regi regni habe-

habenas tradidisse dicuntur, ita vt ad manus nostras venit, tibi lector exhibebimus: quod in hanc sententiam est conceptum: Anno 1603.

Posteaquam Deo optimo maximo visum fuit è terrestri hoc domicilio euocare Elizabetham, Angliae quōdam, Franciæ & Hiberniae reginam potentissimam: à cuius obitu modo dicta regna ad Iacobvm sextum, Scotorvm regem, hæreditario iure sunt deuoluta; vtpote qui legitimo partu regiam stirpem (quæ olim male in Eboracensem & Lancastriam familias diuulsa, felici Henrici septimi, & Margaritae, Eduardi Quarti filiæ, connubio coaluit, ad quos prædictus rex genus suum maternum refert) quam proximè attingit: Nos Ecclesiastici & sæculares, cum primarijs nobilibus, Maiore & Senioribus vrbis Londinensis, alijsque plurimis bonis & fidelibus regni huius ciuibus; eum in finem congregati, notum omnibus facimus, atque hoc scripto testamur, Iacobum sextum certissimo iure ab Elizabethæ obitu, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ factum esse regem, fideique Defensorem: cuius equidē potentia, sapientia, & diuina virtus spem nobis facit, fore, vt omnia feliciter administrentur, exterorum conatus, perniciem ciuibus molientium, pacemque turbare conantium, reprimantur, omnia denique, quæ vel ad regni detrimentum, vel ad regis quietem interturbandam quisquam poterit comminisci, auertantur.

Quocirca eundem regem nostrum publicè proclamamus: neque facultates tantùm nostras, sed vltimam quoque sanguinis guttam eius iuri

Anno 1603. contra omnes qui vel verbis vel facto lædere id præsumpserint, tuendo impendere parati sumus: eidem etiam vt legitimo nostro regi omnem obedientiam, amorem & obseruantiam pollicemur: certi quippe, huic, non alij cuiquam, prædicta regna deberi. Quocirca omnibus Legatis, magistratibus, Iudicibus, Baliuis, Maioribus, Præfectis, omnibus denique cuiusuis ordinis ciuibus, eiusdem regis nostri nomine mandamus, vt omnia tam publica quàm secreta conuenticula contra regni huius pacem, aut regiæ M. existimationem & salutem prohibeant, facta & consilia temerariorum hominum non obseruent tantùm, sed etiam acerrimè vindicent. Quod si facere neglexerint: summam regis in se concitaturos indignationē, sibiq́ue exitium acceleraturos sciāt. Interim Deum precamur vt regiæ maiestati, eiusq́ue successoribes multos annos, quietum imperium, & fausta omnia largiatur.

FELICITER Iacobo Regi.